SPECIMEN

TOTIUS SYSTEMATIS PHILOSOPHICI

PRAELECTIONIBUS ACCOMMODATUM

PER

P. HUGOLINUM FAZOLIS A SUMMARIPA

EX MIN. OBS. S. FRANCISCI

SUB AUSPICIIS

R.mi P. VENANTII A COELANO

MINISTRI GENERALIS TOTIUS ORDINIS MINORUM

EDITUM

VOLUMEN PRIMUM

DE LOCIS PHILOSOPHICIS ET DE PROTOLOGIA



PRATI

APUD ALBERGHETTUM ET SOC.

MDCCCLVI



PRATO.

TIPOGRAFIA ALDINA.

1847.

FASCICOLO 35°

SPECIMEN
TOTIUS SYSTEMATIS PHILOSOPHICI

PRAELECTIONIBUS ACCOMMODATUM

PER

P. HUGOLINUM FAZOLIS A SUMMARIPA

EX MIN. OBS. S. FRANCISCI

SUB AUSPICIIS

R.MI P. VENANTII A COELANO

MINISTRI GENERALIS TOTIUS ORDINIS MINOR. M

EDITUM

VOLUMEN PRIMUM

DE LOCIS PHILOSOPHICIS ET DE PROTOLOGIA



PRATI

APUD ALBERGHETTUM ET SOC.

MDCCCLVI



REVERENDISSIME PATER

Cogitanti mihi cuinam tamquam Mecoenati foret hoc specimen nuncupandum, in mentem protinus subiit, nemini profecto satius, quam Tibi; qui, ut animum ad scribendum de rebus philosophicis appellerem, me omnium primus, et quidem saepe atque interdum fortiter ursisti. Operi, iuxta ac vires mihi suppetebant ingenii, curam, studiumque, etsi ad plura subinde distractus, sensim dedi, ast iugi spe interea illectus, id, quemadmodum tuis sub consiliis coepi exequendum, Te demum auspice fore edendum, sicque eo evulgaretur rapidius, quo erat nobilius cohonestatum. Cuinam, sciscitor ego ipse, opus maxime philosophicum tuo conspiciens nomini nuncupatum, ardor non confestim insiliret legendi? Id certe auctoritatis, ne de tuis meritis dicam, tibi praecipue confert primatus, quo recte fungeris totius Ordinis Minorum. Hic enim est ille Ordo, qui inter alia sanctissima, scientiis item, licet haud buccis crepantibus, sparsim etiamnum per coenobia quamplurimum florescit. Ecquis siquidem ignorat, ut celebritatem praeteream Patrum nostrorum, Fratres Minores, qui caeteroquin ceu vili et rudi amictu induti atque nudipedes a mollioribus et cuiusque classis effoeminatis turpiter sper-

nuntur, etiam sub id temporis, in tanto nimirum scientiarum progressu, primos fere excelluisse in praeclarissimis theoriis excipiendis, atque ne in privatis, inquam, scholis quidem, at publica etiam per exedia magna cum doctorum frequentia et admiratione, propugnandis? Quam sane sinceram scientiarum cupidinem adeo per Ordinem vehementer gliscentem a Te sive qua encyclicis, sive qua consiliis, sive qua adhortationibus, sive qua auctoritate, novimus instauratam, enutritamque. Iamdiu equidem tibi alte insederat animo familiam Minorum ingentem adhuc esse, strenuamque Ecclesiae militiam quo numero copiosiorem, eo mente validiorem, dummodo ad studia sublimia fore etiam enixius ut sine mora compelleretur.

Sin ergo nos, qui hactenus a Te optime gubernamur, tantum sive studiis provehendis sive iuvenibus *sanis*, ut aiunt, et opportunis doctrinis imbuendis curae ac sollicitudinis cernimus inesse, tua amplissima potestate hoc specimen philosophicum protegere, quaeso, haud dedignare, ut talis eius exitus fiat, qualem, Te suggerente, ac suadente mihi ab initio feliciter ominabar. Paupertas quidem operis tantum non expostularet neque promereretur Mecoenatem; ast id expostulat dignitas, qua in Ordine eniteris, suprema: expostulat favor, quem iuvenibus acri ingenio et enixo studio, saepissime spopondisti: expostulat patrocinium, quod de scientiis studiose susceptum declarasti: expostulat familia Minorum, quae eo lubentius eas sibi comparat et tuetur doctrinas, quas novit magis tibi esse acceptas: expostulat demum subiectio, qua Tibi ex officio, et affectu devoveor.

PRAEMONITUM

Nolite, precor, antiquam salutaremque doctrinam heu iamdiu nimis oppressam nuper autem in lucem divina providentia prodeuntem insequi crudeliter, ne forte quam Deus omnipotens vult ubique vivam mortalis homo frustra perditam velit.

Marsilii Ficin. Prooem. in lib. platon. ad Laur. Med.

De spiritu verae philosophiae

I. Quantum, his praesertim temporibus, nostra interest *spiritum verae philosophiae* in frontem veluti operis imprimere nemo est qui profecto ambigat. Undique enim iam obruimur librorum copia nomine philosophicorum tam ideis quam methodo adeo invicem discrepantium, ut continuo vel cuique in mentem veniat, quinam fieri potest ut philosophia si vera est, si una, si mira cum partium eurythmia disposita, atque ex paucis fluens principiis, in tam opposita distrahatur, atque omnibus operibus philosophicis aeque interesse valeat. Ex qua animadversione iam liquet tot inter damna ac ruinas philosophiae, eius tamen spiritum, idest, *quomodo ipsa sit natura comparata,* adhuc mentibus humanis illucere, itemque desiderium ipsis inesse, ut primum fuerit ex cineribus excitata, eam illico amplectendi. Quam quidem agendi rationem tantum abest ut improbemus, ut magis subscribamus libentissime, id praeterea, quod spiritui verae philosophiae diserte exponendo par foret, addentes. Hoc enim modo iam perspicuum fit nos haud lucem metuere, aut errores verbis subdolis obtrudere, sed *criterium* potius omnibus suppeditare, quo quisquis, an ea quam sumus tradituri philosophia, de praefato spiritu participet nec ne, iudicet.

II. 1.° Atque iam in primis vera philosophia debet, etsi sese ad remotissimas usque consequentias effundens, *unica* in principiis esse, ut se habet veritas, in qua ipsa versatur.

III. 2.° In id iugiter ipsi oportet enixe contendere, ut tam omnium cognitionum *initium*, quam scientiarum *fundamentum*, ac earumdem *dependentias*, *relationes*, atque *propagines* accurate recenseat, atque qua par est claritate exponat. Exploratum quippe est homines sive

in cognitionibus adipiscendis, sive in scientiis colendis unum semperque idem *lumen rationis* indiscriminatim adhibere. — Hinc, sicut in lumine eiusmodi tanta insidet *vis generativa*, vel ut loquitur s. Thomas, « seminarium idearum, scientiarumque »; ita philosophia debet in huiuscemodi vim studiose incumbere, atque ferme per totum scibile humanum in orbem adeo circumducere, ut ad unitatem, et *harmoniam systematicam* ipsum tandem totum reducat.

IV. 3.° Quibus in pervestigationibus, illuc usque eniti etiam ipsi opus est, donec *ultimas* quaestionis solvendae attingat *rationes*, quae ut ait Clemens Alexandrinus « mentem sistant » (1). Secus enim neque amplius ipsa diceretur: = Scientia persuasionis =; neque item ea scientia foret, cuius est ut cecinit Poeta noster:

« Descriver fondo a tutto l'universo; »

cuius ope inquit Cicero: « meas cogitationes sic dirigo non ad illam » parvulam Cynosuram .... quae, ut canit Aratus: *cursu interiore* » *brevi convertitur orbe;* sed ad Helicem et clarissimos Septentrio» nes, idest, rationes has latiore specie, non ad tenue limatas; eo fit » ut errem et vager latius (2). »

V. 4.° Atque ita demum in quaestionibus proponendis, solvendisque progrediatur, ut praefatio, vel praeparatio quaedam ad Theologiam ubique ipsa videatur.

Quam quidem philosophiam nullibi, ut verum fateamur, invenimus, quam in ss. Patribus Ecclesiae, quibus propterea fideliter sectandis, ob ingenii nostri tarditatem, ad rectam, eamque veracem et copiosam interpretationem, quam cl. Rosminius prae caeteris de eorum sententiis tulit, confugimus; non sic tamen, ut quae ipse dixit, sed quae probavit, quae evicit, quae extra aleam dubitationis, formulis, verbisque politioribus et elegantioribus posuit, sectemur, ne nomen Auctoris potius, quam veritatem videamur pertinaciter complecti (3).

(1) Strom. lib. IV.

(2) In Lucull. — ibidem docet « in ideis vel notionibus latioribus sita esse principia scientiae et investigationis. »

(3) Ne quis autem audeat amplius nos criminari, quasi scriptorem erroris suspectum, neque hactenus omnibus mendis purgatum studio et amore prosequamur, omnes monemus et quidem fidenter, (oculis enim nostris vidimus rationem, ut aiunt, *formalem ufficiale*, Rosminio transmissam), post iteratas et severissimas discussiones, experimenta et difficultates hinc voce, vel scriptis obiectas, istinc item feliciter solutas tandem — S. Congregationem Indicis habitam coram sanctissimo feria secunda sub die tertia Iulii anni 1854 decrevisse opera omnia Antonii Rosminii Serbati, *de quibus novissime censitum est*, esse dimittenda (en unica formula permissiva s. Congreg.), nihilque in ipsis

VI. Id operis duobus voluminibus exequendum suscipiemus, in quorum primo de *locis philosophicis*, atque de *protologia* sermo erit; in secundo duas in partes dispertito de rebus *metaphysicis*, et *theosophicis;* deque rebus *moralibus*, et *eudaemonologicis*. Haec duo magnitudine quidem pauciora, citius quam fieri poterit, Deo opitulante, atque ut possumus, edemus.

inventum esse, quod fidei et meritis Auctoris erga Ecclesiam vel minimum detrahere possit, idcirco inoffenso pede legenda. Nosmetipsos in fidem huiusce sententiae publice vadamur. Ast neque hoc fortasse opus est, cum iam accepimus mox fore edendam historiam vicissitudinum librorum cl. Rosminii; quem omnes utinam studiis, ingenuo ac intrepido veritatis amore, et virtutibus, humilitatis praecipue, patientiae, orationis, et charitatis, quibus ipse veri sapientis laudes sibi promeruit, imitarentur.

DE LOCIS PHILOSOPHICIS

Nos ea philosophia plus utimur, quae peperit dicendi copiam, et in qua dicuntur ea, quae non multum discrepant ab opinione populari.

Cic. Parado.

Huius praeliminaris tractatus necessitas

1.° Splendidum vereque divinum philosophiae templum iam iam ingressuro tria in limiuibus occurrunt sedulo intelligenda; ***essentia*** nimirum ***cognitionis***, ***scientiae***, et ***philosophiae;*** quorum intelligentia instar lucis ei praefulgebit, cuius splendore fundamenta, ordo, harmonia, vastitas, celsitudo, elegantia et magnificentia totius philosophiae revelabuntur; intellectus in aeterna protendetur, et inflammabitur quam vehementissime, quamdiu perspicuae eiusmodi essentiarum notitiae subnitetur. Iacent enim ibi ***semina*** omnium veritatum in studiorum progressu exinde sensim enucleandarum, quemadmodum ex minimis, simplicibus, itemque paucissimis elementis universa erupit, et ornatur mundi compago.

Nihilominus quot, censes, philosophorum sunt, qui inde scientiarum duxerint initia? Alii a cognitione ceu a facto primitivo, dogmatico, et indemonstrabili proficiscuntur, ***criticismi germanici*** eos protinus insimulantes, qui alia incederent via (1)..Alii vix dum philosophiam delibant, iam cum Lokio paciscuntur ideam simul cum sensa-

(1) Huiusce agminis sunt prae caeteris Cartesius, Gaiuppi, Mamiani, aliique plurimi dogmatici, qui in hanc sententiam coaluerunt, opinor, sensismo abducti, eo quia forsitan existimarunt cognitionem quidpiam semplicissimi, indivisibilis, et indemonstrabilis esse, ut *sensatio*, quae magis experiendo, quam definiendo, ac demonstrando cognoscitur. Verum, cognitio alia potitur natura, et duplici ut plurimum componitur elemento, empirico, et intelligibili, invicem accurate secernendo, et sua cuiibet est origo adsignanda; praesertim cum agatur de cognitione primitiva, de qua hic sermo est.

tione fundere, ac si idea a sensu prodiret. Dolendum, quod putidus iste sensismus nondum ab itala philosophia excesserit, planeque evanuerit; imo sub formis *subiectivismi*, et *formalismi transcendentalis* in dies tetrior reviviscens, praeclarissima adolescentium circumducat ingenia; qui, cum nimis magistris fidentes eius perniciem dignoscere nequiverint, haud ipsum exhorrescere didicerunt (1): quin ipsi gratulantur, ut, qui paucis difficillimas quaestiones expediat, nec mentes fatiget; interim in quibusque absurdis devorandis, scrupulis sane non anguntur.

2.° Neque itidem plerique philosophorum in unum coeunt quoad naturam *scientiae*, quae aliis est = cognitio evidens, certaeque rationi innixa =; aliis = continens ratiociniorum series sese mutuo excipientium =; aliis demum, parum, aut pene nihil ab arte discriminari videtur. Hae definitiones veram scientiae naturam praetergrediuntur, neque, quantum opus foret, eam distinguunt a sensu communi, vel a cognitione populari, quae etsi solidis, ac perspicuis principiis etiam fulciatur, indeque per intextam ratiociniorum seriem in discursum quoque effundatur, scientifica tamen non ideo censetur, utpote infimae reflexionis, rudis, incompta, et factorum cortici repens.

Non una ergo ut ut immutabilis, et perspectissima, sed perplurimae, et quidem elevatioris ordinis reflexionis requiruntur cognitiones adeo invicem innexae, et dependentes, ut tandem in aliquam supremam veritatem clarissime splendescentem, ceu in primum seriei principium confluant, ex qua cum vel iudicio, vel analysi, vel ratiocinio, vel qualibet animi facultate evolvantur, et recto ordine simul complectantur, id obtinetur, quod *scientia* dicitur. Demum scientiam ab arte differre non est quod multis evincamus, cum vel ipsi vetulae compertum sit, scientiam, vel theoriam in ideas, artem contra, vel praxim in realia spectare; idque vel eadem theoriae, et praxis nomina confirmant. Quare scientia dici consuevit, = theoria artis =, idest doctrina vel contemplatio eorum, quae arte, seu opere exercentur (2).

3.° Quod et circa *philosophiae essentiam* contigisse, historia docemur.

Philosophia nomen est vulgatissimum etiam penes foemellas, qui-

(1) Quantum *subiectivismus*, et *formalismus* sensismo fracescant, in ideologia, et ideogonia ostendetur.

(2) Animadvertere praestat confusionem scientiae cum arte ex identificatione ideae cum realitate profluxisse, tametsi nuperrimis philosophis neo-platonicis visum fuerit, scientias fatiscere, ac dilabi, nisi in obiecti realitate subrigerentur. Esto, quaeso, quid horum solidius, realitas, quam conditam novimus, an idealitas, quam aeternam intuemur? Unde ergo tam acris *ideophobia*? Ex eo profectam censemus, quod numquam ideae naturam attente expenderint.

bus paucis abhinc annis ardor philosophandi, ceu educationis *genius*, insiliit, quas, aeque ac caeteros philosophos, si de huiusce vocis etymologia percontaris, tibi protinus respondent: silent autem, aut in diversa abeunt, cum logicam eius definitionem expostulas. Hinc illa varietas philosophiae definitionum, quas nobis non licet etiam paucis hic perstringere, ne tirones philosophiam fastiditi eam derelinquant, seque incertis adhuc, vel ignotis committant, nam ex dissensione philosophorum in definitione philosophiae arguitur eius essentiam plane eos latere: essentia siquidem rei unica est, et unica promitur definitione (1), quae in fere innumeris, qui nomine philosophi gloriantur, perperam optatur; ex iis omnibus conjicitur quantae necessitatis sint *loci philosophici*.

CAPUT PRIMUM

DE SCIENTIA IN GENERE

4.° Scientiam cognitionibus componi nemini est dubium. Iam vero cuiusnam naturae, quo ordine dispositae, quot sint cognitiones oportet, quae simul consertae praeclarum scientiae aedificium excitent, et circumornent? Id operis nunc subest nobis prosequendum, ne ulterius progressi rem a capite arcessere cogeremur.

5.° Cognoscere solius *principii intellectivi* est, quod statim atque *aliquid intelligibile* sibi utcumque exhibitum ut est in se conspicit, emergit in ipso actus cognoscitivus, idest *visio* quaedam intellectualis in obiectum porrecta, quae tamdiu viget, quamdiu ei non subducitur obiectum intelligibile (2). Quod autem cum intueatur, menti quodammodo unitur, eamque sibi *maritat*, adeo ut cognitio dici quoque soleat *conceptio*, vel *conceptus*, quippe quae ex connubio mentis cum obiecto intelligibili generatur (3); eodem ferme modo, quo visio ocularis tunc nascitur, cum lux, seu elementum visibile potentiae visivae adiungitur, eamque percellit. Verum obiectum eiusmodi in mentis in-

(1) Varietas definitionum philosophiae est effectus systematum, quae invehuntur; ideoque ut plurimum non philosophia, sed systemata potius philosophorum definiuntur. Caeterum sensus communis, si consultus fuisset, veram philosophiae definitionem ipsis suggessisset.

(2) Dicimus — obiectum intelligibile — non quasi sint obiecta inintelligibilia: obiectum enim vel ex se intelligibile est; sed ut accomodemur nonnullis, qui res externas vocant obiecta, etsi talia non sint, sed potius *obiectivata*, uti videbimus.

(3) Generatur conceptio, sive intuitio, non vero res concepta, quae non producitur, sed intuetur, et prout refertur ad mentem dicitur idea; prout consideratur in se, est ens ideale, vel essentia entis, aut rei conspectae.

tuitum venit, cum ut *ens* cogitamus, quia obiectum cognitionis est *ens*, vel *existentia*. Quapropter eatenus quidpiam nos cognoscere dicimur, quatenus eius existentiam idealem, vel realem apprehendimus, vel percipimus (1). Iamvero existentia realis, vel subsistentia, utpote sensibilis, et immediatus sensitivitatis corporeae terminus, nequit menti directe patescere, quin prius intelligibilis evadat; mens enim est *facultas intelligibilium*. Cum autem res sensibiles fiant intelligibiles, et actu intelligantur per influentiam intelligibilium, seu idearum, quae eis vix perceptis nectuntur, iam inde liquido consequitur, existentiam realem, vel subsistentiam fieri itidem intelligibilem, idest in obiectum cognitionis converti, cum *idea existentiae*, vel existentia idealis, et intelligibilis ei coniungitur. Sed iu id alibi plura.

Ex quibus pronum iam est colligere cognitionem humanam radicitus inspectam aliud non esse, quam = simplicem ac successivam *ideae existentiae* realibus applicationem, quae varias determinationes subiens, alias, atque alias pandit ideas, quarum unaquaeque obiectum ideale vel reale illuminat, prout sensibus apponitur necne =.

Idipsum ex ipsa natura luminis rationis suadetur. Fieri ne potest minima cognitio, quin lumine rationis utamur? si ergo cognitiones sunt totidem luminis rationis applicationes, venit protinus concludendum mentem in omnibus cognitionibus idea existentiae ideo uti, quia id, quod vulgo lumen rationis vocatur, philosophis est *idea entis*, vel *existentiae*. Sed huc in *ideogonia* redibimus (2).

6.° Non omnes tamen cuiusque generis cognitiones scientiae formandae inserviunt, sed eae potissimum seligendae sunt, quae firmis innituntur rationibus, et factum simplicis perceptionis excedunt. Aliud enim est scire, aliud cognoscere. « Scire, inquit s. Augustinus, id solum dicimur, quod mentis firma ratione comprehendimus ». Exinde consuetudo obtinuit dividendi cognitionem in *popularem*, sive vulgarem, et in *scientificam*, vel doctam. Prior in intellectiva rei perceptione, atque in primis reflexionis ordinibus compescitur; posterior autem super popularem erigitur, et in eam tamquam obiectum inflectitur, altioresque reflexiones percurrit. Si vero ad ultimas usque rationes *(agli ultimi perchè)* contendit, nedum scientifica, at

(1) Ailquid cognoscere idem esse, ac eius existentiam percipere patet ex ipso dicendi modo: cum enim aliquem sciscitamur, cur v. g. Petrum non cognoscat, respondet — se numquam ipsum vidisse, et perspexisse — idest eius existentiam numquam percepisse. Haec est res facti, quae non concutitur: adversus factum enim non datur argumentum.

(2) Quod neque Scholasticos, et Ecclesiae Patres fugit, quibus passim solemne erat, phantasmata sensus *lumine* intellectus agentis, idest *ente ideali* illuminari, indeque species intelligibiles, vel ideas rerum progigni.

etiam philosophica nuncupatur (1). Non igitur ratione principii, sed progressus, et formae cognitio scientifica, et philosophica a populari discriminantur. Ast illae, etsi propter suam celsitudinem, elegantiore splendeant nobilitate, sunt tamen quo sublimiores, eo errori procliviores, in quem si labantur, a cognitione populari, vel a sensu communi, ubi consistunt prima et indubia rationis principia, debent iterum suas progressiones auspicari, neque eius deinceps oblivisci, si genuinas rationes veritatum sensus communis invenire quis gestiat.

Scientia igitur est = systema cognitionibus doctis conflatum =. Quamobrem vulgus facta cognoscit, vir autem scientiarum nedum facta, sed et factorum rationes novit, vel investigat. Vera autem ratio ea est, quae facto cohaeret, idque explicat. Hinc necessitas facta observandi, neque in pervestigationibus unquam obliviscendi sensus communis (2).

7.° Non una igitur, quamquam docta, et exploratissima, sed plures cognitiones doctae debent in scientiae constitutione convenire, ut inde exurgat *systema*, seu ordo, qui unitatem et varietatem elementorum requirit. Porro varietas in cognitionum multiplicitate, unitas vero in earum principio supremo consistit.

Atque hinc factum est, ut scientia modo etiam definiatur, = organica cuiusdam principii evolutio =; modo = principium in suas logicas consequentias effusum =; modo = systema veritatum ab unico principio dependentium =; modo = principium cum omnibus suis corollariis elevatum =.

Nomine autem *principii* intelligitur veritas prima, atque evidens, caeterarum procreatrix, idest *essentia*, vel idea specifica rei, quae perscrutanda suscipitur (3). Hoc pacto essentia, vel idea hominis

(1) Arist. Metaph. L. I. — Tertullianus, cont. Marc. L. I. — S. Thom., contr. gent. I. LXXX — S. I, LXXXV, V. — S. Clem. Alex. Strom.

(2) Ideo etiam cl. noster D' Acquisto: « La scienza propriamente detta consiste nella conoscenza riflessa della verità delle cose. » — Sist. della scienz. univ. — Inest equidem cognitioni populari quaedam reflexio, sed infimae classis, et parum mehercule a cognitione directa dissita, et inde elucet, cur saepius hallucinetur philosophus, quam plebs, ut diximus. Dignus est qui legatur dialog. Plat. theaet. inscriptus, cuius obiectum est scientiae natura.

(3) Quidam ex nuperrimis *philodoxis* essentias rerum inter superintelligibilia, et impervia reiecit. Aliud tamen sentit Cicero, qui definitionem nuncupat « — orationem, quae id, quod definitur, explicat quid sit » — (*eius essentia*). Aliud docet s. Thomas, qui ait « essentia comprehendit in se illa tantum, quae cadunt in definitione speciei » S. 1, III, III.: et in comment. metaph. Arist. lib. IX. expresse tradit « nihil nos de re aliqua scire posse, quamdiu eius essentiam non attingamus ». Idipsum sensus communis confirmat: alias enim res neque cognosci, vel definiri possent, cum elementum cognitionis,

evadit principium *anthropologiae*, idea boni moralis principium *ethicae*, idea pulchritudinis principium *callologiae*, et sic de aliis scientiis, quarum singulis subiiciuntur ideae primariae, quae cum explicentur, nomen principii sortiuntur, et varietatem pariunt consequentiarum, idest veritatum inferiorum, quibus scientiae *organizzantur*, et progrediuntur. Saepe tamen contingit, ut principium scientiae alicuius essentia rei non sit, sed aliquid eiusdem (1).

8.° Nihilominus philosopho haud sufficit distinctionem scientiam inter et sensum communem adstruxisse: ipsi quoque opus est, scientias qua tales ab scientiis philosophicis discernere. Sicut enim cognitiones, popularis, scientifica, et philosophica nequeunt simul commisceri, ita et sensus communis, scientia, et scientia philosophica tria sunt itidem secernenda. Sensus quippe communis rerum perceptionibus, et primis reflexionibus; scientia reflexionibus sublimioribus; scientia demum philosophica ultimis reflexionibus, vel *rationibus ultimis* insistit.

Quare non quaevis scientia est inter philosophicas adscribenda propter ordinem suarum cognitionum in unam qualemcumque concurrentium, sed ulterius necesse est, ut veritas aliarum parens sit suprema, et perspectissima, cuiusmodi est essentia rei, quae dicitur *ultima ratio*, vel responsio postremis interrogationibus afferenda, qua quivis suaderi debet, eique acquiescere (2). Nam philosophia ideo in *ultimas rationes* inquirit, ut quietem scientificam pariat, qua effraenis sciendi cupido tandem retundatur, quemadmodum retunditur in essentiis rerum, quarum si quid est inquirendum, id essentiis revera totum delitescit.

Quae cum ita sint, manifesto constat in scientias vere philosophicas iure cooptari *ideologiam*, *logicam*, *psychologiam*, *cosmologiam* etc., quibus scientiae nomen iampridem inditum fuit: ab eis contra arceri scientias naturales, quarum principia, idest suorum obiectorum essentiae adhuc latent, quibus vix detectis, et ipsa confestim fastigium philosophicum tum pertingent.

et definitionis sit essentia, quae primo menti occurrit, cum aliquid cognoscimus.

(1) Fere numquam enim essentiarum cognitio est perfecta, sed partim positiva, partimque negativa; interdum vero potentiis rerum operativis solum utimur ad *essentias* ignotas significandas, quae ideo essentiae genericae vocantur, et verae tenent locum essentiae. Conf. s. Thom. — de verit. X. 1, ubi hanc exceptionem interdum, admittit, licet alibi dixerit, intellectum penetrare ad ultimam naturam speciei, vel essentiae: de verit. X, V.

(2) Hinc patet etiam discrimen inter persuasionem, quae ex qualibet veritate consequi potest, et ratiocinium in veritates ultimas adsurgens, quibus nedum cognitionis verum etiam scientiae cupiditas impletur.

In huuc finem strenui exhantlantur labores, augescunt studia, analysis acuitur, ut tandem quautocyus essentia virium naturae notescat (1). Sed his missis, aduitendum saltem foret, ut scientia moralis a philosophica dignitate partim hominum incuria, partim improbitate dilapsa, rursus consurgat, atque in immobilibus rationis principiis, a quibus abscessit, consolidetur, et subrigatur. In id operis nostras licet tenues vires suo loco conferemus.

CAPUT SECUNDUM

DE SCIENTIARUM HIERARCHIA

9.° Instituti nostri ratione iu *genealogiam* scientiarum ducimur, eo precipue, ut radix altissima, atque multiformes, et complexae earum propagines, derivationes et depeudentiae manifestentur, quae invicem ceu ramus ramo inseruutur, et alia in aliam veluti sibi subiectam dominatur; sicque totum coalescit, et disponitur corpus scientificum, quod *encyclopaedia*, vel scientia absolute accepta appellatur.

10.° Atque iu primis praestat animadvertere, si qua inter scientias intercedit necessitudo, eam ab arcta cognatione principiorum, quibus singulae superstruuntur, derivari. Eteuim principium cuiusque scientiae non est adeo supremum, et evideus, ut alio excelsiore, et clariore non egeat, unde per quamdam, peue dixerim, *idealem generationem* tam suarum veritatum soliditatem quam evidentiae fulgorem sibi mutuetur. Compertum quippe est veritates inferiores, et deductas (*verità di conseguenza*) ad veritates primas, et intuitivas fore referendas, et sic deinceps usque ad omnium supremam, indemonstrabilem, et irreductibilem, a qua caeterae successive dimanant, sitque ipsa caput omnium idearum, definitionum, et demonstrationum. Porro principium cuiuslibet scientiae peculiaris, quid est aliud nisi veritas quaedam specifica, quae alia generaliori refertur accepta? Eadem ergo cognatio veritatum ad iuvicem, in scientiis etiam

(1) Exemplo sit physica, quam, prout facta innuere videntur, quoddam magnum problema mechanicae rationalis optime vocaveris. Ast quantum operis remanet adhuc impendendi circa eius solutionem? In iisdem salebris haeret *phraenologia*, in iisdem chymica, physiologia, medicina, et fere omnes scientiae naturales ut ut aevo nostro plurimum iam progressae fuerint. Scientiae igitur sunt, non tamen philosophicae ob defectum ultimae rationis in ignotis naturarum essentiis latentis; atque illis scientiis magis accensendae sunt quarum principium haudquaquam in rei essentia, sed in qualitatibus vel actibus quibusdam eiusdem solidatur. Neque reponatur, plurimas ex causis physicis iam nobis esse compertas; vera enim causa in metaphysicis magis quam in physicis existit, prout in logica dicemus.

refunditur, easque simul alligat, et in unicam scientiam, in qua singula earum principia virtualiter implicantur, redigit.

Neque somniata, vel commentitia perquirimus, cum in inventionem *puncti centralis* omnium scientiarum movemur. Nobis iamdudum hac in re praeivit, viamque substravit Doctor angelicus, qui, subtilissima cognitionis analysi usus, ad apicem mentis, idest ad eius lumen, consurrexit, idque vocavit — *causam universalem cognitionis*, nec non *seminarium scientiarum* — (1), cui suffragatur Doctor seraphicus in — Itiner. mentis in Deum —.

Verum, propterea quod maximi momenti est, quod versamus, sit speciminis gratia sequens scientiarum reductio. Exemplo igitur accipiatur cosmologia, quae, ut omnes norunt, est scientia de mundo; cuius principium, in quod tota incumbit, est idea mundi. Huiuscemodi autem idea qui fieri potest, ut menti illuceat, quin psychologia, et theologia naturalis suppetias cosmologiae praetulerint, prior videlicet naturam sensibilem mundi sensibus perceptam, posterior originem, et fines mundi cohibens? Cosmologia ergo psychologia et theologia naturali initium nanciscitur. Praeterea psychologia praeviam supponit logicam qua adversus illusiones, et phaenomena idealistica, rationis principiis praemuniatur.

Neque logica principia veritatis praebere poterit, nisi ab ideologia adiuvetur, a qua sibi lumen cognitionis adsciscat: veritas enim est qualitas cognitionis. Praeter ideologiam autem nulla superest scientia, ad quam ulterius sit confugiendum, quia praeter *essentiam entis*, seu lumen rationis in cuius explicatione ideologia insistit, non preminet aliud lumen rationis sublimiora pariturum principia. Quapropter omnis inquisitio in lumen rationis frangitur, quia in eo omnes conceptiones, ait s. Thomas, absolvuntur. In ideologia itaque ultimo cosmologia inaedificatur.

Haec reductio itidem contingit cosmologiae respectu theologiae naturalis, quae in idea Dei, veluti in proprio cardine vertitur. Ast idea Dei ab ontologia componitur, quae primo ope abstractionis theoriam abstractam entis in trina forma realitatis, idealitatis, et moralitatis constituti sibi conficit, qua in theologiam naturalem sese insinuat, ubi, vi *ratiocinii integrantis*, Deum vel ens absolutum, reale ideale, et morale attingit. Quae tamen in Divinitatis inventionem progressio fieri non potest, nisi praenoscatur quid sit in primis ens morale; neque istud praesciri poterit sine praenotione entis realis, in quo moralitas recipitur; ens demum reale absque praeeunte ente ideali,

(1) De verit. XI, 1, ad 5. — Plura ex ss. Patribus hic forent excerpenda, et praecipue ex s. Thoma, quae in ideologiam, et ideogoniam reiicimus, quibus pedetentim praefamur, ne omnia in ianuis praepropere glomeremus.

vel essentia entis haud dignoscitur; ergo theologia naturalis, ideoque et cosmologia tandem in ideologiam conveniunt. Quod et caeteris scientiis applicetur. Unica ergo est omnium scientiarum origo, idcirco eadem in unam reductio. Quam bene itaque, et emphatice dixerat Thommasaeus: « per comprendere un atomo bisognerebbe conoscere tutto il mondo ».

11.° Nollem tamen, quis vestrum inde intulerit: ergo oportet omnes scientias callere, ut alicui funditus studeamus.

Id nonnisi ex dictis inferendum putamus: scientiae cuidam operam navanti opus esse principium saltem commune, et rudimentalem scientiarum texturam, et propagines cognoscere, ut sciat quo loco arboris scientifici sita sit scientia, cui addicitur, et quibus scientiis ipsa circumdetur, et unde sibi auxilia petat, ac fulciatur, atque quo tandem ultimo eius resolvantur principia. Profecto huiusmodi notitia imbuuntur, qui reapse docti in aliqua scientia aestimantur.

12.° Ex hisce hactenus sparsim dictis nonnulla eruuntur corollaria:

1.° Scientias, tametsi primo mentis appulsu, principiis, ordine, methodo ac fine plurimum contrariae videantur, vinculo cuiusdam logici *synthesismi* strictissime in unam colligari (1).

2.° Systema cognitionum humanarum, quibus ceu elementis scientiae conduntur, cuidam pene *pyramidi tetrüedrae* comparari; quae ab amplissima, cui superimponitur, basi, ad verticem usque sensim acuitur, ubi varietas, et multiplicitas in uno simplici, et indivisibili puncto concluditur, et absorbetur. Elementa siquidem fere innumera basis pyramidalis exhibent veritates peculiares propemodum infinitas, quae aliis veritatibus equidem generalioribus, sed numero paucioribus in aliis pyramidis planis successive decrescentibus adumbratis, sicuti corollaria in principiis maioris extensionis, includuntur, et ita porro de veritatibus in veritates progrediendo, quousque tandem pervenitur in verticem simillimam imaginem *veritatis ultimae* maximae universalitatis, et extensionis, unicae nihilominus, ac simplicissimae, quae in multiformes scientiarum familias sobolescit, et per universam encyclopaediam, regnumque idearum perinde ac lux per aetheram fulgens, splendores aeternos spargit.

3.° Iis scientiis prius esse incumbendum, quae alias in ordine logico antegrediuntur, ne retrahamur logicae inflexibilitate ad principium, quo discessimus, prius probandum.

(1) Tommasaeus magnam scientiarum synthesim sic perbelle enuntiat. « La scienza deve essere una come il fonte che usciva dal paradiso ad irrigar la terra... Quando occorra intendere il pensiero in un oggetto solo, allora le idee radunate di qua e di là naturalmente corrono a quello; come al formarsi d'un vortice i corpi galleggianti quietamente nell' acqua corrono ad aggirarsi bramosi in esso » Studi filos.

4.° Erroris coarguendos, qui scibile humanum ut opus musivum, vel centonem ex diversis fragmentis, et laciniis consutum, aut distracta scientiarum principia, ceu dissecta alicuius corporis membra spectantes, aliud in nna, aliud in alia scientia sectantur principium, id crebro in una respuentes, cui mordicus in alia adbaerebant. Unica enim est veritas, cuius totidem splendores sunt, cunctae, quae in scientiis versantur, veritates.

5.° Exordia scieutiarum ab ideologia tamquam ab radice communi deducenda, quam ideo optime *protologiam* vocaveris, non equidem praestantiae, verum potius originis ratione; (vid. praef. protolog.); deinde ad scientias *perceptionis*, atque postea ad *scientias ratiocinii* gradus successive est philosopho facieudus.

6.° Munus pbilosopbi eo praesertim spectare, ut systema veritatis unum, universale, et sibi consonum construat; nimirum veritatem prout supremis continetur principiis exacte describat, vel, ut in allatam similitudinem redeamus, prout in altioribus pyramidis scientificae gradibns consistit, paucarum quidem, sed universalium veritatum faecunda, quarum complexus ordinatus integram, et perfectam veritatis theoriam exhibet. Quod luculentius sequente capite subnexuri sumus, itemque alio ubi de *philosophiae divisione*.

CAPUT TERTIUM

DE ESSENTIA PHILOSOPHIAE

13.° Hactenus dicta probe intelligenti iam protinus manifestum fit quid oporteat nomine *philosophiae* significari, dummodo non quod eius *etymologia*, sed quod natura, eiusque in scientias primatus, ferunt, rite comprehendat.

Philosophia pro triplici quo mnnere fungitur; nimirum 1.° voluntatem ad rectam agendi rationem dirigendi, 2.° veritatem omnium praecellentem inquirendi, 3.° eamque inventam in unicam formam scientificam totum scibile bumanum circumplectentem ordinandi; trifariam quoque consideratur.

Primo sensu accepta nuncupatur, ut eius nomen indigitat, = studium sapientiae =; secundo = investigatio veritatis universalissimae =; tertio denique = systema, vel scientia eiusdem veritatis in scientias sese effundentis =.

Dimissa prima eius morali significatione, quae nobis heic minus confert, pbilosopbiam potius qua veritatis investigatricem, atque ordinatricem proprie sumimus, quam definimus: = *scientiam, quae in ultimas entium rationes inquirit* =. Rationes autem absolute, vel

relative ultimae dicuntur, et bifariam similiter philosophiam dividunt, ut ex mox dicendis patefiet (1).

Rationes ultimae nobis ea sunt responsa, quae percontationibus reponi solent, quibus tandem percontator assentitur, neque ulterius in sciscitando pergit, quia vix prolatis illico intelliguntur, desiderium sciendi compescunt, et refraenant, indita interim quadam menti suavitate, cui tamqnam veritatis fruitioni mens dulciter aquiescit. Quare philosophia, si vulgo loqui mavis, posset iure compellari: = *la scienza degli ultimi perchè delle cose* =, veritas enim rei est ultima ratio eiusdem, quam praetergredi nefas est (2).

14.° Quod tamen nobis non sufficit sic delibasse, sed quaedam superaddenda sunt, ut controversiae praeripiatur occasio, et cujuslibet in allatam definitionem extorqueatur assensus. Ex eo enim pendet philosophiae exitus, quae si bene definiatur, in verum recta contendit, sin falso, in scopulos prorumpit, hominemque in quaeque impellit absurda. Id ut maiori qua par est perspicuitate procedat sensum communem falli nescium adeamus.

15.° Vulgo ille aestimatur, estque iure philosophus, qui bene ratiocinatur. Iam age, ratiocinari quid aliud sonat, quam eorum, quae adseruntur, rationes reddere, quae mentem rei veritate captivent? Quae captivatio nequit adipisci, si *ultimae* non ferantur *rationes*, in quibus nedum investigatio, sed et ipsa desinat cognitio, adeo ut nihil super ipsas rationabiliter intelligibile remaneat. Intemperantis quippe ingenii est plus sapere quam oporteat, et ea transcendere quae tamquam cognitionis principia Deus nobis constituit. « Non enim, ait Doctor noster subtilis, est eorum ratio quaerenda, quorum non est ratio » (3). Ad ultima igitur rationis principia debet philosophus evehi, si plenam, et immobilem scientificam persuasionem, et imperturbabilem veritatis fruitionem consequi cupit. Illuc ratiocinio trahitur, etsi recuset; hoc siquidem expostulat eius munus susceptum, quemadmodum vel ipsum vulgus indixit. Nullum igitur du-

(1) Philosophia sive investiget, sive *systematizzet*, rationes ultimas semper inspicit, quas vel inquirit, vel inventas, eis caeteras veritates congregat, et disponit, ut inde systema emergat.

(2) « Nos tunc vere philosophari dicimur, cum, loquit Iamblicus, ab sensuum illecebris, et corporalibus functionibus abstracti pura mente in veritatis intellectione utimur, atque in essentias rerum, in quibus veritas est, et sapientia, intendimus ». In expos. symb. Ast ultima ratio rei est veritas eiusdem, vel, si cum Forcellini loquamur, est *vera ratio*. Vico idem docet « La filosofia contempla la ragione (lumen rationis) onde viene la scienza del vero ». Scienz. nuov.

(3) *Quodh.* 9. XVI.

bium est, quin adducta philosophiae definitio tantae disciplinae indoli apprime cohaereat.

16.° Inde sponte sua liquet 1.° conditiones logicales verae definitionis omnes in hac definitione manifeste enitescere; neque proinde opus esse hisce elucidandis immorari, cum tanta sit in ea brevitas, perspicuitas, et praecisio quoad genus, et differentiam, ut popellus indoctus ea utatur ad discernendum philosophum, et quo ipse eniti debeat, commostrandum.

2.° Moramur potius dotibus eius plane singularibus, quippe quae praeter naturam philosophiae, etiam modum quo exercetur, disserte exprimat, cum non dicatur, inquirere vel cognoscere utcumque entia, sed magis *ultimas rationes* eorum; hoc sane officium praecipuum est philosophi, quod saepe tamen numero, imo semper a definitionibus philosophiae abigitur, prorsusque reticetur.

3.° Praeterea exponit etiam quam evidentissime indefinitum scientiarum progressum, qui ideo protrahitur, quia aliae atque aliae rationes rerum possunt semper inquiri, donec ad ultimam perventum non fuerit. Quare scientiae quo altiores consurgunt, eo perfectiores iudicantur, quia propius *ultimas rationes* accedunt, quae, statim atque comperiuntur, ad instar pene dixerim cuiusdam fluidi in scientias irruunt, undique eas permeant, ac pervadunt, vitam, motum, firmitatem et ordinem elargientes, quibus scientiae resurgunt, reflorescunt et quasi transformantur. In unitate enim vita consistit, cui si varietas coadunetur, tota illa componitur, movetur, et vivit (1), atque id acquiritur quod *philosophia* nuncupatur.

4.° Denique iam praeludit, quam bene philosophia cum theologia consonet, cui, per investigationem rationis logicae *absolute* ultimae, cuiusmodi est essentia entis, vel idea existentiae, sive lumen rationis, ut ancilla dominae famulatur. De quarum affinitate fusius suo loco dicemus, ubi philosophia digitum veluti ad theologiam intendere videbitur.

5.° Interea philosophiae illud AEneidis aptari potest: « sed summa sequor fastigia (vel primordia) rerum ». Neque proinde a vero abscessit Baco cum indixerit scientiam universalem conficiendam fore, quae in fastigiis rerum rimandis adhibeatur (2).

(1) Ne quis in errorem adducatur, observet, hominem rationes ultimas rerum invenire posse, imo oportere, si de rationibus logicis agitur, quarum absolute ultima est *idea entis;* ad rationes ultimas ontologicas vel metaphysicas, quamdiu in terris deget, numqnam pertingere, iisque tantum magis accedere, et quasi eas ratiocinio delibare.

(2) Quod Baco excogitandum proposuerat, diebus nostris viri doctissimi Patrum vestigia legentes, confecerunt, quorum sensa alibi data opera afferentur. Deinde haec nostra prolegomena de philosophia in genere specimen sunt lucu-

17.° Rursus ut adducta philosophiae definitio in perspicuis omnino habeatur, iuverit paullo attentius *rationes ultimas* discutere.

Rationes huiuscemodi vel sunt ultimae respectu omnium scientiarum, idest *absolute;* vel respectu alicuius scientiae peculiaris, seu *relative* dumtaxat. Prioris generis nonnisi unica est, et quae ultimae fortasse censeri possent, ac sunt principia rationis, nimirum *contradictionis, substantiae, causae*, aliaque mathematica axiomata, reapse ultimae non sunt, sed ab illa prima, quae est *idea* vel essentia entis universalis, dimanant, quemadmodum opportunius in ideogonia videbitur.

Posterioris autem generis eae ultimae dicuntur, quae in essentia specifica, vel generica rei continentur, vel potius sunt ipsae essentiae rerum. Hinc essentia hominis est ultima ratio anthropologiae, essentia veritatis ultima ratio logicae etc.

Porro philosophia quatenus in rationem absolute ultimam intendit, dicitur *philosophia generalis*, quae est unica, ac artium scientiarumque omnium mater, et magistra, quae dici etiam consuescit: *scientia*. Quatenus vero rationes relative ultimas perscrutatur, nuncupatur *philosophia specialis*, quae secundum scientiarum numerum dispescitur. Hinc habetur philosophia iuris, ethices, physices matheseos, politicae, historiae, eloquentiae etc., prout inquiruntur rationes ultimae iuris, ethices, physices etc. Ex qua distinctione patet philosophiae naturam non immutari, sed eo semper provehi, ut ultimas entium rationes perquirat. Ideoque haec divisio ab nostra definitione non respuitur, quin imo ipsa virtualiter implicatur.

Demum cum rationes ultimae rerum ideis contineantur (1); ideae

lentiasimum formationis scientiae universalis exoptatae, quia revera eo tendunt, ut naturam philosophiae universalis praenuntient, atque explorent.

(1) Ratio aliud est ac causa; illa quippe ad ideas, ista ad realia pertinet. Ratio enim est *idea*, quae in demonstrationem alicuius veri, vel facti producitur; causa autem est agens, quod effectum producit. Tamen causa fieri etiam potest ratio, cum intelligitur, idest in quantum in idea est. Exinde elucet rationem prae causa patere, quia etsi causa ut ratio rei considerari possit, adsunt tamen rationes, quae nequeunt causae appellari. Sic natura intellectiva hominis est ratio amoris, et reverentiae, non causa. Alias si ratio, et causa simul permiscerentur, philosophis ad scientias naturales causis insistentes reduceretur, sd quas respae coercent qui philosophiam vocant = scientiam causarum =.

Item non est praetereundum rationes ultimas entium esse vel logicas, vel ontologicas, seu metaphysicas. Priores sunt ideae rerum, et maxime earum ultima, ideat *idea entis*, quam philosophia regressiva, ut mox videbitur, investigat. Posteriores vero in Deo consistunt, imo Deus ipse sunt, et studio ontologiae, et theologiae naturalis, quae philosophiam progressivam complent, adaequuntur. Utrasque ergo rationes philosophia perquirit, primo logicas, unde

vero etsi hominis non sint, utpote eo excellentiores, et aeternae, attamen eius menti pandantur, a qua si divellantur, incompertae fiunt, et avolant, hinc consequitur philosophiam posse etiam quodammodo definiri: = scientiam hominis =; studium enim hominis perfectum totam philosophiam fere peraequat: « lo studio dell' uomo inquit Pope, è l' uomo stesso »; homo quatenus rationalis.

18.° Hisce constitutis iam haec ingruunt corollaria:

1.° Philosophiam non tantum ad ideologiam, logicam, psychologiam, cosmologiam etc., aliasque quae in scholis philosophicis traduntur, coarctari, etsi hae scientiae principaliores sint, maiorisque momenti; sed tam longe, lateque dilatari, quantum cognitio humana. Quare illa inscriptio: — *philosophia universa* —, quae elementis philosophicis scholarum imprimi solet, ratione principiorum (1) vera est; ratione autem extensionis, falsa, cum illis chartis tota sane philosophia non concludatur!

2.° Quamlibet scientiam posse doctorum industria et labore, philosophicam evadere, si ad ultimam rationem sui obiecti propellatur.

3.° Philosophiam generalem quoddam esse scientiarum vestibulum, vel pronaum quo ipsae unico, et supremo puncto eurithmice innodantur; atque, philosophiam animae, mundi, Dei, iuris, ethices, etc., esse totidem philosophiae generalis partecipationes, et applicationes.

4.° Philosophiam generalem ex ultima ratione logica, seu *idea entis* prosilire et in Deum ceu ultimam rationem ontologicam, et metaphysicam pervenire, eoque compleri (2).

5.° Quo philosophia completur, inde initium theologiam habere, et altius, ob lucidius lumen quo illustratur, evehi.

exordium sumit, deinde ontologicas, vel metaphysicas, quibus absolvitur, et theologiam supernaturalem ingreditur. « Le ragioni ultime, inquit Rosmini, » al di là del mondo, e le ragioni ultime nello stesso mondo, ecco l' oggetto del- » la filosofica disciplina, che così prende i due ultimi e più elevati gradini della » immensa piramide scientifica, e s' occupa della comune sommità delle scien- » ze negletta pur troppo, ed anzi in questi tempi superbi di materiali godimenti » e pensieri, ravvolta nel fumo e nella caligine ». Vid. egreg. opus — Introduzione allo studio della filosof.

(1) Dummodo vera ac universalia praebeantur principia; aecus etiam respectu principiorum inscriptio mentiretur.

(2) Rationes rerum dici aeque possunt ultimae, et primae: ultimae in ordine advertentiae, vel reflexionis, quae abstrahendo tandem ad eas pertingit: primae in ordine cognitionis directae, quia iis primo mens utitur, etsi non advertat.

CAPUT QUARTUM

PRECIPUAE RECENSENTUR AC REFUTANTUR PHILOSOPHIAE DEFINITIONES HACTENUS TRADITAE

19.° Ne nostra dumtaxat venditare videamur, alias philosophiae definitiones ducimus afferre, nostraeque eas exigere, ut dubium procul pellatur. Nihil enim adeo error veretur, quam conspectum veritatis, cui si adactus adstat, eius fulgore exterminatur, ut tenebrae sub illucentem diem. Qua in re diobolares philosophos haud moramur, qui posteaquam vexillum philosophiae circumtulerunt, seque philosophos esse perstrepuerunt, tandem quadam desperatione acti, dixerunt: — philosophiam indefinibilem esse —. Huius sententiae est Laromiguiere (1). Ad illos potius, qui pro suo quisque ingenio eam definierunt properamus. Quorum definitiones ad tres classes primarias reducemus, eisque debitam confutationem appingemus.

20° Hujusmodi definitiones triplicis generis sunt; ontologicae, ideologicae, et morales. Ontologicae eae sunt, quae philosophiam exhibent qua scientiam = realium eorumque relationum =, vel = phaenomenorum adspectabilis huiusce universi =, vel = rerum divinarum humanarumque, et causarum entium =. Ideologicae vocantur illae, quibus philosophia dicitur scientia = cogitationis humanae =, sive = primorum rationis principiorum =, aut = idearum possibilium = intelligibilium =. Morales denique accedunt, quae philosophiam perhibent ut scientiam = vitae =, aut = virtutis =; ut = animae medicinam =. Hisce definitionibus omnes referri possunt passim procusae, quas praeterimus amore brevitatis.

21.° *Criticae animadversiones*. Praeterquamquod praefatae definitiones in eo omnes peccant, quod essentiam philosophiae, quae maximi est, praetergrediantur, neque clare quidem, et perfecte obiecta eiusdem, quae caeteroquin specialiter eidem spectant, determinant; cum vel ad ontologiam, vel ideologiam, vel moralem exclusive ea coarctent contra philosophiae naturam, quae ad entia cuiuslibet categoriae, quibus fertur, et porrigitur cognitio humana, extenditur sine ulla suae essentiae divisione. Etenim etsi ens triplex sit in forma, realitatis nimirum, idealitatis, et moralitatis, unicum tamen in essentia est, semperque *ens* sub qualibet forma. Quapropter omittunt tam unitatem entis, quam eius trinitatem formarum, quibus omissis corruit philosophia (2). Demum obiecti determinatio nondum sufficit, cum plures scientiae saepe eidem obiecto studeant.

(1) Leçons de Philosoph. p. 2. leç. 1. — Anne erravimus cum initio dixerimus, crebro philosophos philosophiam plane ignorare?

(2) Caeterum iam praemonuimus philosophos ut plurimum non philoso-

Non defuerunt qui philosophiam dixerunt, = scientiam veritatis =, quibus ultro assentimur, quia, ut dictum est, veritas est ultima ratio rei. Optaremus tamen, ut isti, quorum coriphaeus est Aristoteles, nitidius naturam veritatis exposuissent, ut inde statim elucesceret an philosophiam generalem, vel peculiarem acceperint. Quod ipsum non praeteriit Aquinatem, qui cum hanc definitionem Aristotelis in prooemio contra Gentes retulisset, subdit: « primam philosophiam Philosophus (Aristoteles) determinat esse scientiam veritatis non cuiuslibet, sed ejus veritatis, quae est origo omnis veritatis, seu quae pertinet ad primum principium essendi omnibus; unde et sua veritas est omnis veritatis principium ». Philosophia ergo, juxta S. Thomam est: = scientia veritatis universalissimae, et primae =. Quae definitio in nostram perfecte recidit, atque naturam philosophiae generalis adamussim enuntiat.

22.° Quam igitur immerito Cl. Bertini nostram definitionem inter ideologicas ablegat! Nonne enim ostendimus rationes ultimas triplicis generis esse, logicas, et ontologicas seu metaphysicas, et morales? Hujus profecto erroris incusari mereretur, si additum fuisset: *rationes ultimas logicas inquirit* (1). Quod cum omissum fuerit, ne erroris insimularetur, non videmus quomodo haec nota merito impingi nobis queat. Philosophia igitur, ut idem recoquamus, primo investigat rationes ultimas logicas, quibus munita ad rationes ontologicas provehitur, atque morales, iisque absolvitur (2). Ipse potius philosophiae detraxit, qui violenter ad scientiam realitatis tantum exercuit, atque in eam incurrit confutationem, quam definitionibus mere ontologicis ursimus. Demum etsi circa realia versaretur, non est adhuc dicendum, quod realia sint obiecta immediata philosophiae. Norunt enim omnes, realia, Dei realitate excepta, percipi non posse sine idea-

phiam, sed eorum systemata definire. Hinc qui operam ideis navabant vocabant philosophiam = scientiam idearum =; qui in sensationes = scientiam sensationis =; qui in virtutem = scientiam virtutis = etc. Atque hinc factum est, ut tot exierint philosophiae, quot delirabant capita philosophantium, qui absque pietate philosophiam membratim discerpebant, ut eam suis aptarent praeconceptis praeiudiciis, suisque comprimerent angustiis; adeo ut quidam ausi fuerint etiam = scientiam dubii = vocare, ut scepticismo, cui devovebantur, accommodarent.

(1) Confutatio Bertini in Platonem melius quadrat, qui philosophiam dixit = scientiam idearum =.

(2) Obiectum enim philosophiae est ens cum suis tribus formis, idealitatis, realitatis et moralitatis, quas ut primum philosophus comperiit, tres supremae vel ultimae ipsi rationes fiunt in totam philosophiam dominantes. Conf. Cl. Paganini opusc. *quod* inscribitur — *il P. Bernardo e la Civiltà Cattolica* — ubi plurimos enormes nunc gliscentes insectatur errores.

rum interventu, quippe quae intelligibilitate destituuntur. Quapropter etiam illae scientiae, quae realia inspiciunt, ea ut cognita, seu in ideis contenta considerant, non ut sensitive tantum percepta: ideoque quaevis scientia ideis rerum semper componitur, quas modo realibus applicitas, modo in seipsis animadvertit. Exemplo sit physicus, qui de obiectis physicis praesentibus aeque ac absentibus loquitur. Olet ergo sensismum definitio Cl. Bertini, a quo tamen summopere abhorret. Rursus, cum ideae neque animae neque alterius substantiae sint modificationes, sed entia idealia patet definitiones philosophiae, quas logicas vocant optime etiam ontologicas nuncupari; ontologicas inquam saltem elementares.

CAPUT QUINTUM

DE GENUINIS PHILOSOPHIAE CHARACTERIBUS

23.° Duo ex praecedenti definitione fluunt philosophiae characteres, qui eam magis magisque *specificant;* unitas nimirum, et totalitas, vel universalitas, quibus philosophia perhibetur ad instar radicis unicae, quae scientiarum totalitatem germinat; vel melius, exhibet imaginem universi, cujus immanis varietas in unitatem systematis mundialis confluit. Praeclare Seneca adprecatur: « utinam quemadmodum universi mundi facies in conspectum venit, ita philosophia tota posset occurrere, simillimum mundi spectaculum. Profecto omnes morales in admirationem sui raperet, relictis his, quae nunc magna, magnorumque ignorantia credimus » (1). Senecae astipulatur Baco: « nos eo spectamus ut in mentibus hominum sacrum quoddam excitemus templum, quod hunc mundum repraesentet » (2).

24.° Quod indubitanter consequetur, si philosophia suis in elucubrationibus, naturae magisterium promis auribus excipiat, nec vel latum quidam unguem ab ea desciscat. Hac enim ratione certo ad lumen rationis nobis originaliter inditum, ut germen ab unguiculis tenerrimis ad seram usque senectam in multiformes ideas, sensim occasione sensus, et verborum evolvendum, perveniet; atque inde, dummodo

(1) Ep. 89.

(2) Novi Org. 1,120. — Omnimodam, quantum fieri poteat, doctrinarum, et artium unitatem etiam praedicat Cicero In Oratore c. 5-6 — Etenim philosophia circa *ens* vertitur; ens autem utpote unum in essentia, omnia entia complectitur, et in unitatem colligit, ut bene animadvertit S. Aug. — De moribus Manich —. ideoque nil debet ipsa praeeligere, nil abigere, sed omnia saltem per summa capita expendere, si ad apiritualia rerum ligamina, et inde ad excellentissimam unitatem cognitionis erigi cupit. Non ergo potest veritatem dimidiare, aut discindere, sed totam, prout licet, contemplari.

ab ejus intelligibilibus fulgurationibus oculos non removeat, provenire perspiciet, si quid cognitionis, si quid idealis, si quid veritatis, si quid certitudinis, si quid scientiae in homine splendescit, ut totidem emanationes unius, et identicae *formae veritatis universalissimae* intellectui constanter obiectae; idest ut derivationes *luminis rationis*, quod cognitionum aeque ac philosophiae unica, et universalis radix est immensae foecunditatis, et veluti fons totius fluminis vitae intellectivae. Quapropter S. Thomas aperte dixit; « per unum intellectum fiunt etiam alia intellecta » (1). Atque id intra ordinis naturalis confinia concludi tantum intelligimus.

25.° Philosophia qua una, pacem et firmitatem cognitionibus, qua universalis, uberrimum pabulum spiritui elargitur, quo expletur.

His characteribus caret philosophia sensationis, quae expellit 1.° primum intelligibile, quod sigillum unitatis scientiis imprimit; 2.° essentias rerum inficiatur, quae sunt totidem principia unitatis specificae, vel genericae (2) 3.° destituitur etiam universalitate, vel totalitate, quia partem hominis intellectivam, entia intelligibilia, et abstracta, quibus scientiae purae construuntur, negligit et ignorat.

Idem dicatur de philosophia materialistica, subiectiva, rationalistica, pantheistica, sceptica etc., quae binis adductis characteribus expoliantur. Sed quot systemata philosophica statim exploderentur, si paullulum praedictis quis uteretur characteribus!

26.° Habetur amplius id utilitatis, quod philosophia una simulque universalis, quemadmodum unam ingerit sententiam mentibus ob unitatem veritatis, sic unum affectum cordibus infundit propter idem bonum, quod insinuat. Quo fit ut vera philosophia plurimum Religioni Christianae a PP., in quam recte ducit, similetur. Religioni quippe Christianae mirandi etiam insunt characteres unitatis, et totalitatis; unitas in Verbo humanato, quod est *Veritas personalis*, et *subsistens*, cui omnia tum ordinis supernaturalis, quae nobis revelata sunt, tum ordinis naturalis, quae luce Verbi humanati *instaurata*, et *perfecta* sunt, referuntur accepta (3). Quare philosophia vera, est fidei propedeutica, atque Religionem Christianam a longe ferme adumbrat, eiusque proinde characteres unitatis, et to-

(1) Sum. 1, LXXIX, IV. — Quod, ut vidimus, in proemio ad Gent. confirmat dicens, « obiectum philosophiae esse veritatem universalissimam ».

(2) Unitatem non sensu, sed mente veritate instructa nonnisi cognosci, manifesto declarat s. Aug. De ver. Relig XXXII. — Propterea quod vera philosophia una simul, et universalis est, ideo Seneca eam sibi sufficere tradit, et *autonomiam* ei tribuit, quam scientiis singillatim sumptis denegat — Ep. 88.

(3) S. Iustinus, apolog. secund. n. 13. — S. Clem. Alex. cohortatio ad gent. n. 11. — S. Aug., de doctr. christ. II. XL.

talitatis ab veritate abstracta, ideali, et rationali provenientes, iam praefigurant alios pares characteres in *Veritate personali*, et aeterna consistentes, ex qua omnia bona prodierunt; de ea enim, etsi artes, et scientias non expresse tradiderit, scriptum est docuisse « omnem veritatem » (Io. XVI, 13); quia Christianismus est « scientia veritatis » (1). Ideo Patres Ecclesiae philosophos ad fidem provocabant, tum ut corrigerentur, tum ut nova quae nota perficerent, ediscerent, quia veritas illa, quae sub paucissimo lumine rationis, ideas rerum, idest veritates nobis ingesserat, novissime haec ipsa ore nostrae humanitatis locuta est, et semitam veritatis revelavit cum humanis Verbum apparuit. Proindeque Christiani veritates philosophorum tamquam proprias sibi vindicant, utpote a Verbo profectas, cuius gratia ipsi in « veritate ambulant (2), et adlecti sunt in fide veritatis (3), et in veritate sanctificati » (Io. XVII.).

CAPUT SEXTUM

CUR PHILOSOPHIA VOCETUR — STUDIUM SAPIENTIAE —

27.° *Philosophia* nomen est grecae originis, quod quidam ut *sapientiae* amorem, quo estuabat, promeret, primo protulit. Fertur enim Pythagoras Regi Leonti, qui ei poposcerat cuinam scientiae vacaret, respondisse: ars nulla mihi est, neque ulla potior scientia; *philosophus* iam etenim, idest non sapiens, sed sapientiae inquisitor, et amator (4). Humillima sane confessio!

Etiam sub hoc respectu accepta philosophia nostram ingreditur definitionem, cum sapientiae sit, ajunt Aristoteles, et Doctor Angelicus, scire altissimas causas, idest ultimas *rationes*, quae homini sunt et criteria evidentissima cognitionis, et regulae tutissimae morum; ex cognitionum autem et actionum unione *sapientia* proprie coalescit (5).

(1) Ep. II. ad Timoth. c. III. 7.

(2) Io. ep. III. v. 4.

(3) Thess. ep. II. 11, 12. — Digna est quae legatur cohortatio ad Gentes Clementis Alexand., qui inter caetera hoc pulcherrimum dicit — « Nulla est doctrina, quam is (Christus) non tradit, ipsique, (hoc est Verbo), universus iam orbis terrarum Athenae atque Graecia factus est ».

(4) Cic. qq. tusc. I. 5 — s. Aug. De Civit. Dei VIII, II. — Cic. de Off. L. II. c. 1.

(5) Philosophia etiam qua studium sapientiae characteribus unitatis, et totalitatis emicat. « La filosofia, inquit Rosmini, è l'amore e la ricerca della » sapienza secondo l'origine della parola. Che cosa adunque vuol dire una fi» losofia fornita dei caratteri dell'unità, e della totalità? Nient'altro se non » una filosofia diretta alla vera scienza: un amore, una ricerca, mediante la

28.° Verum pretium est operis naturam *sapientiae* fusius aliquanto pertractare.

Sapientia ab *scientia* distinguitur, quamquam veteres Eleatici, et neoterici Trascendentales Germaniae simul eas miscuerint. Iis tamen etiam ex veteribus non omnes id concessere, penes quos bina sapientiae elementa, cognitio videlicet, et operatio, saepe distinta occurrunt. Cognitio est elementum theoreticum, operatio elementum practicum. Atque ideo contigit ut sapientiam definierint: = plena et perfecta scientiae cum justitia, et morum sanctitate conjunctio =; vel = veritatis cum virtute conformitas =. Quapropter scientia est elementum theoreticum sapientiae, cui addendum est elementum practicum voluntatis. Ecquis ignorat hominem improbum saepe doctissimum esse; et scientiae imperitissimum sapientis laude interdum florescere? In quod concedit Seneca, qui tametsi quandoque scientiam, et sapientiam promiscue acceperit, interea dicit, « maximum hoc est offi» cium sapientiae, et indicium, ut verbis opera concordent, ut et » ipse (homo) par sibi idemque sit (en consensus intellectus cum » voluntate); non enim potest cuiquam placere nisi rectum »: philosophia ergo qua *studium sapientiae* plus et aliud est quam utpote *scientia ultimarum rationum*.

29.° Sapientia etsi per essentiam una, duplex est per formam veritatis, cui voluntas bona obsequitur. Alia est vulgaris, alia philosophica (1). Eo enim est sapientia nobilior, quo perfectior est cognitio veritatis, qua praestantiores rerum dignitates cognoscuntur, in quas necessario etiam purior vehementiorque excitatur dilectio. Cujus adeo nobilis cognitionis vulgus est prorsus ineptus. Quocirca et ejus voluntas tepescit, neque potest tantum inflammari, nisi alio superno, et vividiore lumine collustretur, quod limites rationis excedat.

Atque jam inde evidenter notescit cujusnam sapientiae sint munia, recte judicandi, prudenter ordinandi, ac bene gubernandi (2), quae

» quale l'uomo ai studia colla propria ragione di avvicinarlesi più ch' egli possa » indefinitamente quasi a limite de' suoi voti, e de' suoi pensieri... Perciò » una vera filosofia deve essere imparziale, deve tutto amare, e nulla odiare... » Solo questa filosofia, che abbia per caratteri l'unità, e la totalità delle cose » è la madre di una vera benevolenza, perchè que' due caratteri sono la *virtù*, » e la *verità* ». Introd. etc. — Ideo Vico tribuit philosophiae primatum scientificum propter sapientiam, quam tradit — scienz. nuov.; ibique refert etiam Platonem, qui posuerat — sapientiam hominem perficere —. Leibnitius eam dixit = scientiam felicitatis =.

(1) Vico id quoque docet — scienz. nuov. etc. — Cic. de Off. L. II. c. I. » veritas alia est vulgaris, alia philosophica, haec illam antecellit ».

(2) S. Thomas contra Gent. L. I. prooem. — Aristot. Metaph. L. I. — S. Tho-

communiter sapientiae adscribuntur. Ex praestitutis perspicuum fit, hujuscemodi officia ad sapientiam philosophicam exclusive pertinere, quae in ultimas entium rationes suspicit, et fulgentiore veritatis pulchritudine capta, fortius in ejus obsequium voluntatem perducit; « nil enim enixius, ait s. Augustinus, homo desiderat quam veritatem »: quae quanto splendidior menti rutilat, tanto validius ipsi dominatur, eique perficit intellectum, et cor. Hinc juvenibus ardor sciendi incalescere opus esset, non ut tantum in scientiis proficiant, sed, quod nobilius est, ut in sublimiorem sapientiae gradum rapiantur.

Denique tam ultima ratio logica, idest *idea*, vel *essentia entis*, cui philosophia primo sublevatur, quam ratio ultima ontologica, vel metaphysica, atque moralis, nempe Deus, quam postremo attingit, ostendunt evidentissime *ens* licet unum in essentia, trinum in formis esse, idest reale, ideale, et morale, quae formae intriuseco, et essentiali ordine ita disponuntur, ut una in alteram non pugnet, sed simul miro foedere socientur, ut evenit rei alicujus attributis. Quamobrem homo, qui trinam entis formam imitatur, ac pollet facultatibus sensitivis, intellectualibus, et moralibus, per philosophiam debet apprehendere facultates sic invicem conciliare, ut inferior superiori haud praevaleat, sed sensitivae intellectualibus, istae autem moralibus subiaceant, quod est entis similitudinem gerere; in ea enim subordinatione vera consistit sapientia. Quantae ergo necessitatis est homini studium philosophiae! Utinam omnibus propinari posset.

30.° Quoniam vero philosophus christianus praeter sapientiam naturalem, ad supernaturalem Dei miseratione per Verbum suum etiam factus est, abs re sane non erit quidpiam adiicere quoad hujuscemodi sapientiam supernaturalem, quo ejus ab naturali discrimina internoscantur.

Satius in primis nobis est, si ex pluribus adnotamus, sapientiam supernaturalem essentialiter ab naturali differre, quia ejus elementa, etsi bifariam quoque dividantur, alterius, et plane diversae naturae sunt. Enimvero elementa sapientiae naturalis sunt: 1.° veritas idealis, incompleta, et initialis; 2.° actio voluntatis naturaliter bonae, seu virtus naturalis. Elementa contra sapientiae supernaturalis sunt: 1.° veritas absoluta, completa et subsistens, Verbum Divinum, quod ignescente quadam luce mentem supernaturaliter pervadit, illustrat, et movet. 2.° charitas Spiritus Sancti sese charismatum do-

mas S. 1, 11. LVII, 11. — Hinc sapientiae philosophicae illud Aristotelis applicari debet = sapientia altissimas causas inquirit =. Verum philosophia quatenus *amor* est et *studium quo* sapientiae, est seipsa qua scientia ultimas inquirens rationes praestantior, quia utpote studium sapientiae nedum intellectum illustrat, sed et voluntatem movet, dirigitque ad bonum supremum.

nis cordibus humanis effundentis et inhabitantis: supereminentioris ergo qualitatis est sapientia supernaturalis, cujus respectu, sapientia naturalis initium illius est, eique praeambula, eo plane modo, quo philosophia est ad theologiam propedeutica. Quapropter, nulla est inter eas necessitudo, qua una alteram necessario postulet, quia sapientia supernaturalis est omnino donum Dei gratuitum, quod homines efflagitare quidem poterunt, numquam vero iure mereri. Si quis aliter sentiret in semi-pelagianismum impingeret.

Aliud notatu dignum remanet inter praefatas sapientias discrimen, scilicet, quod elementa sapientiae naturalis sint invicem realiter distincta, quorum alterum theoreticum est, et ab homine plane independens, talis est *veritas;* alterum practicum, et hominis, ut, actio voluntatis; atque unum sine altero haberi subinde potest. In sapientia contra supernaturali, elementa sunt aeque ab homine independentia, atque unum sine altero infundi nequit, quia etsi aliud distinctum significent, unum tamen alterum suo modo continet. In *Veritate* enim *Charitas* est, et vicissim. Quod perspicuitatis gratia verbis Cl. Philosophi iam citati praestat illustrari: « *Verità* e *Carità* » significano cose diverse ma ciascuna di esse comprende l'altra: in » ciascuna è il tutto; ma nella Verità è la Carità come un'altra, e nel- » la Carità è la Verità come un'altra: se ciascuna non avesse seco l'al- » tra non sarebbe più dessa. Laonde se la Verità esprime Dio nella » persona del Verbo, come disse il Verbo stesso; la parola Carità espri- » me il medesimo Dio nella persona dello Spirito, come è scritto, Id- » dio è Carità. Laonde chi ha questa Verità ha con essa la Carità, » che l'adempie, e chi ha questa Carità ha la Verità adempita... La » Verità è data all'uomo in un modo implicito e potenziale, il che S. » Giovanni esprime dicendo, che nel Cristiano dimora il *seme* del Verbo » (I, 10. III, 9), quel seme onde l'uomo è rinato. L'esplicazione » di questo seme ne' diversi uomini è più o meno e sempre limitata e » si fa in ordine . . . alla perfezione morale, ed alla felicità dell'uomo. » Lo stesso si dica della Carità che è l'esecuzione e la *sostanziazione* » della Verità; onde nelle scritture si nomina la *Carità* della *Verità* » (II Thess. II, 10), e si esorta a fare la *Verità* nella *Carità* (Eph. » IV, 15); è una *Verità* che si fa colla *Carità* » Introd. ec. Plura de sapientia supernaturali dicenda essent, quae philosophiam transcendunt, quaeque ideo omittimus.

CAPUT SEPTIMUM

DE SUPREMO PRINCIPIO TOTIUS PHILOSOPHIAE GENERATORE (1)

31.° Acerrimae jampridem efferbuerunt, et etiamnum recrudescere caeperant controversiae super primo principio totius philosophiae *generatore*, propterea quod res maximi equidem momenti agebatur. Quandoquidem ubi a vero principio, ut oportet, tota philosophia scaturiret, recte etiam progrederetur, et in scopum intentum certissime collinearet; sin autem male inciperet, in progressu quoque a veritatis tramite deflecteret, et praeceps in errorum pelagum tandem miserrime rueret. Opus nobis est igitur, si quae ingenii vires nobis suppetunt, eo maxime eas periclitari, ut radix totius genealogiae philosophicae, pene dixerim, effodiatur, et in lucem prodeat. Nobis etiam ista inquirentibus facem praetulit Angelicus, qui saepe praecipit, « in » demonstrationibus oportere in aliquod per se notum et primum re» ductionem fieri, ne in infinitum iretur, et sic scientia et cognitio » perirent » (De Verit. art. 1.). Ei cohaeret Doctor Seraphicus in opere citato. Itiner. etc.

32.° Historiam philosophiae vel obiter perlustrantibus certo patuit, quosdam viguisse, quibus Deus et mundus unum idemque indistinctum videbantur: idcirco philosophiam a Divinitate res mundanas vel complectente, vel eructante sumpsisse. Ita mehercule censuerunt cujusque aetatis pantheistae et emanatistae, qui tam rerum, quam scientiarum a Deo ducunt exordia.

33.° Quibus partim neotericos *ontologos* (2) astipulari haud temere quis suspicaretur. Si enim, cum vel habituali ratiocinio, vel divina revelatione, (etsi pervicaciter iis in Deum nos ferri pernegent), compererint ideas humanas veras esse idearum divinarum participationes, ideas autem divinas Dei essentiae realiter identificari, inde

(1) Praemittendum ducimus, in inquisitionem principii formalis vel intelligibilis scientiarum nos directe moveri, non quia existimemus, principium eiusmodi sufficere scentiarum formationi, cum manifestum sit mentem indigere etiam materia cognitionis, et ideo partem a rebus, ut sit S. Thomas, scientiam accipere; sed quia hoc est maximum, et difficilius, cum contra omnes sciant, materiam sensibus percipi, ac sentiri.

(2) Quo in censu veniunt Schelling, Hegel, Cousin, Bardilli, et Gioberti, qui postremus prae caeteris id habet novitatis, quod primus fuerit (ita enim se isctat), qui Patrum theoriam *visionis idealis Divinitatis* (ipse dicit) in pantheismum pronam (prosequitur) emolliverit, et castigaverit, appingendo intuitum *actus creantis*, quem Patres posthabentes occasionem praebuerunt pantheismo, imo ipsimet in pantheismum dilapsi sunt! Eius commenta opportunius in ideogonia referemus, ne eadem refricentur.

prorsus deduxerunt, etiam ideas humanas in divinis insidentes nos iugi et immediato intuitu suspicere, Dei substantiam, et consequenter et eius essentiam, quae ne mentaliter quidem a substantia sejungitur, directa mentis acie contemplari, indeque sibimet originis tam mundi, quam philosophiae, cognitionem primo adsciscere, ac propterea Deum nedum qua rerum principium, sed et totius philosophiae, ut ajunt, axioma, perinde ac si ipse principium logicum esset, inaugurant, eumque se immediate videre, et scientiae telam ex ipso evolvere vociferant.

34.° Sancti Ecclesiae Patres crebro, sive ob Dei praestantiam qui omnibus creaturis infinite supereminet, sive, quod verius est, ob munus Theologi, quod ex-professo obeunt (1), vel etiam quia philosophiam, haud certe in suo exordio, sed ut plurimum in suo complemento, quod in Theologia naturali adipiscitur, accipiunt, ideo videntur philosophiam a Deo interdum auspicari, ceu ab eius principio generatore et evidentissimo; sicque fidem inter et rationem discrimen quoad profectionis principium adimere, easque simul aequare.

At eorum agendi ratione attentius ex dictis expensa, aliter constabit. Duplici enim officio Patres saepe sane numero fungebantur, Theologi, et Apologetae; quibus in muniis fungendis a Deo protinus exordiebantur, in quem haeretici et philosophi Ethnici iam credebant, ut eos argumentis a Divinitate exprom ptis promptius profligarent, et ideo in Deum laudes cumulabant ut in principium maximum omnium rerum, scientiarum, et universae philosophiae, cuius altissimus finis est, ait s. Augustinus, docere quod sit omnium rerum principium sine principio. Quod utique vera philosophia praestitit non quidem in initio sui, sed cum adoleverit, et in finem vergerit. Nemo autem eorum expresse dixit Deum esse principium immediatum, evidentissimum, et intuitive cognitum, quod directo nobis Scientias pareret, uti reapse nobis praebent principia rationalia praecipueque lumen rationis, aut idea entis: scientiis enim incundis, utpote ideis contentis, principium logicum et ideale, non causa realis et creatrix requiritur.

(1) Hoc videtur in S. Thoma, qui si exordium *Summae* a Deo inivit, id est, quia scripsit *Summam Theologicam*. Theologia autem inde incipit, ubi desinit philosophia. Attamen etsi a Deo ipse coeperit, posuitne item Deum esse primam notissimam veritatem, ut nostri praetendunt ontologi? Quinimo contrarium docet, cum aperte declaret — « Deum esse per eius effectus nobis notiores demonstrabilem » (S. I. II, II). Ergo non est veritas indemonstrabilis et intuitiva. Item docet — « Deum esse, quinque viis probari posse » (S. I. II. III); ergo non intuetur; quod enim intuetur nullo pacto probatur. Legatur initium summae Angelicae, et quivis, nisi pervicacissimus sit, persuadetur.

Revera Deum minime ipsos ut primnm principium logicum evidentissimnm sumpsisse, vel maxime colligitur ex s. Augustino, qni, in quaestionibus adversus academicos, de hominibus ancipites haerentes, eos non compulit ad Deum, ut veritatem compertissimam, et primam in ordine logico, sed potius ad factum exploratissimum propriae existentiae provocavit, quam nisi demens in dubium adducet (1). Eccur igitur, si Deus ac prima veritas logica, indemonstrabilis et intuitiva hnmanis mentibus infnlget, ipsnm parvifecit Augnstinus, et maluit rem aggredi ex conscientia propriae existentiae? Reponeret procul dubio s. Thomas, « quia Deus non est per se notus quoad nos » (2); et ipse, quo evincatnr, eget demonstratione. Demonstratio autem snpponit principia logicalia, et rernm notiones, ex qnibns componitur, et procedit ad demonstrandnm id quod ignotum subintelligitur. Ideoque bene se gessit s. Augustinus inchoando a proprio *ego* contra Accademicos de Deo etiam dubitantes. Deinde et Bibliis praescribimur a *visibilibus* ad *invisibilia elevari;* et etiam Patribus unanimiter ita tradimur, ut qui pbilosophiam in fidem propedeuticam censent. Non certo quia ipsa a Deo proficiscendo recedit, et movetnr, sed quia ipsi accedit et se appropinquat. Numquid accedere et recedere, ducere et abducere, amovere, et admovere idem audiunt? Nngae (3)!

35.° Tandem theologiam naturalem, ultimnm tantum esse philosophiae *corollarium* quamplurimi probe agnoverunt, et ideo in homine philosophiae originem perscrutati sunt etsi in varias tamen sen-

(1) Licet conscientia nostri perspectissima sit, et scepticis confodiendis idonea, non est prima veritas censenda, sed medium in ipsam perveniendi. Ducit enim protinus ad principium contradictionis, et exinde ad *ideam entis*, in quo veritas prima, ut in Logica videbitur, consistit.

(2) S. I, II, 1.

(3) Repouitur equidem reflexive tandem philosophiam in Deum redire; idest mentem, quin advertat, a Deo ad creaturas prius dilabi, et ex iis per eamdem viam, sed reflexive et advertenter deinceps regrediendo, in Deum iterum ascendere; quia reflexio nil novi aquirit, et data intuitus solum elaborat. Verum cum in Deum ferimur, ipsum non tantum recognoscimus, sed primo cognoscimus. Quare in Scripturis admonemur proficisci a visibilibus, non ad iuvisibilia recognoscenda, sed ad ea primo cognoscenda, attingenda, invenienda etc. Rursus falsum est reflexionem nil novi adipisci. Quot enim sunt veritates a reflexione partae, quae prius plane ignorabantur? Deinde philosophia, quae tantopere super cognitiones vulgares et palmares elevatur, nonne reflexionis ope novis in dies augetur veritatibus? Praeiacent quidem principia, vel ut ait S. Thomas, scientiarum seminaria, sed quid haec prodessent nisi explicarentnr per reflexionem? Principia eiusmodi insnnt etiam pueris, maccnnibus aliisque rudibus; sed quid eis prosunt? Quantum a philosophia distant? Quot carent notionibus, quas si obtinerent, reapse nova discerent, et numqnam visa?

tentias distracti. Alii enim ex principio sensitivo (sensistae), alii ex principio intellectivo sui conscio, vel ab *ego* (subiectivistae vulgares et transcendentales) philosophiam suscipiunt, ferme ac si principium sensitivum vel intellectivum, tantae sit virtutis, ut veritates aeternas, immutabiles et necessarias, quibus tota philosophia contexitur, gignere valeant. Nil ergo mirum, si demum ipsi *antropologiam in antropolatriam* transformaverint, quia homo in hisce systematibus affulget ceu huiusce adspectabilis universi centrum, e quo scientia mundusque ut radii egrediuntur. Quod sufficit, ut vel aretini ea repudient. Id tantum adnotasse iuverit, eos formam obiectivam cognitionis praetergressos fuisse, et falso aestimasse *materiam* cognitionis, idest sensum internum vel externum, aut formas subiectivas ex animi natura effluentes, cognitionibus, et scientiis compingendis abunde valere; indeque eorum error dimanavit.

36.° Unde ergo tota emergit philosophia? Responderi nequit, quin varia prius *principia discessionis* recenseantur.

In id finis quatuor possunt principia excogitari: 1.° principium *intelligentiae humanae;* 2.° principium *evolutionis* eiusdem; 3.° principium *philosophiae* solum *ineuntis;* 4.° principium *philosophiae* iam confectae, quae hic agitur.

Quoad principium intelligentiae humanae, nemini dubium est, quin ea ex intuitione luminis rationis exordiatur. Nil enim saepius inculcat s. Thomas, quam lumen intelligibile divinae equidem originis mentibus humanis infulgere, eisque intelligentiam superinfigere, quod fusius in ideologia, et ideogonia agetur; quibus in locis natura eiusmodi luminis adamussim declarabitur.

Principium evolutionis scientiae quod attinet, manifestum itidem est in sensatione consistere. Quamdiu quippe mens, lumine rationis perfusa, sensibilibus surripitur, iners plane et sopita obdormit, nihilque alia aspicit quam lumen ipsum, ceu medium cognitionis; ut is, qui lucem quamdam interminatam conspiceret, nullum interea obiectum visibile luci insiliret. Hinc s. Thomas iterum monet, praeter lumen rationis, opus esse phantasmatibus, sine quibus *species* intelligibilis, seu idea rei alicuius menti non panditur. Quod item prolixius est nobis dicendum in ideologia etc. (1); secus plura ibi

(1) Quantum phantasmata, seu materia sensus in intelligentiae evolutionem influant, ipse luculenter tradit Angelicus, qui etsi ut principium intelligentiae lucem veritatis primae proposuerit, subdit tamen principium explicationis ipsius esse res materiales, quae statim percipiuntur; « primum quod intelligitur a nobis secundum statum praesentis vitae est quidditas (substantia) rei materialis, quae est nostri intellectus obiectum » S. I. LXXXVIII — LXXXII, VII — LXXXV, I etc. Lumen ergo rationis, vel, ut ait, intellectus agentis, est *principium quo intelligentiae*, quidditas vere rei materialis, idest res externa sensitive

congererentur, quam necesse forent. Habes tamen inde quo magis persuaderis scientias arctissime simul devinciri, cum earum multae nobis adeundae sint ut nunc probanda patescant magis.

Principium philosophiae incipientis in animadversione super cognitiones, quibus homo actualiter occupatur, reponitur. Quid enim sibi praefinit qui philosophiam init? Praefinit sibi inquirere rationes ultimas eorum, quae iam cognitione populari et rudi praesciverat. Ideoque necesse est sese in ipsas reflexive intorquere, easque perscrutari, insequi et *analizzare*, usquequo rationes rerum naturis abditas invenerit. Hoc pacto homo priusquam vestiget rationes entium, debet rationem cognitionis, qua in earum notitiam venit, praecallere, et certo praescire an ipsi debeat fidere, vel ab ea sibi cavere. Apposite s. Augustinus « anima jam philosophiae tradita primo seipsam (suam intelligentiam) Inspicit » (1). Quare ergo blaterant ontologi, et pseudomystici, s. Augustinum in visione ideali Divinitatis philosophiam aucupari? Pudeat tantum virum erroris ita impudentis criminari, a quo errore et Platonicos ipse deterruit, sibique maxime cavit.

Demum principium philosophiae, qua scientiae, vel systematis cognitionis humanae, in perspecta et reflexa cognitione luminis rationis, vel entis idealis situm est. Eadem enim cognitioni aeque ac philosophiae, quae cognitionibus conficitur, praescribenda est origo. Atqui cognitio ex luminis rationis usu progignitur; ergo et philosophia, cuius ultimae rationes in essentia entis existunt, in quam omnes ideae, principia, veritates, definitiones, et demonstrationes conveniunt, et exinde ope mentis facultatum paullatim enodantur. Id tam ex ratione, quam ex Patribus, qui scientiis veritatem primam, increatam, immutabilem nobisque ingenitam semper praeponunt, clarius alibi elucescet (2).

37.° Atque ideo philosophia in regressivam, et progressivam dispescitur. Regressiva est ideologia quae ex consideratione cognitionis humanae discedit, et sensim in cognitionis naturam sese insinuat, elementa discernit, originem eorum insequitur, et usque eo extollitur quoad detegat, statum originalem et primitivum animae intellectivae

percepta. est primum obiectum, seu *principium quod* intelligitur, nimirum, primum motivum quo intelligentia exit in actum, et utitur lumine sibi infixo. Interim denuo perpendo id quod primo explicite et actualiter cognoscitur, Deum non esse, sed rem materialem. Ergo Deus non est neque primum *principium quo*, neque *principium quod* intelligentiae humanae.

(1) Lib. II. De ordine.

(2) S. Aug. De verit. Relig. cap. III.— S. Bonav. Itiner etc. cap. III et seqq. S. Thomas fere ubique operum, quum loquitur de cognitione humana, eiusque natura et origine; cuius documenta in ideogonia praecipue summatim dabimus.

nondum in actus cognitionis egressae, ejusque tandem lucidissimum lumen aspiciat. Deinceps philosophia partim innixa Logicae quae conditiones formales, partim psycologiae quae conditiones materiales ratiocinii praebet, ab ideologia quo se receperat, foras, lumine splendidissimo quod *regrediendo* compererat, praeveuta, erumpit, scientias perambulat, eas ab exordio detegit, et sub regimine primae veritatis iam detectae suo ordine componit, et distribuit, ac denique in *Theosophiam*, idest theoriam entis completam, ontologia, cosmologia, et theologia naturali conflatam, undique luce veritatis primae quasi fulgurans, *progreditur* et irrepit, atque propterea progressiva aestimatur.

Ideologia ergo est partim regressiva in quantum movetur in iuventionem luminis intelligibilis, et partim progressiva in quantum hoc lumine discessa, sic discurrit in scientias metaphysicas et morales ut demum se invehat in Theosophiam, quae proprie dicitur philosophia eminenter progressiva. Logica autem et Psychologia, binae sunt scientiae auxiliariae et intermediae quibus ideologia insistit ut in theosophiam, ubi ens formarum trinitate perfectum attingetur, prosiliat (1).

38.° Latet ergo mente tenuissimus, fulgidissimus tamen divinus igniculus, qui facem intelligentiae accendit, inflagrat, alit et fovet, in quo ideae (determinante sensu) ceu ejus distincti splendores et coruscationes scintillant. Qui igniculus cum in ambitum scientiarum transferatur, earum ut culmen et apex splendidissimus illico inclarescit, lucem circumquaque emittit et vibrat; cujus radiolos singillatim uumerare, simulque colligere, et in ipsum ceu fontem reflexive revocare, id est, quod systema veritatis conficere dicitur; ipsum autem in reale et vivum principium, unde effluxit, reflexive etiam refundere, hoc est philosophiam, seu systema veritatis ultimo complere, Deoque erigi, ac radii in solem reducuntur (2).

(1) Hanc philosophiae in *regressivam* et *progressivam* distinctionem primus omnium invexit Schelling. Praeterea philosophia progressiva quae a prima veritate logica in primam Veritatem subsistentem et completam, Deum, pervenit, si respectu veritatis logicae progressiva est, respectu veritatis subsistentis est regressiva, quatenus accedens ad istam veritatem perfectam, eamque reperiens, in ipsa non moratur, sed ex ipsa, veluti ex altera statione subsilit, et aliam inde init viam splendidiorem, difficultates et antinomias dissolvens, quas lumine veritatis logicae solvere nequiverat.

(2) Interea tamen cohiberi non possumus quin refellamus notam psycologismi, quae nobis forte inureretur, imo iamque inusta fertur. Nam idea entis, vel ens ideale tantum abest ut productio, vei emanatio animae censeatur, ut potins eam in infinitum antecellat, eique adstet ut forma obiectiva et immutabilis, qnin unquam cnm ipsa vel minimum permisceatur. Num quia tantum ideale est, ex anima educetur? Ergo et omnes ideae, quarum singulae ab

CAPUT OCTAVUM

CATEGORICA VEL SUPREMA PHILOSOPHIAE DIVISIO

39.° Plurimum modo interest in scientias primarias philosophiam dividere, eo vel maxime ut iuvenes ictu velut oculi pervideant ordinem vere mirum quo scientiae philosophicae disponuntur, et quae earum prior antecedit, quaeque posterior subsequitur; ne vel rerum farragine obruti, vel scopulis in studiorum curriculo illisi, opus susceptum deponant. Optime enim recta philosophiae divisione intellecta, conclarescit itidem eius scientiarum *classificatio*, qua quisque extemplo edocetur, unde primo incipere, quo postea pergere, vel ubi consistere debeat; quidque pariter sibi adhuc desit, et quid apponendum ut philosophia, qua par est, solide et scite imbuatur. Quae si plerique ex iuvenibus studiis incumbentibus opportune scivissent, ad meliorem exitum utique pervenissent, neque interdum eos poeniteret perperam in studiis tempus trivisse, e quibus incultiores abscesserunt, quam qui ante ea aggressi fuerint.

40.° Id antequam auspicemur, difficultas nobis hic se prodit solvenda, qua fortiter praeoccupamur.

Philosophia, dixeris, ex ejus definitione, unica est et impartibilis; Qui nam nunc est ut dividatur? Respondemus, philosophiam indivisibilem et divisibilem esse sub diverso tamen respectu. Indivisibilis est in se idest in essentia, cum in rationes ultimas, quaecumque sint, suapte natura semper intendat. Divisibilis vero quoad rationes ultimas, quae, ut dictum est, vel absolute ultimae sunt, vel relative dumtaxat: et ex relative ultimis aliae, absolute ultimae, magis, aliae minus accedunt. Propterea divisio non est essentiae philosophiae, *sed* rationum, quae cum dividantur, dividi etiam philosophia censetur in philosophias speciales, quae, ubi proprius loquamur, non sunt scientiae ita diremptae, ut altera alteri refragetur vel opponatur, sed verius, applicationes ejusdem philosophiae generalis,

realitate sepositae sunt, similiter essent ab anima educendae; quod sane delirantis est ingenii. Cum autem dicamus ens ideale esse verum primum ontologicum ab iis etiam seiungimur, qui ens absolutum, Deum, ut primum ontologicum praeponunt. Duplex est enim primum ontologicum, ideale et indeterminatum, seu elementare et reale ac completum. Illo utitur homo, istum adhibet Deus, cuius cognitio infinite nostram vincit. Prius est enim parvissimum lumen divinum; posterius est plenissima intelligibilitas Dei eius naturae identica, quam homo frustra expetit. « Si ricordi il mortale, ait philosophus » egregius, che egli non è nel grande mare dell'essere ma in un angolo, e » che solo da quest'angolo egli dirige il suo sguardo alle cose, e non dal » centro » Introd.

quarum una alteram poscit, utpote sui subsidium et complementum (1).

41.° Obiectione iam disiecta, planum obvium que iter nobis reseratur in philosophiae classificationem, quae tota duabus sustinetur regulis fundamentalibus: 1.ª ordo geneticus idearum et scientiarum adeo praecise observetur, ut eae tantum scientiae praemittantur quae rationibus vere ultimis propinquiores sint, inferioribus praeluceant, iisque minime opus habeant. 2.ª Scientiae philosophicae tam arcte invicem conserantur, ut nulla inter ipsas interruptio, hiatus nullus, vel saltus interiaceat, sed una ex altera directe et immediate fluat.

42.° Expraefatis canonibus evidenter iam infertur, ideologiam esse scientiam primam, vel *protologiam;* quippe quae nedum singulis scientiis respectivas rationes, sed rationem absolute ultimam (in ordine logico) impertiatur. Rationes quippe sunt ideae (2), quae in ideologia agnntur (3), quibus illa omnium parens praefulget, quam *ideam entis,* vel lumen rationis originaliter sumptum, moris est philosophis nuncupandi, quae reapse est primum scientiarum *postulatum ontologicum* universae philosophiae regendae aptissimum, quo vix subducto moles scientifica iam subruit, ut nobis alibi opportunior erit occasio dicendi.

Ideologiam excipit logica, seu scientia quae *veritatis* vindicias contra scepticos, et media eam investigandi suscipit. Atqui veritas est qualitas cognitionis, quae tum vera existimatur cum suo obiecto cohaeret, idest cum id quod cognoscitur, *est;* quo in casu *idea rei* dicitur *veritas rei,* res autem ipsa vocatur vera. Si ergo veritas in ideis reponitur; jam inde sequitur, logicam ideologiae famulari, non e converso, quemadmodum mos est quamplurimis *Institutionistis*, qui logicam ideologiae praeferunt.

(1) Exinde magis iterum innotescet veram philosophiam unitate et totalitate praeditam esse. Quatenus una est indivisibilis, quatenus universa, vel totalis est divisibilis, quia in varias scientias porrigitur, easque complectitur. Vide ergo quam praeclarissime in vera philosophia unum alteri testimonium perhibeat, mutuoque fulciantur. Eccur ergo eiusmodi philosophiae quidam pervicaciter adhuc detrahunt? Utinam resipiscerent, et aliquando saperent!

(2) Rationes idem esse ac ideas rerum, praeter iam alibi adducta, docet etiam s. Augustinus lib. 83. qq. XLVI.

(3) Ideologia vel protologia tribus arctissimis partibus nobis videtur complexa, quas singillatim perspicuitatis gratia exponere pretium est operae: *gnoseologia* scilicet, *ideologia* proprie dicta, et *ideogonia*, quibus demum, ut appendix, logica subnectitur. Talis est cyclus scientiarum *intuitionis*, vel potius partes unius scientiae, quae protologia elementaris vocatur. Vid. protolog. praefat.

Neque dicas scientiarum praelationem logicae potius veteres communiter contulisse; nam ideo tunc temporis ita factum est, quia ideologia qua scientia specialis nondum habebatur, licet eius obiectum idea, iamdiu perspectum fuerit, quod cum logicae insertum fuisset, nil mirum si logicam utpote scientiam etiam idearum, caeteris ipsi praetulerint. Quod et nos ultro assentiremur, si tractatus de ideis logicae maneret. In praesentiarum logica ideologiae subducta fuit, eique ut corollarium adnexa, quo protologia undique concluderetur.

43.° Prima eiusmodi scientiarum classificatio dicitur = complexus scientiarum intuitionis =, quia earum obiecta idest ideae et veritas, neque perceptione, neque ratiocinio, sed sola intuitione mentali directe apprehenduntur. Dicuntur etiam protologia vel principia scientiarum, quia usque ad ideam, vel veritatem primam, innatam, et divinam, a qua sunt omnia cognitionum et veritatum initia, pervehuntur. « Explorant enim nos, ait Cicero, ex universa mente divina delibatos gerere animos » ; qua delibatione paullulum tantum scientiarum haurimus, quarum Dominus noster, Deus est.

44.° Praeterea finis praecipuus, ob quem lumen rationis, idest idea entis seu veritas nobis participata fuit, est, ut eo mens utatur ad sensibilia cognoscenda, quibus nulla emicat cognoscibilitas. Porro sensibilia quae primo in sensus incurrunt, sunt anima et mundus. Ergo eorum scientiae, idest psychologia et cosmologia prope scientias intuitionis consistunt, eisque, iuvenis studiis protologicis jam edoctus, operam navare debet; si quae autem supersunt scientiae hominem vel mundum spectantes, hae a psycologia et cosmologia ceu a stipite data opera efflorescunt; neque nobis necessum est eas singillatim consectari.

45.° Haec altera scientiarum collectio usuvenit, ut = classis scientiarum perceptionis = nuncupetur, quia feruntur in obiecta percepta. Harum adiutorio philosophia jam idealibus collecta, inde prorumpit, et in realia contendit. Duo quippe elementa opus sunt perceptioni intellectivae, alterum ideale et formale, alterum reale et empyricum; illud ab intellectu, istud a sensu deductum.

Huiuscemodi scientiae dicuntur etiam metaphysicae, metaphysica enim est = doctrina de ultimis rationibus entis realis =. Praeter realia contingentia homo baptizatus percipit etiam saltem confuse realitatem divinam per gratiae collationem, quae originem praebet *anthropologiae supernaturali*, quam tum ne theologicis implicemur, tum ne incerta adhuc, et incomperta promamus, omnino praetergredimur.

46.° Tandem neque intuitio neque perceptio intellectiva nobis satis sunt ad ea cognoscenda, quae philosophia complectitur. Sunt

equidem perplurima, et numero multo maiora, quae ratiocinio ex intuitis et perceptis inferuntur, quorum summa scientias ontologicas vel daeontologicas constituit.

Scientiae *ontologicae* illae nominantur, quae ratiocinio nituntur assequi rationes ultimas entis, idest in entis constitutionem ingredi pertentant, ut magis magisque pateat eius ordo intrinsecus, natura et essentia et attributa. Quod primo adsequitur per abstractionem, ea precipue considerando, quae ad naturam entis in *genere* spectant; indeque concipitur, ens perfectum triplici forma insigniri, *realitate* nimirum, *idealitate* et *moralitate;* quae quibusdam in entibus finitis seorsim existunt, quo fit ut extent entia pure realia ut corpora, et spiritus sensitivi, alia vero sunt entis triplici forma constituta, ut homines, qui reales, intellectuales idest idealibus instructi, et morales sunt; sicque essentiam entis perfecti parumper delibant. Cuius entis perfecti theoria abstracta id efficit quod dicitur *ontologia* proprie dicta, quae est = doctrina vel theoria entis in genere triplici forma confecti, eiusque item formarum relationum =. Hinc ontologia nullum ens reale peculiare directe respicit, sed ens abstractum, quia abstractione tota regitur et componitur.

Deinde subsequitur ratiocinium integrans, quo inquirimus an ejusmodi ens unum simul et trinum existat, et invenimus esse Deum, cujus natura reapse est idealis realis et moralis (1). Porro scientia quae hoc ratiocinio integrante adiuta comperit tandem plenam *realizzationem* entis est theologia naturalis, inquam ontologia per theoriam entis perfecti abstractam ducit, adeo ut bene vocari mereatur — praefatio in tractatum de Deo — vel — preambula ad theologiam naturalem —, haud sane confundendam cum theodicea, seu = scientia de divina mundi gubernatione, vel de providentia =.

Theologiae naturali referri etiam potest *cosmologia* ut idea mundi per adeptionem ideae Creatoris etiam atque etiam elucescat, et absolvatur; quibus si ontologiam adiungas, theosophiam tibi comparabis.

Exinde iterum constat quam stricte scientiae invicem alligentur.

47.° Praeterea, quia entia, vel propter naturalem et fatalem defectum ut sunt opera naturae, vel propter voluntariam malitiam, vel intellectualem aut artisticam imperitiam, ut contingit entibus moralibus, scientificis et artisticis, non semper id consequuntur quod eorum perfectio exposceret; hinc scientia quae nedum inquirit, quomo-

(1) Animadvertendum, quod aliud sit in divinis trinitas formarum, aliud trinitas personarum. Prior est divinae essentiae cuivis personae communi intrinseca; posterior vero non ad essentiam, sed ad distinctas personas refertur, quarum una altera non est. Hac animadversione praecluditur via cavillationibus malignantium eo semper spectantium ut in sermone nos capiant.

do se habeant entia, sed quomodo esse debeant ut sint perfecta vocatur — *daeontologia* —. Quae vel generalis est, vel specialis, prout perfectionem entinm in genere, vel in specie persequitur. Primo casu unica est: secundo, toties dividitur, quot sunt entinm species, quorum suprema seorsim investigatur perfectio. Utraque tamen tribus coalescit partibus: 1.° de essentia perfectionis entium, 2.° de actionibus, 3. de mediis aptis eidem prompte consequendae.

48.° Nimis nobis longum foret singulas daeontologiae specialis divisiones percensere. Confert tamen plurimum daeontologiam humanam, idest moralem ceu omnium daeontologiarum maximam praecerpere; quae sicut caeterae daeontologiae in tres partes quoque dividitur. Harum prima, archetypum perfectionis humanae; secunda, actiones, tertia, media ad eam obtinendam idonea, tradit. Prima pars *theletica* (1), secunda *ethica*, tertia *ascetica*, vel paedagogica, vel aeconomica, vel politica vel cosmopolitica vocatur, prout media perfectionis adipiscendae nobis, vel iuvenibus, vel domesticis, vel societati civili, vel theocraticae generis humani, suggerit.

Classificatio eiusmodi scientiarum dicitur = ordo scientiarum ratiocinii =, eo quia earum obiecta nonnisi ratiocinio dignoscantur.

49.° Si quis autem non secundum evolutionem animae facultatum, sed iuxta ejus obiectorum differentias mallet philosophiam dividere, in praefatam etiam reincideret classificationem. Hanc divisionem plerique ex veteribus secuti sunt (2). Obiectum enim philosophiae est

(1) Optimum factu esset, si quis theleticam componeret: verum equis tanti ingenii est ex hominibus, qui utrumque ordinem naturalem et supernaturalem, quibus humana perfectio constituitur, plene complecti ausus fuerit? Sed quod non posset homo, potuit Deus, qui Christum, qua humanae perfectionis typum, est nobis misericorditer elargitus.

(2) Philosophiam antiquitus trifariam partiri consuevisse, in moralem videlicet, naturalem et rationalem refert Seneca ep. 89., et s. Aug. De civit. Dei XI, XXV, ubi sic se habet. « Philosophi sapientiae disciplinam tripartitam esse voluerunt; imo tripartitam esse animadvertere potuerunt; neque enim ipsi instituerunt ut ita esset, sed ita esse potius invenerunt. » Ratio autem cur s. Aug. dixerit philosophos haud philosophiam tripartitam fecisse, sed eam ita divisam saltem potuisse animadvertere, est, quia trina haec divisio ortum habet a tribus problematibus distinctis et fundamentalibus, quae cum relationem ad Trinitatem praeseferant, tempore philosophiae ethnicae, cui cognitio Trinitatis deerat, penitus solvi minime poterant. Problemata eiusmodi sunt: 1.° quaenam sit causa naturae; 2.° quae forma scientiae; 3.° quae summa vitae. In primum insistebat philosophia naturalis, in secundum philosophia rationalis, in tertium philosophia moralis. Verumtamen nostra philosophiae divisio praestat antiquae, ut quae nedum philosophiam recto discernat, sed ordinem scientiarum etiam declaret, non ab morali incipiendo, sed a rationali seu ideologia quae ratione originis aliis praecurrit.

ens ideale, reale, et morale; ideoque philosophia trifariam quoque partitur, in *ideologiam*, *dynamilogiam* et *agatologiam;* quibus caeterae scientiae ut earum derivationes secundariae continentur. Haec autem classificatio perfecte in praefatam revocatur, ut patet.


Verum quia ens sive in triplici forma, sive in unaquaque earum seorsim exhiberi potest vel in abstracto, vel in concreto; inde ontologia et theologia naturalis suboriuntur, quibus, ideologia, dynamilogia, et agatologia inseruntur. Hinc obtinebitur ontologia et theologia ideologiae, dynamilogiae et agatologiae.

50.° Quapropter in sententiam eorum non concedimus, qui a psychologia, vel ab ontologia classificationem philosophiae suscipiunt, perinde ac psychologiae, vel ontologiae primatus protologicus iure sit vindicandus (1). Psychologia quippe circa animam vertitur, cuius cognitio nonnisi per lumen rationis, vel ideam entis, habetur; ideoque idea entis et scientia eiusdem, scilicet ideologia, supponuntur.

Ad Ontologiam vero quod attinet, animadvertendum est, eam tum confici, cum iam notiones specificae et genericae entium idealium, realium et moralium adeptae fuerint; quocirca nedum ideologia, sed et psychologia, cosmologia et moralis ontologiae praegrediuntur. Ontologia dicitur tamen prima non sub originis respectu, sed complementi, quatenus per summa capita principia generalia scientiarum comprehendit, simulque componit in essentia entis triniformis, quod, ut diximus, entia creata plus minusve attingunt. Id autem operis per solam abstractionem ex rebus specificis fieri poterit, et quidem posteaquam iam fuerit solutum problema — quomodo prima rerum cognitio facta sit — in quod sola ideologia incumbit. Vide praefationem protologiae.

(1) Qui prae caeteris enituntur adsciscere primatum protologicum psychologiae, sunt Cousin, Galuppi, et Fichte, postremo cui philosophia est = scientia formae originariae proprii *ego* =. Eorum vero qui Ontologiam exaggerant princeps est Gioberti cognomento propterea ontologus, etsi immerito, utpote Ontologia pantheistica infectus. Vid. opus anon. — *Vincenzo Gioberti ed il panteismo* —; quod Rosminio adscribitur; ac edit. Lucens. cura cl. Paganini refectum et ampliatum.

Ut quae hactenus hoc capite enucleatius diximus in summam redigantur, tabulam synopticam subiicimus, qua omnia simul ac veluti ictu oculi manifesto conspiciuntur



Quas scientias cuique saltem rite callere opus foret, si optimis verae philosophiae cultoribus merito cooptari vellet; alias inter gregales et plebeios philosophos reiiceretur, quibus nil penes doctos ignobilius, magisque nobis cavendum.

CAPUT NONUM

METHODUS PHILOSOPHIAE APTE COLENDAE

51.° Methodus ea dicitur via qua cuique est incedendum, ut expeditius prefixum sibi finem adsequatur. Quamobrem tot recensentur methodi species, quot viae in finem recte sternuntur; ita tamen ut quaedam sint aliis breviores et proniores, quaedam autem longiores et scopulis aleisque plenae, in quas, nisi serio prospectum fuerit, circumspecteque progrediatur, facile est inter gradiendum impingere, illidique ad terram. Porro cum finis philosophiae sit, ut directe, et quantum liceat, celeriter et secure in veritatem perveniatur, ea est prae aliis methodus seligenda, quae, ut ut praeproperis ingeniis fastidiosa et gravis videatur, falli nescia sit, et recta in verum ducat inveniendum.

Ex quo patet veram methodum tantae esse philosopho utilitatis, ut ea vix arrepta, absentem adhuc veritatem iam praesentire, deliba-

rique videatur. Talis siqnidem erit scientiarum exitus, ait Mamiani, quale earum fuerit initinm; qnod ergo si accnrata methodus suscipiatur, felicissimum quoque finem sibi consecutum iri quisque ominatur.

52.° Methodus duplex censetur; *analytica* vel inventionis (1), quae factum vel veritatem explorandam in totidem elementa dividit, et perspicit, et *synthetica* vel demonstrationis, quae elementa sic mentaliter divisa iterum in unum colligit, mutuas interim eorum relationes animadvertendo.

A toto ergo ad partes analysis, et a partibus ad totum procedit synthesis. Errant propterea qui censent analysim a partibus, et synthesim a toto exordiri: si enim analysis est decompositio, expostulat totum decomponendum, cui insistat. Similiter synthesis dicitur recompositio, cui necesse sunt partes, in unum totum, quod evanuit, iterum construendae.

53.° Utraque tamen certae et perspicuae veritatis cognitioni plurimum confert, cum earum altera singula seorsim et attente observentur elementa facti vel veritatis cognoscendae; altera vero etiam relationes elementorum tam in se invicem, quam erga totum pervideantur; quibus fit, ut obiectum inquisitionis undique illustretur, eiusque natura et ordo sive in toto, sive in quibnsque elementis luculentius fulgeat. Atque hinc est, nt methodus studio philosophiae aptissima sit simul analytico — synthetica, vel ascensivo — descensiva, quarum prima a factis ad rationes ultimas elevamur, secunda a rationibus ad facta relabimur, factis theorias, theoriis facta confirmantes. Quandoquidem philosophia iis debet potissimum uti, quae veritati inveniendae, firmiterque demonstrandae idonea existimantur; cuiusmodi sane est utraque methodus analytica et synthetica, quarum una haud alteram repellit, sed vicissim requiruntur postulanturque, atque alternis quasi vicibus in cognitionum acquisitione operantur iuxta reflexionum progressum. Considerandum equidem est nos dixisse methodum philosophicam esse analytico — syntheticam non synthetico — analyticam, ne ordo cognitionis directae et spontaneae ordine cognitionis reflexae et philosophicae commisceretur. Prima siquidem rei cognitio est synthetica (*synthesis primitiva*) exurgens nimirum ab unione ideae cum sensatione, quae idea semel conjuncta illuminatur, et dignoscitur eius causa. In hanc cognitionem enucleandam primo convertitur analysis, quam postea subsequitur synthesis reflexa vel philosophica, cuius iterum inventa alteri analysi subiici

(1) Licet methodus analytica dicatur proprie — methodus inquisitionis — et synthetica — methodus demonstrationis — utraque sive in inquisitione sive in demonstratione, data occasione, adhiberi potest, imo interdum debet.

possunt, et resolvi, rursusque alia synthesi uniri, et ita porro. Quae synthesis primitiva non est proprie methodus, sed obiectum ipsius, in quod, cum, ipsum resolvendi causa, supervenerit analysis, et post hac synthesis, philosophari iam in id dicitur.

Punctum ergo, si ita dici liceat, unde philosophiam aggredimur, est syntheticum, idest cognitio rei directa ex forma intellectus et materia sensus confecta. Operatio autem mentis, qua ipsi elucubrandae insistimus, est primo analytica, deinde synthetica. Nonnisi igitur calumniose diceretur nos philosophiam ab analysi suscipere, cum disserte diximus methodum quidem philosophicam ab analysi proficisci, ipsam vero philosophiam potius ex synthesi primitiva emergentem.

54.° Quibus methodis rite absolvendis binae praesertim observentur oportet conditiones.

1.° accurate, neque internae solius, ut se gessit Cartesius, neque externae experientiae tantum, ut Locke praestitit, sed utriusque facta sedulo, attente et plene expendantur.

2.° Neque plus, vel minus, sed quod opus est naturae simplicitati, in factorum explicatione eligatur. Ratio earum conditionum petitur ab ipsius philosophiae essentia, cuius est naturam qua eius magistram audire, facta perscrutari, leges entium cognoscere, neque quidpiam *a priori* gratuito confingere, vel reiicere ea solum ratione, quod res nequeant bene intelligi. Id si prae oculis gessissent sensistae, subiectivistae sive gregales, sive critici, et ipsi neo-platonici, in tam abnormes et absurdas sententias haud fuissent prolapsi, quae vel levi factorum animadversione proscribuntur. Non enim sufficit laudes in methodum observativam analytico-syntheticam cumulare, eamque verbis invehere, quemadmodum a Bacone et Cartesio ad haec usque tempora factum est, quin tamen ullus methodum mordicus numquam sequeretur, quam aliis sequendam proposuerat.

Ad *criticos transcendentales* quod speciatim attinet, opinamur, eos in alium etiam errorem incurrisse, cum existimaverint methodum philosophicam esse originaliter criticam, eo idest spectare, ut primo demonstret validitatem et certitudinem rationis philosophantis; quae demonstratio, ut quisque perspicit, fieri profecto nequit, quin antea principia demonstrationis detecta et optime agnita fuerint; ideoque iam subauditur praevia tantum observatio, qua natura, et origo cognitionis innotescant, indeque principia demonstrationis deducantur. Veritas enim, si libet dicta repetere, est qualitas cognitionis.

Criticismo videtur et ipse Cartesius affinis, qui *dubio methodico* coepit, ut inde paullatim philosophiam enthymemati = ego cogito; ergo sum = superstrueret, et successiva demonstratione dubium deinde repulsaret. Ast, tametsi verum sit, dubitationem praecedere rei notio-

nem, ut patet ex Scholasticis, et maxime ex S. Thoma qui tractationes sciendorum nuncupat quaestiones, quas ab obiectionibus incipit, et coarguit eos qui praeeuntem non considerant dubitationem (1); attamen in exordiis philosophiae minime subintelliguntur iam praeexistentes cognitiones philosophicae, quae si vel praeierint, in dubium ideo etiam verterentur, quo firmius probarentur; sin autem non praecesserint, quod verius est, et naturae philosophiae exordientis conformius, regreditur quod intendimus, cognitiones nempe philosophicas tum nondum praeire, sed tantummodo tunc temporis, philosophiae exordio, praecedere cognitiones populares, quae nullatenus dubio universali obvolvi queunt. Privatio autem cognitionis dicitur *ignorantia:* ergo conditio hominis philosophiam incipientis est potius ignorantiae methodicae, vel quia tunc nil revera philosophice scitur, vel saltem refingitur, nihil adhuc philosophice sciri. Non igitur dubium methodicum, sed ignorantia methodica comitatur hominem philosophiam primo suscipientem.

Quantum in aliis criticismo etiam abscedamus, suo loco videbitur. Interim quae de methodo dictu remanent, in logicam protrahuntur, ne omnia simul in prolegomenis inglomerentur.

CAPUT DECIMUM

AFFINITATES ET DISCRIMINA PHILOSOPHIAM INTER ET THEOLOGIAM

53.° Ex plurimis iisque nobilissimis finibus, quos sibi vera praestituit philosophia, quatuor praesertim adnumerantur: 1.° errores si qui et ubi sunt explodere, et pro veritate fortiter dimicare; 2.° veritates peculiares sparsas et disiectas, seu eius fragmenta in unicum systema componere, easque veritati cuidam *identicae* et *universalissimae* subdere; 3.° eiusmodi veritati vel centro scientias omnes item deferre, ut ex varietate disciplinarum in unitate veritatis primae collecta, arbor genealogicus scientiarum germinet, ac tandem illa vulgatissima cuiusque aevi locique sententia intelligatur qua dicitur: — veritas, vel scientia, vel philosophia unica est, simulque multiplex —: unica enim est in radice, multiplex in propaginibus. 4.° hominem demum in Deum ut causam subsistendi, rationem intelligendi, et ordinem

(1) « Illi qui volunt inquirere veritatem, non considerando prius dubitationem, assimilantur illis qui nesciunt quo vadant ». In metaph. L. III. c. 1. — Videant qui tam acriter in dubium methodicum debacchantur quid de ipso senserit Angelicus, quem saltem prae Cartesio revereri deberent. Dicant ergo dubium methodicum plurimum prodesse quaestionibus solvendis, nocere autem philosophiae origini utpote inquisitivae non demonstrativae.

movendi (1), recte perducere ipsi mancipandum. Id apprime praenoverunt SS. Patres, quibus philosophia, ut diximus, fidei praeambula aestimabatur, eaque muniti ethnicos sapientes ad fidem Redemptoris viritim adigere nitebantur. Pudeat ergo Lutherum, qui haud veritus fuit in philosophiam tamquam in opus carnis, et iugiter theologiae perduellem invehi; perinde ac homo lapsus lumen veritatis omnino deperdiderit. Alias profecto sentiit vaferrimus Iulianus Apostata, qui ut fidem e christianis pectoribus divelleret, atque divini Evangelii incrementa compesceret, non blanditiis sibi eos pellexit, sed minaciter ipsis philosophiam vetuit, exedriaque fregit, subvertit. Sed eo etiam misso, sat nobis sit Patres unanimiter idipsum docuisse, quorum vacat saltem Angelicum in medium proferre, qui caeterorum sapientiae *Summam* collegit, adornavitque plurimis doctrinis philosophicis, quibus neotericae theologiae carent. « Maximopere, inquit ipse, theologo » necessaria est philosophia ad alios scientifice erudiendos. Quaedam » *disputatio* enim est magistralis in scholis non ad removendum erro- » rem, sed ad instruendum auditores, ut inducantur ad intellectum ve- » ritatis quam intendit, et tunc oportet rationibus inniti investigantibus » veritatis radicem (*rationem*, quoad fieri potest, *ultimam:* en *philo-* » *sophia theologiae)* et facientibus scire quomodo sit verum quod di- » citur. Alioquin si nudis auctoribus (ut nunc mos est) magister quae- » stionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita esset, » sed nihil scientiae vel intellectus acquiret » (2). Haec utinam ne dum etherodoxi aliquando saperent sed et ipsi theologi orthodoxi, qui formidant theologiae philosophiam adnectere, et totam sacram disciplinam solis inaedificant vel scripturisticis, vel patristicis, vel conciliaribus auctoritatibus, quibus, ut cum S. Thoma repetam, certificabitur *quidem* auditor quod ita res est, sed nihil scientiae vel intellectus, neque *veritatis* radicem acquiret. Quis ergo theologiam scholasticam tandem nobis restituet!

56.° Quae ut obtineantur duo necesse sunt:

1.° Philosophiam naturalem iam, quoad fieri poterit, completam, ipsi theologiae, cum opus fuerit, ingerendo, ut lumen unitur lumini, vel *perfectibile*, ait S. Thomas, *perfecto*. Non enim sciri bene potest completum nisi praenoscatur bene incompletum, eo vel maxime si completum traditum fuerit, ut incompletum adaugeat, prout revera evenit in superadditione gratiae ad rationem.

(1) S. Aug. De civit. Dei VIII, IV. — V. —. Ibidem Deus dicitur etiam « rerum effector, lumen cognoscendorum, et bonum agendorum ».

(2) Quodl. LV. quaest. IX, art. XVIII. — Idipsum iam docuerat Clemens Alex. Str. 1.

2.° Ipsam theologicam disciplinam forma philosophica vestiendo, adeo ut, quemadmodum in philosophia naturali, veritates inferiores superioribus connectunctur, eoque in ultimam tandem veritatem universalissimam et communissimam resolvuntur; ita veritates supernaturales, vel sacra Scriptura, vel traditione, vel dogmatica definitione contentae, nobisque infallibili magisterio Ecclesiae propositae, sic invicem pariter ordinentur, ut altera alteram exposcat, sicque omnes primae veritati supernaturali, perfectae, completae et *personali*, cuiusmodi est Verbum humanatum, fidei auctor, et largitor, gradatim colligantur, indeque emergat vera et perfecta philosophia supernaturalis, characteribus unitatis et totalitatis pariter instructa; quae propter sui obiecti praestantiam et virtutem, totam, quanta est, philosophiam naturalem compleat, eius aenigmata solvat, finemque, cuius plenae adsecutionis ratio sibi relicta incapax est, elargiatur. In id operis excellentissimi plurimum iam Doctor Angelicus adlaboravit: superest ergo ut ipsi viribus rationis et fidei sociatis adiungamur, gestumque ulterius prosequamur.

Hinc maximopere Cl. Perrone gratulamur, quod misertus Theologiae egestatis dicteriis pseudo-philosophorum impetitae, hanc utriusque scientiae harmoniam in locis theologicis, et alibi passim delibaverit. Optaremus nihilominus, ut ipse, Angelicum sequens, nedum in exordiis theologiae et alibi sparsim id obiter tantum persolvisset, (ipsi certe neque ingenium deerat, neque veritates philosophicae appingendae); sed cunctas veritates supernaturales in systema seu ordinem scientificum redegisset, quem totum regeret et dominaretur *Veritas personalis et completa* (1). Plurimum tamen ipsi rursus gaudemus quod nobis super principio totius philosophiae generatore constet, cum et ipse perspicace item agnoverit — principium contradictionis *omnium* principiorum universalissimum *ideam entis* praesupponere quae quidem est *obiectum primarium et universale intellectus* —; sicque plane Doctori Angelico, quem ideo allegat, cohaereat, qui (De ver. I. 1.) tradit apertissime: « illud quod primo intellectus concipit quasi notis-

(1) Quantum lucis non putas tractatibus de Deo, de Trinitate, de Incarnatione, de Gratia, de Beatitudine, de Legibus, de Virtutibus etc. effundi, si ipsis theologiam naturalem, atque theorias solidas et completas ideologiae, psychologiae, anthropologiae, legis moralis, virtutis naturalis etc. conseras. Hac enim ratione protinus innotesceret punctum quo bini ordines uniuntur, incipiunt misteria, exaltatur natura, perficitur ratio et augentur veritates rationales. Itidem perspiceretur, ordinem supernaturalem, etsi natura excellentiorem et plane distinctum, quam bene in ordinem naturalem quadrare, nihilque in isto esse quod eiusmodi arcanam unionem repellat eaque perfici recuset.

simum et in quo omnes conceptiones resolvit (en origo idearum ex idea entis) est ens ». Tract. De loc. theol. Edit. Paris.

57.° Quapropter philosophia naturalis plurimum discriminatur a Theologia seu philosophia supernaturali, non equidem ratione formae ordinativae vel systematicae, quae utrique scientiae aptari deberet, sed ratione veritatis primae a qua oriuntur. Veritas enim philosophiae naturalis est tantum idealis, initialis, incompleta: paucis, parvissimum lumen divinum tantae tenuitatis, ut ex se nil determinati menti ostendat, neque Deum, neque creaturas, sed *essentiam entis universalis*, quae ut aiunt scholae, et Scotus noster praesertim, univoce de omnibus entibus indiscriminatim praedicatur; adeo ut mens ea solum perfusa nil adhuc cognoscit positive (1), sed tantum aliquid posse existere, vel — quid sit ens in genere —. Quare hoc lumen dici nequit Deus, cum ea omnia desint, quae Dei sunt, puta omnipotentia, vita, sanctitas, bonitas etc.; neque Deus possibilis, ut quidam imperite, improbeque comminiscuntur, quia ubi sic esset, saltem in eo omnia directe apprehenderentur quae Dei sunt, etiamsi in abstracto; sicuti in lapide possibili, quae lapidem attiuent, distincte concipimus, et ideam positivam eiusdem speculamur (2). Quod iterum semperque inficiamur, cum id neque intelligibilitas Dei sit, sed exilissima eius participatio, cuius ductu ideam plane negativam Dei, vel vacuam, mens sibi conficit: vel, si cum D. Thoma loqui libeat, scit quid Deus non sit, non vero quid sit. Ergo idea entis, non est species intelligibilis positiva, seu idea plena divinitatis. Eos oportet igitur omnem exuisse pudorem, vel caecutisse, qui talia invide et calumniose fabulantur.

Contra Veritas theologica est completa, personalis et vivens, non radius divinitatis tenuissimus, vel simplex veritas logica, sed Deus ipse in *Verbo* suo revelatus. En ingens discrimen utriusque doctrinae rationalis et revelatae!

58.° Sed nunc intuere et affinitatem earumdem. Veritas philosophiae naturalis est *ens ideale*, commune, incompletum et universale, quod omnibus entibus applicari potest, quia etsi in plurimis differant, in eo tamen omnia conveniunt, ne Deo quidem excepto, quod sint entia, seu quod existant.

Veritas autem theologiae est *ens reale*, completum, personale, Deus, qui dixit « Ego sum qui sum »; vel uti vertunt Septuaginta

(1) Lumen rationis non utique in se, sed quoad mentem indeterminatum videri colligitur ex potentia intellectiva, quae cum ad nihil determinatum intelligendum cogatur, arguit indeterminationem sui obiecti, in quo expanditur.

(2) Demum nihil potest excogitari absurdius, quam deus possibilis; deus quippe aut subsistit et qua subsistens concipitur; alias nullimode neque in sui possibilitate ipse conciperetur.

— Ego sum ens —. Ergo philosophia et theologia, etsi quoad modum entis essentialiter distent, in *ente* tamen concordant, cum utriusque obiectum sit *ens:* eo tamen interiecto discrimine, quod ens philosophiae sit *ideale*, ens theologiae sit realissimum: ut apprime et saepe docet S. Thomas, qui *ens*, vel verum commune et universale constanter menti solum tribuit, idque distinguit ab ente absoluto, Deo, seu a veritate absoluta, quae ipse idemque est (1), eamque menti subtrahit, ne dicatur ipsa Deum intueri.

59.° Ex quo pronum est inferre relationem inter philosophiam et theologiam ex eo derivari, quod principium philosophiae, idest lumen rationis, sit initium, radius, reflexio, et, ut cum Cicerone (de senect.) loquar, quaedam participata delibatio luminis revelationis plenissimae et completae. Quod si in suo complemento consideratur, evadit magnum fidei obiectum; si in suo initio, prout naturaliter attingitur, constituit lumen rationis, quod est imperfecta et exilissima participatio Verbi Divini illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum; ideoque et Maumedanum, et Cinensem, et Hebraeum, eum primo in mundum venerint. Hine relatio inter theologiam et philosophiam est perfecti ad imperfectum, ut saepenumero ingeminat S. Thomas, non vero realis divini ad possibile divinum, vel subsistentiae divinae ad eius intelligibilitatem, uti quibusdam visum est, qui systemata — rationis absolutae — visionis idealis —, intuitus entis creantis —, inscitissime prorsus miscuerunt cum intuitione entis universalis, quae praefata systemata radicitus magis convellit.

CAPUT UNDECIMUM

DE ACTUALI PHILOSOPHIAE CONDITIONE

60.° Nulla unquam philosophicae historiae periodus effluxit quae suas non tulerit philosophorum sectas, in se invicem acerrime congredientes. Vadem habemus historiam, qua, quantum in re philosophica dimicatum, digladiatum, saevitumque fuerit, quot serpserint et

(1) S. I. XVI — qq. de verit. ubi subtilissime discernit veritatem primam intellectus humani, quam identicam enti communissimo menti notissimo declarat, ab veritate intellectus divini, quam menti in praesenti statu abiudicat, eique concedit tantum initium et participationem eiusdem, quae participatio neque Deus, neque veritas eius est, et tamen utpote lumen divinum, aeternam, immutabilem, et mente maiorem eam expresse vocat. Aliquid ergo divini est veritas intellectus humani, non actus quidam mentis mutabilis, neque Deus. Ut ut mirum hoc videatur, excipi debet utpote exploratissimum. Philosophiam a luce increata ut ratione cognoscendi emanare item docet. S. Aug. De verit. Relig. cap. XXXIV, VI.

efferbuerint dissidia, clare edocemur. Neque nunc temporis mentium concordiam pactam, neque philosophiam misero iam fatalique saeculorum bello perfunctam, conspicimus. Grassantur etiamnum quam latissime perniciosi errores ac pestilentes, quorum capita sensismus, subiectivismus, criticismus et cuiusque generis pantheismus, arbitrantur; quo postremo saeculum nostrum praecipue inscribi, testis est cl. Maret, qui varias neoterici pantheismi phases docte describit, non tamen eo vigilantiae ut in ipsum non prolaberetur.

61.° Sensismus iampridem coeptus et recusus, saeculo elapso, Lockio et Condillaco potissimum agentibus, in systema concinnatus est, quod posteaquam totum philosophiae regnum sensim perlustraverit virus suum undique effundendo, scientias tandem et religionem idealismo, scepticismo, et materialismo infecit ac vastavit. Huic cladi subvenisse innumeri nostrae aetatis sibi blandiuntur subiectivismum sensismo sufficientes. Eorum qua coriphaei, ut nil de Cartesio et Leibnitio iampridem ipsi praeludentibus dicamus, efferuntur Reid, Galluppi, Degerando, Mastrofini, Mamiani, Degratia, Balmes, aliique plurimi ex scholarum professoribus, qui plus minusve eorum sensa incaute imbiberunt aliisque etiam nunc temere propinant. Sed quid eiusmodi *sensismi emendatores* demum profecerunt? Ex sensibus externis in sensum internum ipsi scatebram errorum intulerunt, quamdam animae potentiam cognoscitivam planeque subiectivam indentes, qua ideas, veritates, notiones vi sibi ingenita confingat et condat; haud rite intelligentes, animam per seipsam nonnisi sensitivam et solis actionibus et passionibus idoneam esse; cui propterea si intelligentia inest, et idea et veritas, id profecto non ex ipsa repetendum est, quasi talia sibi pepererit, sed desursum a Deo, cuius intelligere, ait s. Thomas, est mensura et causa cuiusque intelligentiae (1). Potitur ergo anima intelligentia tantum participata, non propria, uti ei propria est sensitivas passiva et activa; hoc est, lumen intelligibile et divinum mutuatur, quod vix ipsi unitur superaddit et creat mentem. Quapropter (quod est prae oculis iuge tenendum) anima nequit per se intelligere, quin sit aeterna. Omne enim ens essentialiter et intrinsece intellectivum, seu cuius esse sit eius intelligere, oportet esse necessario aeternum, quia intelligibilia intellectioni essentialiter unita, aeterna sunt. Ita sentiunt Patres (2). Ecquis ergo non horret animae aeternitatem?

(1) S. I. de verit.

(2) Quoad Patres ne ullus quidem est, qui non perviderit necessitatem cuiusdam luminis divini menti participati intelligentiae humanae, et etiam angelicae constituendae. Exinde enim ipsi etiam proficiscebantur, ut videbimus, ad vindicandam Verbi divinitatem contra Arianos, Platonicos, Gnosticos, osten-

62.° Quod adeo verum est, ut neoterici transcendentales, qui placitis subiectivistarum insistentes, cuncta a quibusdam ingenitis formis subiectivis (quae iam potentia intellectiva subiectivistarum implicabantur) traxerunt, hominem, vel *proprium ego* deificarunt, sicque, ut diximus, anthropologiam in *anthropolatriam* converterunt. En quo tandem recte duxit subiectivismus, quem insipienter prorsus plurimi criticismo opponunt, atque iam de triumpho gloriantur. Ipsi tandem aliquando intelligant criticismum germanicum, opera Kant coeptum, et lucubrationibus Fichte, Schelling, Hegel, Cousin etc. in rationalismum et in pantheismum transvectum, quem ipsi maximopere abhorrent, nil aliud esse quam genuinam, logicam et completam evolutionem dominantis subiectivismi, cui caeteroquin tenaciter adhaerent; ideoque numquam fieri posse, ut criticismum quem verbis tonantibus fulminant, radicitus suffodiant ac subruant, quin prius subiectivismo valedixerint, cuius ipse non adulterina, sed genuina proles est. Alias quis illud posset Evangelii in eos intorquere — medice cura teipsum —.

63.° Quibus erroribus obviam fortissimis stipata rationibus ideologia nunc occurrit, et perplurimos iam feliciter convulsit, aliis viam praeclusit, et inter extrema dissidentia mediam in veritatem viam ingressa est. Neque enim ipsa omnia a sensibus animae eiusque actibus, neque ab intuitu divinitatis, trahenda fore edixit; sed ex sensu, qui factis internis et externis immediate communicat materiam cognitionis, a Deo autem paullulum sui luminis intelligibilis, aeterni, increati, ceu formam obiectivam cognitionis deprompsit (3). Primum elementum utpote subiectivum animaeque inhaerens, cognitionis et scientiae imperfectionem, limitationem atque etiam fallaciam parit; secundum obiectivitatem, soliditatem, universalitatem et veritatem cognitioni scientiaeque elargitur. Quocirca ideologia neque cum sensismo vel subiectivismo, aut vulgari vel critico, neque cum cuiuslibet sectae pantheismo foedus init, sed medium iter insistit, duo necessaria elementa distincta et diversa cognitionis formationi semper et perpetuo adhibet, sensibile et intelligibile, quae s. Thomas et s. Bonaventura adeo passim inculcant, ut, quemadmodum iam visum est et in ideo-

dendo eius divinitatem etiam ex hoc patere, quod Ipsum sit lumen et ratio cognitionis humanae, ideoque sit quoque oportet animarum creator et Deus.

(3) Praeterire nefas est formam cognitionis alio plane diverso modo hic intelligi ac sint *formae Kantianae*, quibuscum nonnisi nomen commune habent, quod alioquin ne vel formae quidem Kantianae, ut videbitur, iure merentur. Forma enim cognitionis adducta unica est, obiectiva, universalis, aeterna, immutabilis, et omnino menti opposita; formae vero kantianae multiplices, subiectivae peculiares, contingentes mentique ceu eiusmodi adhaerentes sunt. Sed hoc breviter, ne iuvenibus offendiculo sit.

gonia diductius videbitur, sit penes ipsos millies ingeminatum = cognitionem ex conversione intellectus agentis super phantasmata sensus; vel ex phantasmatibus lumine intellectus agentis illustratis tantum oriri; = animam in praesenti statu sine phantasmate lumine intellectus non uti =, et alia perplura.

64.° Deinceps elemento *formali* ideologia insistens, ac idearum generationem sedula et accurata analysi persequens, in primum lumen intelligibile pedetentim consurgit, eius naturam serio expendit, et reperit lumen eiusmodi mentem nobilitate transcendere, dotibus divinis fulgere, quin tamen neque — ens absolutum et reale — neque Deus possibilis, — neque ratio personalis, — neque intelligibilitas Dei eius realitati identica, — neque intelligibilitas eiusdem abstracta et possibilis, — neque idea vel imago, vel repraesentatio, vel perceptio, vel intuitio idealis Dei —, dici possit; sed — puram entis universalis essentiam — ipsum praeseferre et exhibere: idest, mentem eo tantum lumine praeditam, nullum ens peculiare finitum vel infinitum, neque *seipsam*, sed ens *in genere*, vel quid sit *ens* aut *existentia* cognoscere. Quo fit ut anima infimo, ait s. Thomas, intelligentiarum gradu constituta, indigeat corpore cui uniatur, ut phantasmata realia percipiat, quibus lucem applicet, et species intelligibiles rerum in lumine uniformi determinet, et, ut sic loquar, configuret; secus ne ullam quidem ideam rei alicuius adipisceretur; quia, ait s. Thomas; lumen eiusmodi est tantum similitudo rei cuiuscumque, et veritas communissima sine differentiis et determinationibus specificis; cuiusmodi sane est essentia entis in genere, quae de omnibus entibus praedicari potest. Ideo non ratione suipsius, sed ratione imperfectae mentis apprehensionis, dicitur universale, indeterminatum, initiale et possibile, quia etsi in se unum, determinatum, completum et reale, tanta nihilominus *exiguitate* et paucitate menti affulget, ut suam individuationem completam ei abscondat, et nonnisi illo modo ipsi se praebeat, quo est omnibus rebus commune. Hinc pantheismum, qui plenam intuitionem entis completi et absoluti invehit, profligat, cum ipsum non sit Deus, sed quidpiam divini, idest ad Deum spectans (1).

Neque tamen hoc lumen subiectivum est; quia ut ut tenue et modicissimum, quibusdam characteribus divinis, quibus expoliari nequit, utpote *participatio divina luminis increati*, splendescit, mentem dominatur, eique se conspiciendum foras velut se prodit, atque

(1) Difficultas nitidum huiusce entis universalis conceptum efformandi inde petitur, quod homines ut plurimum contendant ipsum forma phantastica sibi indutum exhibere, cuius formae utpote indeterminatum ineptum est; vel etiam quod paucissimi sint tantae abstractionis qua depulsis phantasmatibus et ideis, ad statum originalem mentis cognitionibus carentis pertingant.

ei tantum haerescit, ut Deus unitur creaturis, quin minimum identificetur. Sicque iterum exploditur pantheismus, qui ideas aeternas menti ceu eius actus et partes refundit; itemque adoritur subiectivismus, qui mentem sibi in cognoscendo sufficere effutiit. Quam luminis divini in nobis reflectentis parsimoniam, graphice velut Ennius exprimit, vocans animos hominum « delibatos ex mente diviua »; idest leviter superfusos, vel tactos luminis aeterni pauxillo. Idipsum refert eloquentissimus Romanorum in *Lib. De senectute*, ut dictum est. Pretiosissima sane nobis haec sunt documenta.

Praeterea ab ipso lumine ideologia ostendit initium esse sicut cognitionibus, ita pariter et veritatibus et *rationibus ultimis*, quibus fit, ut, cum scientiae cognitionibus, veritatibus et rationibus comparentur, ita illud lumen omnes pervadat scientias et regat. Cuius propterea scientia optime diceretur — *protologia* — vel philosophia prima, caeterarumque mater.

Item ideologia originem huius luminis quaerens, comperit a Deo nobis difflui, discrimina inter ipsum et lumen gratiae, et gloriae singillatim recenset, *genesim* idearum ab ipso iam sensibilibus, mentis actione, connexo, explicat, et tandem ex ipso tamquam initio ad complementum divina natura abditum, attollitur, et Deum esse mentium illustratorem demonstratione apposita evincit, quamquam eum, quomodo sit, non suspiciat.

65.° Demum neque haec vel qua nova vel gratuito conficta reputentur, alia atque alia in decursu ideologia profferet ecclesiasticae traditionis, et philosophorum maiorum documenta (quae in unum systema colligit et disponit), quibus meticulosis ancipitibus, praeventionibus irretitis, docilibus et pervicacibus, caecisque noctuis persuadeat, hanc praeclarissimam theoriam unam simul et totalem omnes scientias circumplectentem, et cognitionum fundamentum, iamdudum praecognitam fuisse, eius semina in *libris revelatis* sparsim sata fuisse, partim evoluta, partimque olim neglecta: ideoque non nova sed vetustissima tradere, uberiore tamen explicatione, ordine, perfectione, formisque elegantioribus, quibus error qui splendidis etiam formularum scientificarum pompis hac nostra aetate obtegitur, ac extollitur, quo conscendit, persequatur et mendacibus vestibus detractis, fulgore emicantis veritatis dispellatur.

Quod doctiores non praeterit. Eorum exemplo sit Alexander Manzoni, cuius clarissimum nomen toti reboat italicae genti, qui binas in philosophia perspicit novitates, quarum alteram sequitur, renuit alteram. « Ma quanto più ne è levata (a systemate nostro philoso-
» phico quod ipse etiam Interpretatur rectissimum) anche l'apparen-
» za di quella novità tracotante e giustamente sospetta, che pretende
» di rifare da capo il lavoro della mente umana, tanto più ci splende

» la novità soda e felice che viene dal portarlo molto avanti » (1). Ast nobis iam sufficiat thema verae philosophiae sic raptim praelibasse, quod profecto in hisce *locis philosophicis* non erat praetereundum.

66.° Eiusmodi igitur est philosophia Ecclesiae Patrum, maiorumque antiquitatis philosophorum, quae novissimis inventis adornata et completa fuit. Hanc sectemur, et quantum vires nostrae patiuntur, enucleemus. Huic impartiali ac sedula factorum animadversione et sententiarum pondere studeant iuvenes omnes, qui verae philosophiae studium efflagitant, et ii praecipue, qui et peroptant theologicis initiari. Si enim indubium est, philosophiam in Fidem provehere, id exacte huiusce philosophiae studio certe adsequentur, nulla enim similis hactenus extat, quae plus doctrinam revelatam oleat, et iuveni christiano dignior sit; quam si posthabeat, nullam aliam ex neotericis conspicit, quae id muneris rite exequatur, cum fere plures, ne dicamus omnes, philosophiam Patrum, Fidei cum ratione harmoniam praetermittant, atque fide potius, quam rationibus philosophicis Deum agnoscant, eo quia sensismo, subiectivismo et panthcismo tabidi (2), in veram et claram ideam divinitatis sustolli scientifice nequeunt. Iis propterea illud Pauli ad philosophos Areopagi, quibuscum in plurimis placitis fortasse neotericae philosophiae conveniunt, quadrat: quod Deus tempora huius ignorantiae despiciens, viros nobis miserit veritatibus vere divinis homines erudituros, eosque de sensuum illecebris mentisque arrogantia quibus fascinabantur et intumescebant, erepturos.

Tandem et ipsos enixe adhortamur scholarum magistros, et clericos potissimum regulares quibus, ex instituto munus est adolescentes philosophia erudire, ut in praesenti scientiarum rationalium pravitate, tantam philosophiam, quae nedum intellectum praeclarissimis imbuit doctrinis, sed etiam cor amore veritatis vehementer inflagrat, eis clare, sincere et sedulo propinent. Sperandum est enim copiosam inde laborum suorum segetem germinaturam foro in scientiae incrementum, Religionis gloriam, et humanitatis solatium, quae, inquit

(1) *Dialogo sull' invenzione*.

(2) Saepe in Scripturis dicitur quod sensus non novit Deum: « animalis homo ea non percipit quae sunt spiritus; Deus non est opus manuum hominum et habitat lucem inaccessibilem; quem nullus hominum vidit; et creator est »; non emanator vel complexus mundi, aliaque id genus plura. Contra, edocemur « super nos signatum esse lumen vultus divini, quod bona nobis ostendit », idque nobis esse *legem* qua dirigimur, ideoque esse *inexcusabiles* qui non recte fuerint hoc lumine usi, neque ipsum secutos in agnitionem *invisibilis Dei*; et ob istam divini luminis *sigillationem* nos ad imaginem Dei factos esse. Probatum est igitur lucem vere divinam mentes nostras irradiare et hominibus ea abutentibus errores adscribi.

s. Augustinus, nil fortius desiderat et preaestolatur, quam veritatem unam et totalem, quae mentes scientiarum percupidas impleat et satiet, cuius plena consecutione tota instauratur societas, spiritus, ait s. Gregorius Nazianzenus, saginantur et in Deum traiciiuntur; cuius tamen Verbo haud suffecit humanis mentibus paullulum sui luminis, quo ipsum et quae magnifice condiderat, intelligerent, naturaliter inoluisse, sed absque faenore, Carofactum aliud intensius et validius etiam sui ipsius lumen gratuito plane eis infudit, quo aenigmata rationis solverent, scientias rationales perficerent, et ex ordine naturali in quem peccando se coniecerant, in supernaturalem erigerentur, plenam et perfectam veritatem, quae ipse est, beate et aeternaliter adepturae.

PROTOLOGIA

PRAEFATIO

QUATUOR PROTOLOGIAE SPECIES PRAEMITTUNTUR

67.° *Protologia* nomen est primatus scientifici, quo ea solet disciplina donari, quae suprema caeteris dignitate praestaret. Porro cum quatuor praegrandes scientiarum ordines recenseantur, hinc totidem iis primatus aut protologiae dominantur, quas seorsim aucupari cogimur, ut pervetusta hac de re philosophantium pugna non ita pridem certatim inflammata, tandem sopiatur, paxque animis concupitae veritati congaudentibus affulgeat.

68.° Entia trifariam partiuntur, *in idealia*, *realia*, et *idealia simul ac realia* (1).

Ideae entia dicuntur idealia quae, ut neminem praeterit, ab entibus realibus seponuntur. Aliud enim est idea panis, vel panis idealis, aliud panis realis: prior mente, posterior stomacho continetur et digeritur.

Corpora, principia sensitiva, intellectiva et moralia, in realibus *item* habentur.

Entia demum ideale-realia, seu quibus inest essentia intelligibilis itidemque realis, adeo ut sibi intrinseca sint lux qua se aliaque intelligant, ad unicum ens tandem coarctantur, cuiusmodi est *Deus*, cuius realitas haud aliunde mutuata, ut intelligentiis contingit creatis, sed propria et nativa luce intelligibili sese comprehendit, deque ipsa aeque dicitur — veritas aut intelligibilitas *subsistens*, ac *subsi-*

(1) Omittitur ens morale tum quia ex unione idealis cum reali emergit iisque continetur, tum quia ne pluribus, quam oporteat, involvamur, cum nobis satius sit primarias tantum scientias adducere, ex quibus scientiae entia moralia deinceps sesturiunt. Caeterum si etiam ens morale advocaretur, tunc enascerentur scientiae morales, quarum, sicut et caeterarum scientiarum daeontologicarum, protologia est ethica, vel *osiologia*, quia forma moralis est ultima entis perfectio.

stentia vel *realitas* intelligibilis —; in divinis enim, ait s. Thomas, esse est ipsum intelligere.

Hisce clare praestitutis, iam patet, scientias idealium, *ideologicas*, scientias realium, *metaphisicas*, scientias entis ideale-realis, *theologicas* posse optime vocari.

Iamvero quaevis earum species scientiarum, primigeniam quandam scientiam veluti matrem sibi vindicat, quae eas parit, sibique ceu genita in stipitis *unitatem* congregat, ac ordinatim circumponit. Id siquidem postulat genetica doctrinarum hierarchia, quam in prolegomenis egimus. Quapropter sua est scientiis ideologicis protologia, sua metaphysicis, sua theologicis; quae perinde ac peculiares derivationes in totidem speciales atque organicas aggregationes distinctae sub singulis protologiis circumordinatae coeunt. Huiuscemodi autem protologiae sunt; ideologia, ontologia, et theologia naturalis (1).

69.° Iam age, quo ordine sese mutuo eiusmodi protologiae excipiunt? Cuiuam primum est vacandum? Quae aliis praestantior?

Eodem ordine protologiae invicem subsequuntur, quo scientiae eis subiectae classificantur. Atqui nobis est iam dudum probatissimum, scientias ideologicas aliis antegredi. Priusquam enim in naturam et originem entium inducamur, oportet profecto naturae et origini cognitionis iam ante probe studuisse, ut certo sciamus, an cognitio verax sit, vel mendax: alias quis semper poterit praeclarissima inventa nobis in dubium revocare, atque concutere duobus verbis: — quomodo haec dignoscis — ? Prius ergo est regnum idearum perlustrandum, natura et origo cognitionis praestabiliendae, ideaeque variae in unitatem principii maximi, fontisque unici colligendae, ut reipsa se gerit ideologia, quae mundum idealem in unum componit, eiusdemque ultimas praebet rationes logicas, quibus idearum varietas tota circumnectitur.

70.° Ordine ideali in unitatem perbelle redacto, ad ordinem realem foret accedendum, cuius scientias permultas, et varias, iuvabit pariter unico principio coordinare; cuiusmodi est theoria abstracta

(1) Ratio autem praecipua, cur philosophia debeat de scientiis ideologicis, ex quibus exorditur, in alias ontologicas et theologicas progredi, ex eo provenit, quod philosophia, ut optime adverterat Plato, est scientia de *esse* (dell' essere). Quod cum sit unum quidem essentia et trinum formis (de quibus nullum dubium est), philosophia ideo debet eousque successive eniti atque impelli, donec totam entis naturam attigerit et bene intellexerit. Item cum ultimae rationes rerum, in quas philosophia intendit, nonnisi in tribus entis formis collocentur, eas omnes ipsa non adsequetur, neque propterea complebitur, quin totam entis naturam rite perspexerit; quamquam, si aliquam rationem, puta logicam, cognosceret, dici revera posait philosophia, licet nondum completa et perfecta, sed elementaris.

entis triplici forma instructi, idest reale, ideale et morale; quod sparsim modo in una, modo in altera forma *realizzatum* cernitur. Hoc pacto entia realia exigi queunt entis essentiae, atque inde videri, quaenam ex istis sint aliis excellentiora, quaeque magis, minusque ipsi enti completo accedant; et demum quinam entis unitati coexistat, et concilietur trinitas formarum, et quo ordine formae istae invicem conserantur. Hae indagines ad ontologiam spectant, quae proinde = protologia scientiarum metaphysicarum = merito nuncupatur; quaeque ratione originis subest quidem ideologiae, unde lumen veritatis, quo sparsas in rebus formas entis conspicit, haurit, ratione autem excellentiae et amplitudinis est illa nobilior, quippe quae haud in ens tantum ideale, neqne solum rationes ultimas logicas, sed ens trina forma perfecte constitutum, spectat; atque in triplici eius forma realitatis, idealitatis, et moralitatis, triplicem basim supremam rerum statuit, ex quibus formis tres rationes ultimae entium cuiusque naturae derivantur.

71.° Mox occurrunt scientiae theologicae, quae, ut diximus, ratiocinio utentes, theoriam abstractam entis completi detegunt in Deo apprime *realizzari*, cum revera natura reali, ideali et morali sit ipse intrinsece comparatus, cui propterea revocandi sunt ordines idealis, realis et moralis, atque in ipsum vel tamquam in principium, si de ideali, vel in causam creatricem, si de reali, vel in finem, si de morali sermo est, cogendi. Haec docet theologia naturalis, quae est ultima ac perfecta totius philosophiae rationalis protologia, in qua, cum philosophus ad ratiocinandum ex ideologia prodierit, atque gradus itineris quos transgressus fuit, recogitaverit, ut in alias excurreret scientias, eas strictius unit, solidius constituit, plurimum inde lucis iis effundit, ac penitus intelligit.

72.° Quoniam vero non omnia quae Dei sunt, sola discutiuntur theologia naturali, sed opus est ad theologiam supernaturalem etiam ingenium appellere; ideo theologia supernaturalis ut quarta, et omnium praestantissima haberi potest *protologia* penes philosophos christianos (1).

73.° Hoc pacto contentio de primatu protologico dirempta nobis videtur; quia ideologia est reapse protologia respectu ordinis idealis in totam philosophiam effusi, et ratione originis scientiarum quarum ipsa caput est utpote doctrina de cognitione humana omnibus disputationibus praemittenda.

(1) Ex hac progressione cognitionis humanae a primis rationibus formalibus usque ad ultimas rationes *ontologicas* et *metaphysicas*, rationales et revelatas, atque ex ipsa regressione ab ultimis hisce rationibus ad primitivas formales, patet, scientiam universam in magna veluti orbita se se revolvere, cuius *poli* sunt ideologia, et theologia supernaturalis.

Ontologia autem quoque dicitur protologia, tum relative ad scientias metaphysicas et daeontologicas, quas in unitatem redigit, tum etiam ob maiorem amplitudinem et perfectionem obiecti, seu entis completi. Quo contingit ut si ratione originis, ideologia antecedat, ratione vastitatis et perfectionis obiecti, ipsa est inferior ontologia.

Denique theologia naturalis potiori iure nomen protologiae meretur, quia realizzationem plenam et perfectam entis completi perhibet, unde ordines idealis, realis et moralis procedunt, atque tota philosophia perficitur. Atque hinc elucescit ex praefatis protologiis primam primordia elargiri secundae, qua completur; secundam primordia tertiae, qua similiter binae inferiores absolvuntur; tertiam demum in theologiam supernaturalem perducere, in eaque absorberi, sicuti radium in sole.

Nos tamen protologiam tantum ideologicam, vel protologiam *elementarem* hic suscipimus, quam perspicuitatis gratia, in gnoseologiam, ideologiam proprie dictam, ideogoniam, et logicam dividemus. In prima parte de cognitione humana, prout ex subiecto cogitante et obiecto componitur, eloquemur; in secunda de idearum vel intelligibilium natura; in tertia de idearum origine, in quarta demum de ideis quatenus rerum veritatibus, deque ultimo criterio veritatis, et modo caetera criteria ex ipso deducendi, et cognitionibus convalidandis applicandi, aliisque id genus plurimis, pertractabimus.

PARS PRIMA

GNOSEOLOGIA

74.° Quae in gnoseologia disputaturi sumus in tres sectiones distinguemus: in earum prima de cognitione humana, eiusque speciebus; in secunda de facultatibus cognoscitivis; in tertia demum de natura obiecti cognitionis.

SECTIO PRIMA

DE COGNITIONE HUMANA IN GENERE

CAPUT PRIMUM

DE INTRINSECA COGNITIONIS HUMANAE CONSTITUTIONE

75.° Hominem praeter principium sensitivo-corporeum a condito re etiam principium intellectivum prae belluis obtinuisse, factum est exploratissimum, quod vel ipsi fatui in semetipsis experiuntur, idque tamquam basim totius philosophiae instaurationi Cartesius suffecit, cum ipsi visum fuerit scientias posse hoc enthimemate erigi: — ego cogito; ergo sum —. Atque hinc est, ut philosophi germanici, qui eousque devenerunt, ut absolutum et universalem idealismum et scepticismum inveherent, cognitionis tamen existentiae pepercerint; quin imo solam cognitionem, ceu puram, absolutam et primordialem activitatem omnium excidio exceperint, cuius sunt omnia quae videntur aut tanguntur, eaque et homo aliquando *obiectivari* et creari debet.

Haec de cognitionis existentia dicta sufficiant, non quasi iis indiscriminatim suffragemur, sed ut innotescat quantae soliditatis soleat factum cognitionis aestimari.

76.° Alias omnino res se habet cum nobis sermo est de cognitionis essentia vel constitutione, quam quisque pro suo ingenio interpretatur. Aliud enim sensistis, aliud subiectivistis, aliud pantheistis, aliud ideologis ipsa videtur. Nobis, caeteris interim ut absurdis sy-

stematibus praetermissis, magis doctrina saniorum ideologorum adridet, qua statuitur = cognitionem eam esse mentis operationem, qua existentia rei cuiuslibet idealis vel realis in seipsa ita apprehenditur, aut percipitur, ut coram mente sistatur =. Quae cognitionis definitio manifeste declarat terminum immediatum cognitionis nihil sensibilis, aut tactilis, aut visibilis, aut sapidi, aut sonori, aut odorosi esse, sed *ens* vel *existentiam* tam peculiarem, quam universalem, aeque idealem ac realem, atque in ipsam veluti in obiectum sibi exhibitum, et extra se constitutum cognitionem porrigi, totamque defigi (1). Sane quisnam rei cuiusdam ignarus dicitur, nisi qui eius existentiam ignorat?

77.° Praeterea cum sit compertum (2), singularia sciri non posse, quin praenoscantur universalia, quibus singularia virtualiter ingeruntur, liquido consequitur, entia peculiaria et determinata in mentis aspectum minime venire, neque ipsi adesse ut inde eorum oriatur cognitio, nisi praehabeatur existentia, vel ens universale, cuius aspectu, mens primitivum et radicalem actum cognitionis eliciat, atque potentiam universalem caetera quoque cognoscendi, adipiscatur.

Verum, eiusmodi existentia vel ens propter suam universalitatem, ordinem realem singularibus et individuis confectum, mehercule exuperat; proindeque nonnisi existentia idealis esse potest, vel, ut idem aliis dicam verbis, idea existentiae, cui revera universalitas competit, cum omnibus entibus applicari possit, eaque potentialiter contineat. « Intellectus, ait s. Thomas, habet operationem circa ens in universale (S. I. LXXIX, 11) et unumquodque conoscibile est in quantum est ens » (in L. phys. c. 1.). Ast in quantum est ens, ope ideae entis apprehenditur; ergo idea entis est *principium formale* cognitionis.

Rursus, mens, tametsi plurima singularia atque distincta, sive idealia, ut lepus idealis, sive realia, ut lepus realis, cognoscit, tamen ea sive in ratione entis, sive in aspectu universalitatis considerat, quia, inquit s. Thomas, — intellectus est universalium — (3).

(1) Non unum ergo, sed tria statuimus cognitionis elementa: 1.° ideam entis; 2.° elementum subiectivum, idest actionem mentis; 3.° elementum extrasubiectivum, vel agens externum. — Vid. Plat. in Theaet.

(2) S. Thomas S. I. LXXXV, 111. — et Arist. lib. I. phys. — Profecto priusquam noverim animal, v. g. quod aspicio, leonem esse, debeo praescire quid sit leo in specie. Ergo antecedenter ad cognitionem huius vel illius entis, aut existentiae peculiaris, debeo itidem praenoscere ens, vel existentiam in genere. Atque sic patet dictum Aristotelis — nos revera ex universalibus in singularia devenire —.

(3) Loc. cit. Ideo intellectus dicitur universalium, quia una utens idea, alia atque alia in infinitum *realizzanda* concipere potest; quod sensui denegatur — Conf. plat. in parmen.

Ideoque idea entis sub utroque respectu entis nimirum et universalitatis etiam obiectis singularibus irrepit, eisque universalitatem, quae frustra ex individualitate, vel ex sensatione praestolaretur, impertitur. Ex quibus simul coniunctis clare iam cernitur cognitionem quamdam esse ideae existentiae applicationem, usumque perennem modo entibus idealibus, modo realibus menti ferendis, factam (1). Quae de universalitate cognitionis adeo vera sunt, ut Scotus noster dixerit scientiam semper de *universali* non de *singularibus* esse; (Comm. metaph. III).

78.° Cave autem dicas sat superque existentiam physicam et realem cognitionis constitutioni sufficere. Nam si id contingeret, prout contendis, quid est, quod belluae realia equidem sentiant, haud tamen ea unquam cognoscant? Nonne et ipsis physica existentia panditur? Quid homini lumen rationis contulit, si rebus cognoscendis sensus corporeus superfuisset? Discernenda igitur est existentia idealis ab existentia reali; haec sensibus, illa intellectui ut cognitionis *forma* est affigenda, si sensismum deflectere optamus.

ARTICULUS PRIMUS

TANTUM INTEREST DISCRIMINIS SENTIRE INTER ET COGNOSCERE, UT INFINITE DISTENT INVICEM

79.° Ut quae de cognitionibus constitutione docuimus, altius alumnis infigantur, ac magis a sensistis nondum aevo nostro absoletis deterreantur, *sentire* et *cognoscere* simul studiose conferimus.

Intellectus entia cognoscere dicitur, cum res, non equidem qua sentiuntur, sed ut sunt, animadvertit. Sensus contra in eas abripitur prout iis modificatur. Quamobrem intellectus res sibi obiectas, idest extra se positas, atque tantum adstantes, expendit: sensus autem utpote sibi unitas, et defixas, ac, pene dixerim, subiectivatas percipit, vel recipit. Solo ergo intellectus ductu, sensibilia, extra sensum, cui agendo insistunt, repelluntur, atque ut sunt in se videntur, et quid sint, quantique valeant recto intellectus iudicio aestimantur, sine ulla ad sensus relatione, atque utilitate; vel, quod idem est, sensu, relative, intellectu, absolute res percipiuntur (2).

(1) Recole proleg. cap. 1. ubi idem, alio tamen modo, evicimus. Illic enim intelligibilitate, hic universalitate ducti, cognitionis naturam et constitutionem introspeximus.

(2) Plura alia inter sensationem et cognitionem discrimina vid. in Plat. theaeteto.

80.° Sed qui fit, ut intellectus res sensitive perceptas, et sensibus inhaerentes, extra se veluti eiiciat, et *obiectivet?* Profecto quia terminus originalis cognitionis est obiectivus: idest ita vel in sua origine est constitutus, ut ipse ceu aliquod menti *oppositum* exhibeatur eumque tamquam ens, vel in se mens apprehendat. Atqui nil est prorsus sive in sensu, sive in sensibilibus, quod ex se instar obiecti queat intellectui ita adsistere, tum quia obiectum, utpote intellectui immediate praesens, intelligibile esse debet, cuius naturae certo non sunt sensibilia; tum etiam quia obiectum est aliquid menti quidem affulgens, ipsam tamen non ingrediens: sensibilia autem sensibus agendo irrepunt, iisque veluti infiguntur, et aptantur. Insuper obiectum mentis est immutabile, necessarium, nedum mihi, sed omnibus intelligentiis, idem numero, praesens, aeternum, possibile, ideale et simplicissimum; ideoque neque interire, neque discindi, neque coerceri, neque utcumque immutari potest: etsi res sensibilis, prout nimirum sensu percipitur, pereat, mutetur, frangatur, et multifariam alteretur. Quod obiectum nedum conceptionibus idealium, sed etiam perceptionibus intellectivis realium interesse conspicitur, si materiam perceptionis intellectivae, cuiusmodi est v. g. realitas hominis, ab eius forma obiectiva ei adnexa, ut est idea, vel essentia hominis, secerneretur. Prior sensibus refertur, et elabitur, posterior intellectui inest et permanet (1). Cum ergo sic sese habeant termini intellectus et sensus, nil dubii est, quin infinitum distent, quia inter obiectum immutabile, necessarium, aeternum etc. et subiectum, vel extra-subiectum contingens, mutabile etc. infinitum revera interponitur discrimen. Hinc Scholastici, ne intellectus sensibilibus implicatus censeretur, dixerunt, ipsum haud directe et immediate, sed per quamdam reflexionem sensibilia percipere, atque intellectum talem habere operationem, cui non communicat corpus, vel organum corporale (2); videlicet, cum spiritus humanus partim sit sensitivus, partim vero intellectivus, vix ipse sensibus afficitur, ab universalium contemplatione, ut sic dicam, surripitur, et in semetipsum sentientem intorquetur, suas sensationes intellectus obiecto exigit, easque

(1) S. Thomas S. I. LXXXVII, III disertis verbis docet obiectum immediatum intellectus esse rationes necessarias et universales (essentias vel ideas) sensibilium, ideoque omnes scientias de necessariis esse. Contingentia vero prout contingentia sunt (sensibilia) directe spectare ad sensum, qui est singularium, et contingentium. Intellectus ergo a sensu infinite differt. S. I. LIV, IV, docet res materiales non esse per se actu intelligibiles, sed fieri intelligibiles per lumen intellectus agentis: Plat. theat.

(2) S. I. LXXV, II. — S. I. LXXIX, IV-VI. — S. I. LXXVI, I.

in primis obiectivat, universalizzat et intelligit (1). Neque Scholasticos eiusmodi entis virtus sensibilium *obiectivizzatrix* vel *universalizzatrix* praeterierat, quam ideo voce *immaterializzationis* exprimebant, quippe qui statuissent intellectum nonnisi immaterialiter, vel intelligibiliter apprehendere (2), aut etiam universaliter semper se gerere.

Hoc sane Galluppi, aliique serio non attenderunt, eo quod veriti haud fuerint, sensationibus obiectivitatem elargiri, et propugnare solis sensibus rerum existentiam, idest entia percipi. Hoc enim pacto sensationes cum ideis et iudiciis confunderentur (3). Quod si sensationem melius ipsi expendissent, non utique obiectum, sed elementum extra-subiectivum tantum invenissent: de quo alibi se nobis offeret occasio dicendi.

81.° Si autem quaeris quid sit eiusmodi mentis obiectum, quo sensibilia obiectivantur, reponemus: — ipsum esse ideam *existentiae* —. Quid enim est aliud, sensibilia obiectivari, quam ea ceu *entia*, idest non uti agunt, vel sentiuntur, sed uti sunt, haberi? Opus ergo est idea existentiae vel entis: sicque magis confirmatur — cognitionem iugem esse *ideae entis* applicationem —, et ideo *obiectivam* essentialiter esse, quia elemento obiectivo immediate et originaliter informatur atque utitur.

Sin rursus percontaris, cur idea entis sit obiectiva, regerimus: eam esse obiectivam, idest subiecto extraneam, quia universalis est, omnibus mentibus obiecta, indeterminata, immutabilis etc. Quibus characteribus (de quibus alibi) statim exueretur, vix animae angustiis ipsa concluderetur seu subiectivaretur. Ea autem sic obiectiva manente, etiam quae in ipsa videntur, eius obiectivitatem participant, mentique, ut intelligantur, apponuntur; secus minime cognoscerentur.

(1) S. Thomas S. I. LXXXVII, II. tradit, intellectum nostrum esse virtute infinitum, et infinitum cognoscere, in quantum est cognoscitivus universalis, et per consequens non finire in aliquo individuo, sed ad infinita individua sese extendere. Quod cum non eveniat sensui singularibus semper circumscripto, patet iterum haec duo infinite distare.

(2) S. Thomas de Verit. X. Vi ad 2. — S. I. LIV, IV.

(3) S. Thomas S. I. XIII, VI, sensationem subiectivam ab idea obiectiva evidenter discernit dicens: « oculus (mentis) non cognoscit lapidem secundum esse quod habet in oculo (secundum sensationem) sed per speciem lapidis quam habet in se cognoscit lapidem secundum esse quod habet extra oculum. Et si aliquis cognoscens cognoscat cognitum secundum esse quod habet in cognoscente, nihilominus cognoscit ipsum secundum esse quod habet extra cognoscentem ». En quibus colligitur etiam animae modificationes vix dum cognoscuntur, iam hoc ipso obiectivari, seu extra animam veluti considerari.

tur quemadmodum non videretur corpus, si non coram oculis esset sed ipsis oculis infigeretur.

Sciscitanti demum, qui idea entis sensibilia obiectivet, eaque utpote entia menti exhibeat, dicimus; ideo hoc eam praestare, quia divinae naturae est. Deus enim cum sit per essentiam similitudo et causa rerum, non eis subditur, vel unitur ut patiatur, aut afficiatur, idest ut sentiat et percipiat more hominum, sed eas statim uti entia, idest extra se existentes, atque ceu creationis terminos, non equidem earum subsistentiam sentiendo, sed in seipso ceu in obiectiva earum, *et perfecta intelligibilitate creatrice* eas contemplando, clarissime intuetur. Porro cum huiusce divinae intelligibilitatis paullulum nobis fuerit participatum, consequitur ea quae in ipsa videmus pariter obiectivari, atque a sensibus, quibuscum corpore nectimur, exsolvi, ut res in quantum in se sunt percipiamus. Quare dicit s. Thomas, quod intellectus divinus sit causa et mensura intellectus nostri, quia eius obiectum imperfecte participamus, quo res expertas obiective cognoscimus. Si ergo res cognoscere idem est ac eas in obiectivitate, vel intelligibilitate videre; intelligibilitas autem est aeterna, necessaria, immutabilis, sponte veluti sua fluit, eam divinae originis esse, et quamdam particulam essentiae divinae, quae est obiectivitas vel intelligibilitas omnium rerum. Quae licet verissima tamen intellectu difficillima adhuc putamus.

ARTICULUS SECUNDUS

DECLARATUR CUR COGNOSCERE IDEM PLANE SIT AC IUDICARE

82.° Iudicium ea dicitur = mentis operatio qua subiecto cuidam copulatur, aut abiudicatur praedicatum =. Praedicatum est semper ideale, vel obiectivum; subiectum autem modo sensibile vel reale, modo ideale. Subiectum est reale, cum rei alicuius existentia primo affirmatur, ut cum dicerem — quod sentio existit —. Ly *quod sentio*, idest sensationis terminus, reapse subsistit et primum percipitur. Contra ideale est, ubi non de subsistentia, sed de natura, vel qualitate rei alicuius iam cognitae iudicium proferretur; ac si dixerim — equus est rufus —. Quod haud protulissem nisi ideam equi, vel equum idealem praenovissem. Hisce de iudicio obiter praelibatis, propugnamus *cognoscere* et *iudicare* idem plane subaudire.

83.° Re enim vera cognitio in realibus vel idealibus tantummodo versatur: nullum enim patet effugium; si in realibus, ea vel primum, vel iterum cognoscuntur. Primo in casu, cognitio protinus enascitur, cum eorum existentia percipitur, et dicitur — aliquid existit —, vel — ens quiddam adstat —. Quibus verbis quam clarissime palam fit

rei visae ideam existentiae ceu eius praedicatnm coniunctam iri: ideoque verum iudicium confici.

Quod si non primnm, sed iterum, atque iterum realia cognoscerentur; puta, si rhedam pluries conspicimns, tunc toties vel tacite, vel expresse pariter dicimus — en rheda —, vel — ens illud equis transvectum, est rheda —. Id autem dici nequit, quin antea ideam rhedae ut praedicatum rei perceptae coniungeretur, qua ens perceptum in rhedis classificatur. En nos denuo in iudicium. Tam igitur primo, quam secundo, tertio etc. realia cognoscere idem subaudit, ac ea iudicare, seu ad aliquam genericam vel specificam entium classem ea revocare,

Neque alias se gerit cognitio idealium.

Res enim ideales nullatenus concipiuntur, quin mens item earum existentiam idealem vel possibilem, vel praeteritam, vel futuram implicite concipiat. Secus enim cognosceret simulque non cognosceret: cognosceret, uti supponitur; non cognosceret, quia in ens haudquaquam intenderet, cum ne idea entis quidem uti, aut ens animadvertere dicatur. Etsi igitur elargiamur, mentem in aliquam ideam adeo directe et exclusive defigi, ut neque ad praeteritam, neque ad praesentem, neque ad futuram existentiam realem attendat, numquam tamen eveniet, ut quod ipsa versat, aestimet non esse, vel nil esse; imo supponit sibi revera aliquid adesse tamquam obiectum cognitionis, ni asserere velimus cognitionem in nihilum evanescere. Id autem supponere hoc est rei conceptae existentiam saltem idealem vel possibilem affirmare (1).

Praeterea in qualibet idea vel obiecto cognitionis duo semper includuntur elementa; 1.° idea entis; 2.° proprietates vel determinationes specificae vel genericae. Quid enim est idea hominis, nisi idea entis *rationalis*? Quapropter enti in genere ceu subiecto tacite adiunguntur proprietates ut praedicatum; ideoque reipsa etiam ideas intuendo iudicatur (2). Interim huc luculentius recidit — cognitionem perenni ideae existentiae applicatione exerceri —.

(1) Nullam sine *existentiae* apprehensione fieri cognitionem posse doc et ipse Plato in theaet.

(2) Id autem sicut humanae cognitioni, ita cuivis alteri, et etiam divin contingit, qua Deus Pater ab aeterno seipsum cognoscens, seipsum affirmat seipsum dicens et quaecumque facit; affirmando enim seipsum generat *Verbum*, et in ipso omnes rerum creandarum archetypos. Cons. S. Ans. mon c. XXXII et praecipue c. IX, ubi idipsum aperte docet. « Illa forma rerum quae in eius ratione res creandas praecedebat, quid aliud est quam reru quaedam in ipsa ratione locutio? Veluti cum faber facturus aliquod suae artis opus, prius illud intra se dicit mentis conceptione ». Inde habes tam cogni

84.° Quae cum ita sint, ultra in Platonis, aliorumque philosophorum graecorum et orientalium sententiam venimus, qui optime cognitionem verbum vel discursum internum idest *logos* dixerunt; eosque propterea fuerunt laudabiliter Ecclesiae Patres secuti, et praesertim s. Augustinus et s. Thomas, qui menti ceu eius cognitionis essentiam et radicem iudicium adscripserunt. « Mens ait s. Augustinus, servatur ut iudicet » (1). « Ad cognitionem, inquit s. Thomas, duo concurrere oportet scilicet apprehensionem et iudicium de re apprehensa » (2). Caetera loca transgredimur, ubi ipse Angelicus docet, cognitionem sine phantasmate cui lumen intelligibile, vel idea existentiae applicatur, numquam oriri.

Eiusmodi porro applicatio quid est aliud quam verum iudicium, quo rei existentia primo affirmatur, atque ratio aliis itemque aliis initiatur ac ditescit cognitionibus? Nil ergo mirum si Locke nomen cognitionis illis notionibus abnuerit, quae sine iudicio fierent. Quantum igitur vero abscedit Galluppi, qui perceptionem intellectivam sensibilium nullum includere iudicium opinatur! Quantum et ipse Volfius itidem deceptus est, qui notionibus intuitionis pura mente conceptis et oculis iudicium sustulit, idque solis notionibus symbolicis, idest verbis signisve prolatis, ingessit; ac si aliud sit in idea, aliud autem in verbis (3). Quam demum fere omnes logici fallantur, qui ideas iudiciis praeponunt, perinde quasi ideae sine praeeunte iudicio adipisci possint.

85.° Neque haec parvi adeo momenti res est, quemadmodum pluribus sciolis videretur; sed quam maximi aestimanda, quippe quae, si recte sequatur, ad radicem intelligentiae nos conducat. Exemplo sit s. Augustinus, qui cum vidisset cognoscere idem esse ac iudicare: Iudicare autem regulam quamdam exposcere immutabilem, mentem

tionem divinam, quam humanam vere iudicantem vel loquentem. Quod clarius s. Thomas expressit, cum docuerit cognitionem sive in mente divina, sivo in humana, in verbum necessario prodire, quamquam inter Verbum divinum et humanum infinitum habeatur discrimen.

(1) De Trinit. L. IX, c. V. — De verit Relig. c. XXiX —.

(2) De verit. qq. X, a. VIII —. Tota ferme foret Summa Aquinatis excribenda, si quae hic nobia favent, excerpere vellemus: ipsam adeant qui maiora optant, in logica apposite ostendemus quomodo — idea formam includat iudicii idealis —.

(3) Galluppi Sagg. Crit. sulla conosc. eto. — Volfius — psychol. ration. §. 398, et psychol. emp. §. 331. —. Falsa igitur est ideae definitio, quam Fortunatus a Brixia aliique tradiderunt, — obiecti alicuius genuina imago, quam mens immediate contemplatur, quin tamen de re ipsa quidquam a nobia affirmetur vel negetur —. Non equidem inest ideae iudicium de rei *subsistentia*, vel primitivum, sed iudicium existentiae idealis vel possibilis.

super excedentem, et divinam, inde deduxit mentem divina veritate informari, neque de veritate, sed iuxta ipsam iudicare (1). Cum autem respectu nostri necessitas iudicii ex eo tota procedat, quod nihil cum ideale, tum reale concipere, quin utamur idea entis, valeamus, patet, polytheismum vel pantheismum nobis ingruere, si vel quidpiam idealis aut realis sine idea entis applicatione et usu, sed simplici et immediata intuitione, aliquid cognosceremus.

86.° Cave autem dicta ita accipias, ut ideis actum iudicii censeas contineri, uti neoterici pantheistae obganniunt, quibus idea seipsam affirmat et iudicat. Non enim iudicium, in quantum actus subiectivus vel verbum animi est, sed obiecta vel elementa iudicii in ideis, imo ipsae ideae sunt; sin autem non ideam, sed ipsum actum subiectivum cognitionis intelligis, tunc iudicium actui subiectivo cognitionis identificatur, quia idem ipse est, non vero ideis quas actus iudicii tantum spectat.

Demum, praemonendum etiam ducimus, ideam entis quippe simplicissimam nullum iudicium, sed puram mentis intuitionem postulare, qua directe et immediate ipsa cernitur veluti praedicatum universalissimum iudiciorum. Haec tamen suo loco dicentur prolixius.

ARTICULUS TERTIUS

DE ELEMENTIS COGNITIONIS HUMANAE

87.° Ut quae de cognitionis humanae constitutione hactenus dedimus magis clarescant, abs re non erit singula, quibus ipsa componitur, elementa percensere; eo vel maxime quod nunc temporis philosophi hinc inde doctrinis sensationis et cogitationis distracti, in rationalismum conspirent, cum ingenti Religionis et rationis iactura. Docetur enim identidem cognitionem ex ipsa sensatione, vel ex innata animi virtute, ceu ex ramulo folium afflorescere, quin ei necesse sit aliud quidquam obiectivum suffici elementum, quo mens in cognitionem erumpat. Uterque eiusmodi error tam sensistarum quam subiectivistarum confestim subruetur et concidet, vix dum cognitio recta fuerit analysi subiecta, riteque evoluta.

88.° Quaevis cognitionis species duobus semper distinctis elementis coalescit: subiecto videlicet cognoscente, et obiecto cognito, quo

(1) De ver. Relig. capp. XXX, XXXI. — s. Thomas qq. disp. q. XIX art. 1. — Iudicio identidem Patres et philosophi usi sunt, quo cognitionem a sensatione dividerent, eosque adorirentur, qui sensibus cognitionem donabant, ac si dicerent, si sensibus non insidet iudicium, quomodo cognitio inhaerebit? Conclusio utique ineluctabilis.

rum alterum sine altero impar est cognitioni gignendae. Cum autem uniuntur ut cognitionem pariant, non ideo aliquatenus simul commiscentur, vel mutantur; sed invicem tantum osculantur, ac fere tanguntur, unoquoque in suo esse interim permanente, sic ut neque subiectum in obiectum, vel obiectum in subiectum ullatenus irrepat: oppositae enim sunt prorsus naturae, et in se invicem ita adversae, ut essentialiter repulsentur (1). Adeo ergo impossibilis est eorum commixtio (2).

Eiusmodi elementorum duplicitas, quo est intellectu facilior, cum de cognitione realium agitur, eo est captu difficilior, ubi sermo de cognitione idealium instituitur. Norunt enim et dementes, lapidem, feram, avem, aliaque realia, haud aliquid mentis ea cognoscentis esse, neque ex ipsa enasci. Contra innumeri propemodum, recentiore praesertim aetate, alias rentur quoad entia idealia, puta lapidem, feram, avem idealem, quae propterea quia mente dumtaxat continentur, ea totidem mentis partus esse et progenies arbitrantur, ac si mens nedum actum cognitionis, sed et obiectum eiusdem sibi progigneret. Huiusce perabsurdae opinionis ii omnes accusantur, qui ideas aliud quidquam non esse, quam animi modificationes, elementa phosphorica, nervorum vibrationes, cerebrales digestiones, monogrammos, signa hieroglifica, evanidum vaporem, comminiscuntur. Verum deliria adeo expudorata minime isti effutivissent, si accuratius naturam entium idealium infinite realibus excellentiorem perspectam habuissent; in quam alibi opportunius nobis eloquendum erit.

89.° Interea ne hactenus dicta, ut nullius momenti in re philosophica parvipendantur, ostendum est, quo demum eiusmodi elementorum dualitas nos perducat: hoc enim pacto propius ad culmen protologiae, in quod contendimus, accedemus.

Diximus, quod cuivis cognitioni necesse sit obiectum adnectere, in quo mens terminat. Ergo etiam primigeniae ac radicali cognitioni suum est obiectum tribuendum. Porro menti omnibus cognitionibus determinatis evacuatae quid amplius superest? Relinquitur profecto sola potentia cogitandi actibus secundariis expoliata, qua mens, etsi

(1) S. Thomas S. I. LXXXIV, II, hac in re egregie scribit: « actus cognitionis se extendit ad ea, quae sunt extra cognoscentem. » Deinde prosequitur Empedoclem perstringens, qui, ut mos est subiectivistis, docuerat, intellectum per suam essentiam res cognoscere, ideoque omnibus rerum elementis componi.

(2) Tamen philosophi germanici in id semper adnituntur, ut cognitionem puram sine obiecto et subiecto sibi confingant, quod certo est, diceret Plautus, in aere piscari. Enimvero cognitio sine obiecto, cognitio non est, sed potius sensatio quam isti se transcendere stultissime putant.

nil amplius determinati percipiat, novit tamen aliquid saltem adhuc fieri posse, novit quid sit *ens in universali*. Ergo primigenium mentis obiectum est *ens universale*, cuius intuitu, primo animus intelligens constituitur.

Quod funditus prae caeteris perviderat Doctor Aquinas, qui passim ostendit in Summa, intellectum hominis *ipsum esse intelligibile* in actu cognitionis adeo ut intellectus idem sonet ac intellectum idest res intellecta. Quo fit ut multa ipse de utroque *univoce* praedicet, propter utriusque arctissimam unionem; ut cum dicit « intellectum per se intelligi » minime certe loquitur de potentia intellectiva, quae lumine intelligibili percipitur, sed de obiecto intellecto, idest lumine intellectus, quod revera intrinseca luce conspicitur, neque eget aliunde illuminari (1).

Hinc est quod idem Doctor ad primum obiectum mentis sese sustulerit, atque inde immediata et directa luce *entis idealis* mentem oriri (2) primoque intelligere ferme perspexerit: cuius doctrinae ideologicae utinam numquam philosophi obliviscerentur, neque eam in pravum sensum improbiter detorquerent. Tunc enim prompta et perentoria praesto eis esset ratio ad neotericos subiectivistas, formalistas, et rationalistas, quos tantopere exhorrescunt, confodiendos. Interim nos iterum inde colligimus — principium formale cognitionis ideam entis esse, eiusque usibus cognitiones peculiares efformari —.

ARTICULUS QUARTUS

LEX ONTOLOGICA SYNTHESISMI INTELLECTIVI

90.° Facto duplicitatis elementorum cognitionis solide constituto, operae pretium ducimus naturam *relationis* qua obiectum subiecto cognoscenti affingitur, penitius perscrutari.

(1) S. I. LXXVI, VI. — ubi scribit « intellectus in actu quodammodo est intellectum in actu »· et S. I. LXXXVI, 1, saepe adhibet vocem — intellectus — pro lumine vel obiecto intellecto, ut magis ostendat — intellectum sine obiecto intellecto perperam desiderari —. Huius sententiae omnes Patres extitere, quos longum nimis foret hic singillatim adducere. Audiatur tamen Scotus « intelligentia creata est effectus obiecti intelligibilis » I. dist. 5, 6, ad 3. Cui iterum adhaeret s. Thomas: « omne cognoscens per virtutem cognoscitivam coniungitur obiecto ». Contr. Gent. c. LIX — et ibid. c. IX. refutat Averroem, qui more germanorum, puram potentiam intellectualem absque obiecto animae concesserat. Eiusmodi synthesim intellectivam, etsi subobscure, cernimus tamen delibatam in Prot. Ermeneg. Plni.

(2) Neque, mentis originem ex idea entis deducentes, quidem comminiscimur. Vadem habemus popellum, qui credit, mentem sine *lumine rationis* neque existere neque intelligere posse.

In id operis tres entium relationes praenotandae occurrunt, idest relationes extensionis, sensilitatis, et entitatis, quibus universa mundi machina firmiter contexitur, atque continens entium catena connectitur.

Relatio *extensionis* interiicitur corporibus quae mutuo comparantur, metiuntur, arcteque simul úniuntur, cum extensio unius exigitur, vel adhaeret, aut repit seque insinuat extensioni alterius. Eiusmodi relatio vocatur physica, mechanica et geometrica.

Relatio *sensilitatis* ea est, quae inter corpora, non qua extensa, sed qua sensibilia aut sensifera, et principia sensitiva interest, quaeque dicitur — relatio termini ad principium —. Talis est relatio qua spiritus sensitivi corporibus copulantur, et vita animalis eiusque modificationes sensitivae nascuntur. Non enim spiritus coniungitur corpori, ut extensum extenso, sed ut sensitivum sensibili seu sensifero, atque ex eius unione sensus vel sensitivitas fondamentalis resultat.

Exinde elucet ne sensitivitatem corpoream quidem posse sine termino sensifero quocum uniatur, subsistere; ideoque principium sensitivum a termino sensibili, vel sensifero divellere, idem profecto esse, ac idem principium sensitivum enecare. « Sensibile in actu, apposite s. Thomas, est sensus in actu: secundnm vero quod sensibile a sensu distinguitur est utrumque in potentia » idest haud amplius subsistet, nisi in mente tamquam possibile tantum (1). Adest ergo inter principium sensiferum et terminum sensibilem *unio* vel synthesis quaedam arctissima ac mysteriosa cui tota insidet et alitur vita animalis. Quamobrem relatio sensilitatis est vere vitalis.

Demum superest relatio *entitatis* caeteris relationibus solidior et excellentior, quae neque extensioni, neque sensibilitati, sed entitati rerum exclusive appingitur; ideoque eas in ratione entis mentibus unit (2). Ut enim res menti adstent, eique adiungantur, opus certo non est eas vel extensas, vel sensibiles, sed entia solum esse. Quapropter mens tam corporalia, quam spiritualia, tam realia, quam idealia, tam aeternum, quam finitum indiscriminatim cognoscit, quia haec omnia entitatem praeseferunt. Sit ergo quidpiam, quod verum dicatur ens, et eo ipso obiectum mentis fieri potest, quam propterea relationem, intelligibilem merito dixeris.

(1) Contr. gent. L. I. II. et S. I. LXXXIV, VI —. Item alibi tradit sentire non est sine corpore S. I. LXXVI, I.

(2) S. Thom. S. I. LXXIX, VII « intellectus respicit suum obiectum secundum communem rationem entis. » Item de ver. I. — S. I. LV, I. et alibi passim. Cui assentitur S. Bonav. Itin. ment. in Deum c. III. Intelligere neque ex subiecto cognoscente, neque ex obiecto seorsim sumptis, sed ex eorum unione consequi, expresse item docet s. Thom. S. I. LIV, II. ad 3.

Nil ergo remanet dubii, quin lex ontologica synthesismi entium toti naturae dominetur, resque simul alliget, ita tamen, ut corporibus sit lex synthetica spatii, principiis sensitivis et terminis sensiferis lex ontologica sensilitatis, intellectivis autem eiusque obiectis lex synthetica entitatis, vel intelligibilitatis, vel obiectivitatis, quarum secunda est prior, universalior et nobilior prima, iisque duabus ultima sive universalitate, sive dignitate praestet.

91.° Huiuscemodi relationes, ut quisque cordatus certe perspexit, iure ontologicae dicuntur seu ex speciali entis natura necessario promanantes, sine quibus de ente corporeo, sensibili et sensitivo, intelligente et intellecto conclamatum foret, quia unumquodque ens sua exueretur natura, et annihilaretur. Quod clarius ex ontologia constabit.

92.° Iamvero, ut quo caepimus reducamur, quid ergo nobis est inde concludendum? Habemus profecto necesse inde ineluctabiliter inferre, nedum cognitionem humanam, sed angelicam quidem, et ipsam divinam obiectum, vel intelligibile distinctum, sibique tamen unitum item expostulare si ipsis inest veri nominis cognitio, realiterque existunt et concipiunt. Quoad angelos nil subest mirandum, cum ipsi quoque, ut loquuntur theologi, idem lumen divinum etiamsi nostro intensius et validius participent; nec nisi delirantes asserere auderent, angelos aeternas, quas intuentur, veritates, sibi propria virtute progenuisse, et nullimode lumine eguisse divinae intelligibilitatis. Hac enim in hypotesi absurdissima angeli tot evaderent dii; quod impium dictu est. Atque hinc est, ut s. Thomas absolute docuerit: « in omnibus substantiis intellectivis invenitur virtus intellectiva per influentiam divini luminis » (1). Item « habens intellectum est intelligens; intelligitur autem id, cuius species intelligibilis (obiectum vel idea) intellectui unitur » (2).

Par ergo et homini angelus quoad derivationem luminis divini, quo eius intelligentia illustratur, etsi sub aliis modis; eadem propterea et lex synthesismi intellectivi.

(1) S. I. LXXXIX, I.

(2) Contr. gent. c. LIX. Ne cuncta, quae huc referri possent ex Angelico Doctore, congerantur, conferantur qq. S. I. LIV-LV-LVIII — S. I, II, LI, 1. ad 2. — S. I. LIV, III. — ubi et identitatem luminis divini idest *entis* vel veri angelis aeque ac hominibus derivati, et modum utriusque participationis, et cognitionum differentias inde emergentes, aliaque plura id genus magistraliter et doctissime explanat et commonstrat; quibus indubitanter subiectivistae et commoneri, et erubescere, et resipiscere, orique manum sibi imponere deberent. De S. Aug. nil dicam cum eius opinio de angelorum cognitione sit in scholis vulgatissima.

93.° Unicum dumtaxat ens existit, cuius esse est eius intelligere, neque ei opus est aliunde obiecta intelligibilia mutuari: propterea que aeternum est, sicut aeterna sunt intelligibilia eius naturae identica. Verumtamen id minime impedit quominus lex ontologica synthesismi intellectivi ipsum Deum quoque non adstringat, atque in ipso distinctionem subiectum inter et obiectum intelligibile ostendat. Verum enim vero, dicitur ac firmiter creditur quod ab aeterno Deus Pater seipsum intellexerit, eoque suae intellectionis aeternae actu genuerit et etiamnum generet Verbum a se distinctum personaliter, quod paternae cognitioni vel intellectioni ceu obiectum, vel cognoscibilitas, et intelligibilitas est. Nedum igitur ratione, sed et mysteriis arduis, ac fide potius credendis quam ratione pervestigandis, in thesim impellimur qua tuemur: — terminum, ut sic dicam, cognitionis paternae vel eius obiectum esse quidem a Patre seu a subiecto cognoscitivo realiter quoad personam distinctum, ut revera Verbum se habet respectu Patris (1) —. Ecquis itaque non demiratur amplissimum cognitionis synthesismum, qui ne Deum quidem excludit? Ast quid mirum, si lex ontologica est, et essentiae entis intellectivi cuiusque generis intrinseca? Non ergo defectus, sed dos et qualitas necessaria ipsa est, sine qua vel Deus ipse sua destitueretur intelligentia.

94.° Hisce adeo inconcussis argumentis edocti, item atque item persuademur, si quid homini vix genito infuit cognitionis, id fuisse a lumine divino, vel idea entis partum, in cuius ideae naturam et originem, et officia magis pernoscenda sensim moveamur, ut ipsam clare tandem detectam, in basim universalem protinus et laetantes iaciamus, ipsique cognitiones, ideas, veritates et scientias superstruamus, quo ingens aedificii philosophici moles firmius solidetur et tota in aureum cacumen ad veritatem completam et subsistentem usque pertingens circumnectatur. Quod opus ne quis expavescat, praecursores in hac palaestra Patres ac plerosque maioris subsellii philosophos ostendemus, quos neminem taedeat aut pigeat persequi, iterque cursui relictum alacriter emetiri.

(1) Lex ontologica synthesismi intellectivi equidem in divinis contingit, licet alia prorsus ratione. Nam obiectum immediatum mentis humanae est idea rei, ideoque ideale tantum et a mente omnino distinctum et diversum. Contra obiectum Paternae intellectionis est realissimum, et personale, distinctum realiter a Patre persona, non divisum natura: quare dicitur *alium* esse Patrem, *alium* Filium etc., non *aliud* Patrem, *aliud* Filium, quia utriusque unica est natura et essentia. Habetur ergo distinctio personalis, quae synthesismo intellectivo sat superque est.

ARTICULUS QUINTUS

QUAERITUR AN PRAEFATA COGNITIONIS ELEMENTA SINT ADEO INVICEM CONNEXA, UT NEQUEANT SEORSIM EXISTERE

95.° Quaestio protinus dirimetur, si quae de ontologico mentis cum suis obiectis synthesismo diximus bene animum pervaserint.

Atque in primis ad mentem humanam quod attinet, quisque tutissime iam diceret, ipsam corruere planeque destrui, si omnibus obiectis, et quidem omnium primo, videlicet lumine rationis, vel *idea entis*, privaretur. Contrario enim modo mens concidit quo oritur; Quare si in splendore luminis rationis ipsa oriebatur, ergo eiusdem luminis subtractione peribit (1). S. Thomas quippe quam saepissime ideas vel species intelligibiles vocat formam facientem intellectum in actu (2). Item alibi loquens de lumine intellectus agentis expresse id appellat formam intellectus, quia forma est quo agens agit (3). Denique identidem inculcat « intellectum esse vim passivam respectu totius entis universalis, vel luminis rationis » (4). Hinc solemne illud Scholarum — ens eo ipso quod intelligitur a mente dat illi intelligere et esse —.

96.° Eiusmodi contra non est exitus obiectorum, vel intelligibilium, quae etiam post subtractionem perseverant, non equidem in se, quippe quae alicui menti semper uniri petunt, sed in mente divina confluunt, ceu in subiecto aeterno, quae logos infinitum dicitur quo rerum exemplaria recipiuntur. Quod adeo verum est, ut Platonici, naturam intelligibilium probe noscentes, intulerint existentiam mentis aeternae in quam, ceu in proprium fontem, ideas reducerent (5).

(1) Luculenter idem colligitur ex Aristotele, De gener. anim. L. II, c. III. — De animal. L. II, c. X. — Ethic. L. X, c. VIII, quibus in locis loquitur de insidentia luminis divini in mente, cuius luce exorditur mens et illuminatur, eoque subducto confestim tenebratur et evanescit, sicut ingruentibus umbris visio. Id tamen non obstitit quominus haec doctrina de mentis humanae origine ex idea entis tamquam — aliud inventum rosminianum — a quibusdam nugacibus non adspernaretur. Tanta est ergo impunitas garriendi! et quam licenter!

(2) S. I. XV, II,

(3) S. I. LV, I. — S. II. II. CLXXI. II. — S. I. LXXIX, IV, ubi docet lumen intellectuale « per modum formae permanentis menti inhaerere » forma autem est id quod primo cadit in rem vel actus eius. S. I. LXXVI, I.

(4) S. I. LXXIX, II.

(5) S. Thomas fere ubique agit de eiusmodi platonicorum argumentatione, qua ex consideratione idearum in substantias separatas sustollebantur, qua-

Ecquis enim serio dixerit omnibus oculis animantium hominumque effossis aut obductis, vel utcumque obcaecatis, coelum simul advesperascere solemque excidere? quamquam recte e converso dicatur, visionem oculorum impediri si pupilla luci occludatur? Haec sane omnibus perspectissima sunt, neque nobis est cur multis hic teneamur; eoque magis quod de divinis idearum characteribus in ideologia aliquid dicturos esse iam in prolegomenis spoponderimus.

Praestat tamen denuo admonere, sermonem hactenus esse de intelligibilibus seu de ideis institutum, quae tamquam vera et immediata obiecta menti intersunt, multumque proinde discriminantur ab entibus realibus, quae non intellectui, sed sensui immediate communicant, et improprie obiecta vocantur, neque eorum subsistentia propterea menti divinae insertur, licet ab ea dependeant. Sin autem quidquam de modo huiusce divinarum idearum participationis exoptandum nobis remansit, id alibi subiungemus. Interea tamen loci sufficiat adstruxisse, ontologicam mentis cum intelligibilibus synthesim, eorumque ab illa independentiam, atque divinam originem: quod rursus multum nobis opitulatur ad naturam cognitionis luculentius capiendam, eamque ab usu *ideae entis* vel luminis rationis derivandam (1).

CAPUT SECUNDUM

DE VARIIS COGNITIONIS SPECIEBUS

97.° Ne quidpiam praetergredi videamur, quod perspicuiori cognitionis naturae notitiae conferat, nobis in animo nunc est, cognitionem, quam 1.° a sensu iam discrevimus, 2.° et in facultate iudicii potissimum collocavimus, 3.° eamque duplici item constare elemento sat evicimus, modo in species partiri, ut quid intellectus, quidve sensus, et quid demum ratio afferant, penitus determinetur, sicque modus etiam formationis cognitionis cuiusque naturae innotescat.

98.° Cognitio primario distiuguitur in *intellectivam* sive puram, intuitivam, a priori, obiectivam; et in *rationalem*, seu materialem,

rum participatione homines ideas nanciscuntur. Hos Angelicus reiicit ostendens, mentes nostras lumine divino, et non chimaericis substantiis separatis irradiari. Deinde ne praeoccuparetur fortasse substantias separatas platonicorum esse angelos, ipse data opera docet, intelligere angelorum nec eorum esse, vel substantiam vel essentiam esse, ideoque et ipsos angelos divina luce intelligere, secus homo ad imaginem potius angelorum, quam Dei factus esset, si ab angelis suum mutuaretur lumen rationis.

(1) Tantum abest ut haec tam magni facienda in omnibus ideologiae tractatibus discutiantur, ut potius ridicula plane et ne vix quidem digna elucubratione anularum existimentur.

non puram, perceptivam, a posteriori, subiectivam. Huiusmodi divisio tam a diversis mentis facultatibus, quae quoad priorem pure intellectivae, quoad posteriorem rationales sunt, atque potentiis quidem sensitivis per materiei exhibitionem adiutae; quam a diversitate obiecti, quod primis ideale, secundis reale est, depromitur. Hinc prioris generis cognitionibus componitur scientia, quae, ut mos est loquendi Scholarum, de necessariis est; posterioris vero conficitur experientia vel opinio, quae contingentibus inhaeret. Neo-platonici qui praefatam distinctionem cognitionis pepulerunt, arbitrantes nonnisi harum primam haberi, in pantheismum idealisticum ideo offenderunt.

99.° Utraque cognitionis species in directam vel spontaneam, et reflexam vel voluntariam subdistinguitur, prout vel directe obiectum apprehenditur et percipitur, vel in ipsum magis elucidandum animus rursus convertitur. Quantum philosophis haec altera cognitionis subdivisio interest, videbitur in theoria erroris, cui cognitio tantum reflexa subesse potest. Alias hominibus veritas omnino abriperetur, campusque cederetur scepticis.

100.° Non est pariter hic nobis praetereundum cognitionem puram interdum positivam vel negativam esse, seu vacuam, prout modos et qualitates determinatas rei cognitae, vel puram eius *existentiam* solum perhibet.

Hoc pacto cognitiones perceptivae, positivae; cognitiones autem ratiocinio comparatae, puta cognitio Dei, eiusque arcanorum, negativae vel vacuae dicuntur, quia suadent quidem Deum et mysteria existere, non tamen eorum existendi modum revelant. Quare obiectum earum est idea tantum entis eo modo determinata, quo ex mundi consideratione mirabiliumque complexu, eam sibi potest homo determinare, quin unquàm ipsi licitum sit modum existendi naturae Dei *internoscere*. Quae distinctio scitu quoque illi necessaria ducitur, qui pantheismum deflectere vellet, atque praescriptis rationis finibus contineri.

Ex omnibus hisce cognitionis divisionibus primam ceu omnium maximam accuratius hic sumimus discutiendam.

ARTICULUS PRIMUS

DE ELEMENTIS COGNITIONIS INTELLECTIVAE VEL PURAE

101.° Sicut in quavis cognitione, item in cognitione intellectiva bina inveniuntur elementa: 1.° subiectum intelligens: 2.° et obiectum seu idealitas rei. Quorum primum reale, secundum mere ideale et proprie dictum obiectum est. Quapropter intellectus definiri consuevit = facultas intelligibilium, vel specierum intelligibilium, idea-

rum, vel indivisibilium = (1). Cum autem idea entis mater sit, fonsque idearum, intellectus potest iure etiam definiri = facultas intuendi ens ideale vel ideam entis =. Cui entis intuitioni si quis nomen cognitionis abindicaret, ipsi non repugnamus, etsi intelligentia vi sui nominis intellectum includat, cum illa verius debeat forma cognitionis vocari. Hinc optime diceretur: forma cognitionis est ingenita, cognitiones vero sensibus ope iudicii adeptae.

ARTICULUS SECUNDUS

AN COGNITIO INTELLECTIVA VEL PURA ALIQUO EGEAT ELEMENTO SENSIBILI ET PHANTASTICO.

102.° Cognitio intellectiva ea nobis est quae in puras ideas defigitur. Verum ex ideis nulla est, etiamsi abstractissima, quae possit sine aliquo vestigio sensibili, puta imagine, verbo, signo aliquo menti humanae corpore detentae exhiberi. Ergo neque ulla fieri potest cognitio intellectiva absque adiutorio sensitivitatis internae vel externae. Exinde emergit necessitas animae modicissima luce instructae, corpori uniendae, ut in species sensibiles convertatur, ac sibi species intelligibiles ope lucis ingenitae entis formet. Perbelle s. Thomas « est naturale homini ut scientiam per sensus acquirat, et ideo anima unitur corpori, quia indiget eo ad suam propriam operationem » (2).

Revera fac oblivisci signorum quibus ideae abstractae iustitiae, animalitatis, virtutis etc. revocantur, perperam adniteris eas tibi meminisse, aliisque manifestare, nisi prius signorum, pone vocabulorum recordaberis, quibus exciteris, tibique vehiculum sint, quo foras eas promas. Hinc dicit, s. Thomas quod ne Deus quidem homini viatori ideas immittit sine phantasmate, (exemplo sint prophetae), quia nunc eius cognoscendi modus est essentialiter relativus, et praesupponit terminos relationis, ideam entis videlicet et sensibilia. Vide tamen ne propterea cognitionem intellectivam cum perceptione rationali confundas; quia elementum sensibile prioris est occasio vel interna excitatio cognitionis obtinendae vel recordandae (3); elementum autem sensibile posterioris est materia cognitionis et extra-subiectivum.

Non ideo tamen phantasmata cognitionis intellectivae excitationi necessario semperque opus sunt, quippe quae animabus separatis haud

(1) S. Thom. In sum. 1. P. fere ubique id docet — Arist. De anim. III.
(2) S. I, II.
(3) Obtinendae si primo; recordandae si alias iam habitae fuerint. Id sufficiat ne Platonismi insimulemur.

supersunt, sed tantum ab anima requiruntur corpori adnexa (1); deinde et ipse Deus sine phantasmate intelligit.

ARTICULUS TERTIUS

DE ELEMENTIS COGNITIONIS RATIONALIS-PERCEPTIVAE

103.° Ea animi operatio, qua haud amplius idealem rei alicuius naturam directe intuemur, sed eius subsistentiam in nobis agentem cognoscimus, vocatur cognitio *rationalis-perceptiva*, vel perceptio intellectiva. Quantum eiusmodi cognitio ab intellectuali apprehensione distet, sedula eius elementorum analysi perspicuum erit (2).

104.° Ut primum sensibus quidpiam incurrit, confestim prorumpimus: — aliquid est quo afficior —. Porro tria habentur hac in propositione elementa: 1.° Sensatio, 2.° idea entis vel indeterminati si primo, vel determinati si iterum res percipitur; 3.° iudicium quo *sensatio* ideae entis unitur (3).

Quoad sensationem ne vel minimum quidem dubii est. Sed nec similiter ullus elementum ideale indeterminatum vel determinatum in-

(1) Idem aperte ostendit s. Thomas S. III, XI, II ad I. — qq. disp. q. XIX, art. 1., tametsi constanter affirmet nullam cognitionem homini viatori contingere sine conversione ad phantasmata. Vid. s. Aug. De Trin. L. 10, c. 5. — Quod et de angelis in naturalibus constitutis dici posse innuit s. Thomas, qui crebro docet eos res cognoscere in propria natura per species innatas (S. I, LVIII, VII). Huiusmodi enim species totidem fortasse sunt angelis sensus activi (sentimenti attivi), quibus ipsi haud corporum actionibus, ut homines, subduntur, sed in ea potius agunt, et utuntur tamquam eorum signis; quae signa non experimentaliter acceperunt, sed originaliter ipsis a Deo indita fuerunt, quemadmodum, nobis congenitus est sensus *fundamentalis animalis*. Hoc sub respectu optime dicit s. Thomas « quod angeli non accipiunt cognitionem a rebus » S. I, LVIII, VI.

(2) Et ipse s. August. cognitionem intellectualem a rationali perceptiva scite discernit. L. 12 Super Genes. — Ermeneg. Pini, prot. lib. 1.

(3) Conf. s. Thomas S. I, LXXXIV — III, VI — VII, — quibus in locis praeter multa affert rationem, cur sensus sit materia causae cognitionis, idest intellectus, eamque ex eo deducit quod intellectus sit tantum in potentia ad species intelligibiles, et in obiecto universali versetur, eique propterea opus sit sensibus, quibus lumen intellectus in species determinetur, atque proinde singularia, mutabilia, materialia, mobilia in immutabilibus et immobilibus attingantur. S. I, XII, XIII ait « cognitio quam per naturalem rationem habemus duo requirit: scilicet phantasmata ex sensibilibus accepta, et lumen naturale intelligibile ». Hinc Deus hominibus ideas supernaturales revelans sua omnipotenti virtute simul phantasiam percellit, atque ipsi signum excitat idearum quas intellectui inspirat.

ficias profecto iverit, dummodo probe consideraverit, numquam ipsum potuisse in actu sensationis proferre: — en ens aliquod — aut — ens tale adest —, quin notio entis, vel notio specifica rei menti praeluxerit. Etenim, quaerenti — quid sit res percepta —; — Sitne possibilis — ? — an post perceptionem cognitio eiusdem statim excesserit — ? Respondemus — rem perceptam his atque illis donari attributis; eam indubitanter possibilem esse, cum iam reapse existat; eiusque post perceptionem adhuc recordari —. Qua triplici responsione quam clarissime innuitur ideam rei interfuisse, in eaque essentiam, possibilitatem, atque rei permanentiam nos conspicere. Elucet igitur perceptioni rei interesse idealitatem vel possibilitatem eiusdem.

Iudicium demum ipsi etiam intervenire, in propatulo est. Qui enim rem percipit, praeter rei ideam, sibi quoque persuadet eam actu subsistere. Iam age, iudicium ex ipsa profluit persuasione, quae in actum affirmationis resolvitur, qua enuntiatur idealitati congruere realitatem.

105.° Atque hinc eruitur: 1.° cognitionem puram et intuitivam entis idealis praevertere cognitionem perceptivam, vel affirmationem realium; 2.° cognitionem rationale-perceptivam fundamentum esse ac initium cognitionum adeptarum, quae licet abstractae ultimo in perceptivam redeunt (1); 3.° effatum peripateticum: — nil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu — verum esse, dummodo sic interpretetur: — nihil materiale vel reale menti intelligendum afferri, quod per portas sensuum non introierit —; formam autem cognitionis intellectui originaliter insidere (2); 4.° ante perceptionem intellectivam rerum vere dici posse — humanam intelligentiam instar tabulae rasae haberi —, in qua nihil determinati est inscriptum, sed lumen indeterminatum (3); 5.° corpora immediata perceptione, non ratiocinio cognosci; 6.° neque ideo cum cognoscuntur, a mente creari, uti pantheistae transcendentales obganniunt; 7.° bina adducta elementa idest idealitatem et realitatem simul in ipsa perceptione arte consociari: hinc bruta sine ratione, et animos sine corpore praedictae perceptionis intellectivae expertes esse; 8.° propterea esse, sentire, et cognoscere, tres esse activitates distinctas et inconfusas, quibus cognitio humana constituitur.

(1) Eodem modo accipi potest illud Aristotelis « principium nostrae cognitionis est a sensu » L. I. Metaph. c. 1. — L. II. Post. lex. 27. — L. III. De anim. — S. Bonav. Compend. Theolog. verit. c. XLV.

(2) S. Thomas contr. Gent. L. III. c. XLVI. — S. Bonav. Itin. ment. in Deum c. III.

(3) Arist. L. III. De anim. — S. Thomas S. I. LXXXIV, III, et alibi passim. — S. Bonav. Compend. Theolog. verit. L. II. c. XLVI.

ARTICULUS QUARTUS

ELEMENTA COGNITIONIS RATIONALIS-PERCEPTIVAE NON VOLUNTATIS INTELLIGENTIS, SED HUMANAE NATURAE ACTIONE NECTUNTUR

106.° Ut plurimum iudicia fiunt, cum eorum subiecta et praedicata invicem fuerint collata, ac singillatim expensa. Quibus peractis intelligentia, vel voluntas intelligens ea unit aut seponit. Contra in cognitione rationali-perceptiva, licet iudicio constituta, idea et realitas experta, ipsa agente hominis natura, immediate devinciuntur, quod fit tam propter unitatem animae sensitivae-intellectivae, quae partim in ens ideale, partim in ens reale dirigitur; quam propter identitatem entis, quod etsi intellectui sub forma idealitatis vel intelligibilitatis, sensui vero sub forma realitatis vel activitatis referatur, in utraque tamen forma semper adest ens ex parte mentis, ut intelligibile, ex parte sensus, uti activum. Quamobrem spiritus hominis simplicissimus, vix sensu percellitur confestim agens sensiferum enti ideali confert, associat, ac inde necessario perspicit — ens in seipsum agens — idest ens nedum ideale, sed reale etiam atque activum. Haec quidem hactenus de perceptione intellectiva.

107.° Quibus ex rebus breviter disputatis poterit quidem intelligi, 1.° cur quandoque cogitatio obscenorum ac turpium nobis culpae minime vertatur, quia necessario cogimur phantasmatibus, vel sensationibus ideas copulare; 2.° cur delinquatur, cum quis lasciva aspicit vel auscultat, non tamen cum ea tantum videt vel audit. Priori enim in casu habetur cognitio rationalis-perceptiva naturaliter elicita, in posteriori vero cognitio reflexa voluntarie prosecuta (1).

ARTICULUS QUINTUS

NUM ALTERA EX ADDUCTIS COGNITIONIBUS ALTERI PRAESTET; QUAEQUE EARUM SIT HUMANAE NATURAE APTIOR

108.° Cognitio intellectiva, seu intuitiva vel formalis, quaedam nobis est directa, immediata et immobilis idearum contemplatio, quae bifariam, in imperfectam videlicet et perfectam dispescitur, quarum altera homines, altera decorantur angeli.

(1) Qui igitur pravam conantur cogitationem excutere, sensationem vel phantasma prius depellant: alias cogitatio intellectus persistet. Vid. s. Thom. S. 1. LXXXIV, VII. — Arist. L. III. De anima. Ratio ex ipsa eruitur cogitatione perceptiva, quae optime definiretur = apprehensio relationum inter sensationes et intellectiones = Recolantur iam allata de phantasmatum necessitate.

Cognitio intellectiva imperfecta plurimi equidem est, quippe quae mentem humanam aeternis ac necessariis rebus intelligibilibus adiungat, eique essentias et universalia entium exemplaria conspicienda exhibeat. Id tamen redolet defectus, quod nequeat subsistentiam vel realitatem rerum monstrare, qua speculatae essentiae veluti impinguantur, et exinde affectus movetur voluntatis sese in realia potius, quam ad inoperosa idealia porrigentis.

Quocirca cognitio intellectiva imperfecta cognitione rationali-perceptiva, et rationali-discursiva minus aestimatur. Equidem verum est cognitionem perceptivam etiam intellectivam vocari, sed eo sensu quod intellectus praebeat rationi medium iudicandi.

Item cognitio intellectiva perfecta haud puris ideis rerum immoratur, neque essentias communes et universales tantum intuetur; sed ope quarumdam specierum innatarum ac angelicae intelligentiae connaturalium, una cum ideis etiam realia respectiva distincte ac singillatim percipit, multoque seorsim in unica specie intelligibili perspicue aspicit, abstracta in concretis, composita in simplicibus, corollaria in ipsis illico introspicit principiis; essentias rerum absque discursu, compositione vel decompositione extemplo apprehendit (1); paucis, angelus, quae sibi sunt captui accommoda non frigida intuitione, neque empirico subsidio, aut comparatione, analysi, synthesi, reflexione, ratiocinio, aliisque facultatibus, sed simplici, spontanea, directa, quieta et completa intellectiva perceptione conspicit, et quasi imagines in speculo legit sine labore et difficultate. Huiusmodi ergo cognitio intellectiva nobilior est, ut perspicitur, cognitione rationali sive perceptiva sive discursiva, cuius obiectum nec adeo bene, nec facile, prompte, perfecteque concipitur.

109. Ad id vero quod secundo quaeritur, nullum dubium est, quin cognitio rationalis perceptiva et discursiva sit pronior homini aptiorque altera. Ipse enim non secundum partem sui, ut in cognitione intellectiva se gerit; verum secundum totam suam naturam debet

(1) S. Thom. S. I. LV, III. — LVII, I, II. — LVIII, II, III, IV. Vide ne existimes angelos vel omnes Ideas habere, vel omnia obiecta realia cognoscere alicuius ideae correlativa, sed ea tantum percipiunt, quorum eis lucidae ingeruntur species intelligibiles a supremo mundi conditore, « cuius sola essentia, ait s. Thomas, est similitudo omnium, et per eam omnia (Deus) cognoscit non solum quantum ad naturas universales, sed etiam quantum ad singularitatem: ita angeli per species a Deo inditas res cognoscunt, non solum quantum ad naturam universalem sed etiam secundum earum singularitatem, in quantum sunt quaedam repraesentationes multiplicatae illius unicae et simplicis essentiae ». Ex quibus elucet s. Thomam adstruere quidem angelos realia per species cognoscere; non tamen omnia; eorumque eo plura, quo angelis species universaliores infiguntur. LV. III.

potius agere, tam intellectivas quam sensitivas simul facultates, exercens, cum eo ipso fuerit corpore animaque constitutum, ut integrum et completum exerat cognitionis actum, cuiusmodi est cognitio rationalis perceptiva (1). Quare enectos saepe ac squallidos videmus qui idealibus speculationibus haerent diutius suspensi, eo quia non totalitate, sed dimidio suae naturae, idest solo intellectu, violenter fere operantur.

110.° Interest nihilominus inter humanam et angelicam cognitionem radicalis identitas, quatenus uno ipsoque lumine divino utraque conficitur, quamquam eiusmodi luminis participatio intensitate et modo utrinque valde differat. Numquid enim notum hominibus latet angelos? Nonne rerum veritatem uterque agnoscit, angelus et homo (2)? Qui autem fieri poterit, ut veritatem uterque videat, quin eadem illuminetur veritate, quae cum unica et indivisibilis sit, omnibus intelligentiis, quarum obiectum ipsa est, fundamentaliter saltem non illuceret?

CAPUT TERTIUM

SYSTEMATA QUAE AUT UNUM AUT ALTERUM COGNITIONIS RATIONALIS-PERCEPTIVAE ELEMENTUM PRAETEREUNT

111.° Nihil habetur in tota philosophia adeo omnium suffragiis exceptum, quam distinctio formae et materiae, quibus sociatis rerum prodit cognitio, neque est, quod plurimum mireris si memineris etiam sensistarum et idealistarum putidissimos idem docuisse (3). Id tamen non obstitit, quominus commonefierent, ac talia sibi concinnarent systemata quae utriusque originis rationem non praebent. Quamobrem, quaedam eorum elementum formale, quaedam vero elementum materiale praetergrediuntur. Haec successive et quasi cursim perstringimus (4).

ARTICULUS PRIMUS

SYSTEMATA EMPIRICA

112.° Ex systematibus quae sola materia includuntur, increbescunt *sensismus*, *subiectivismus*, *formalismus* et *panpsychimus*, quibus

(1) S. I. LV, I.

(2) S. Thom. S. I. LV, I-II. — S. Dion. De div. nom. c. IV.

(3) Ex sensistis Locke, Condillac etc.; ex idealistis Kant, eiusque sequaces atque antiquitus et ipse Epicurus et Chrysippus.

(4) Praetermissio elementi materialis et subiectivi, dogmatismo, elementi autem formalis et obiectivi, scepticismo favet.

nullam cernimus lucem vel formam intelligibilitatis, sed caecam et incompertam sensus materiam (1). Sed iam ad singula pergamus.

§. 1. *Sensismus*.

113.° In sensistis Voltaire, Maupertuis, Cabanis, Holbach, la-Mettrie, Bonnet, aliosque saeculi elapsi pestilentes materialistas confutatione indignos minime computamus. Ideo haud cum ipsis, sed cum Lockio et Condillaco potissimum nobis est hic congrediendum. Hi, nescirem num mentis levitate, vel ancipitis semper ac incerti Aristotelis auctoritate capti, mentem veluti tabulam rasam nullo ideali lumine illustratam posuerunt, cui si postbac ideae exurgerent, a sensibus, quibuscum communicat, eas deduxere; a quibus sensibus mens vix avelleretur protinus cognitiones, et ipsas facultates cognoscitivas amitteret. Iis cohaerenter perabsurdam anthropogoniam texuit ineptissimus Bailly, cui homo prius atlanticus quadrupes, in bipedem deinceps sese erexit, sentiit, postmodum cogitavit, voluit, locutus fuit, et rationalis evasit.

114.° Haec partim cachinnis, partimque iam dictis de necessitate luminis rationis phantasmata sensus illuminantis, refellere quis facile poterit: additis interea vel hisce interrogatiouibus: — an sperandum sit aliquando quamdam belluarum sensitivitate animali, ut homines, pollentem, in rationalem sensationis transformatione conversam iri? num belluis potius quam angelis Deoque debeant homines aequiparari? an ipsis persuasum sit, prius se animantia, postea lapsu temporis homines evasisse? — (2) Nobis sat superque est meminisse — sentire in infinitum a cognoscere dissidere —.

§. 2. *Subiectivismus*.

115.° Subiectivismus error aevi nostri multorum est, qui animae arcanam adscribunt facultatem intellectivam, quae sine ullo luminis externi interventu, ingenita quadam subiectiva virtute ideas sibi sensim cuderit, neque propterea, haec facultas utpote primitiva, originalis, et indemonstrabilis, philosophicae est subiicienda investigationi.

(1) S. Thom. I, XII, 1, ad 2. ait « omnis cognitio est per formam ».

(2) Sensiatae et subiectivistae elementum formale renuunt ob rationem fortasse, quod opinentur, perceptionem sensitivam id esse, quod perceptio intellectiva; quae aliunde plurimum invicem discrepant. Perceptio enim intellectiva est = actus quo animus rem sensu perceptam ceu obiectum, vel in sua idea conspicit =: paucis, perceptio intellectiva est illuminatio, vel universalizzatio sensitivae, quia terminum perceptionis sensitivae peculiarem et realem, in medio vel forma universali et ideali percipit.

Subiectivis cooptantur fere innumeri, et praesertim Galluppi, Mastrofini, Bonelli, Balmes, Mancino, Costa, Romagnosi, Mamiani.

116.° Quem errorem pluries sparsim explosimus ea praecipue ratione, quod legem synthesismi intellectivi infringat, cum menti obiectum cognitionis surripiat, eoque surrepto, iam extabescit potentia intellectiva: sin autem ista nobis superesset, quod sane non erit, tunc subiectivis animae legibus circumducti nihil amplius cognosceremus obiectivi et externi, sed in nosmetipsos tantum intorqueremur, plane rerum externarum ignari. Demum, ut alibi videbimus, cum animae facultatem cognoscitivam indulgeant, non dirimunt quaestionem — quomodo cognitio rationalis formatur —, sed tantum eam instituunt.

§. 3. *Formalismus transcendentalis*.

117.° Nil proinde mirum si ex subiectivismo formalismus transcendentalis eruperit, qui etsi materiam et formam cognitionis distinxerit, utramque tamen in subiecto coercuit cognoscente, cuius facultatem intellectivam in formas primitivas, universales et necessarias divisit, quae sensationibus coniunctae obiecta cognitionis conficiunt phaenomenica tantum ac illusoria, eo ferme modo, quo trans speculum imago, secundum variam speculi superficiem et positionem, formari appropinquari, distare, minui augerique videtur.

Cave igitur, ne nomine formae decipiaris, atque fortasse persuadearis, Kantium probe saltem agnovisse elementum formale cognitionis. Nam formae kantianae subiectivitatem spiritus non excedunt, eique haerescunt ceu leges psychologicae, et actus subiectivi; quae formae, quamquam spiritui videantur obiectivae, omni tamen necessitate et universalitate ontologica carent, et magis materia sunt quam verae formae cognitionis appellandae. Forma quippe cognitionis unica est, obiectiva, intelligibilis, sicque universalis, ut nullo spiritu concludatur, sed omnibus indiscriminatim spiritibus intellectivis se prodat. Utinam ipse, sicuti distinctionem materiae et formae recte perspexerat, naturam quoque comperiisset formae. Reiiciendus est ergo formalismus quemadmodum subiectivismus, quo verbis solum ille abscedit, et verum elementum formale cognitionis pariter excludit (1).

(1) Habetur equidem distinctio cognitionis in obiectivam et subiectivam: ast alio plane sensu. Nam prior ea dicitur quae simplex ens ideale, vel obiectum, puta ideam rei, respicit: posterior vero quae iudicium de rei subsistentis, ac sensuum materiam importat. Hinc haec distinctio aequivalet distinctioni in cognitionem puram et materiatam, de qua supra. In utroque casu aliud est semper subiectum cognoscitivum, aliudve obiectum, vel obiectivatum cognitum. Invicem obiectum et subiectum latissime distingui docuit etiam s. Aug. De lib. arb. II, VII — XII.

§. 4. *Panpsychismus*.

118.° Formalismum Kantianum alter Germanorum Amaedeus Fichte absolvit. Ipse enim cognitionem in varias formas subiectivas intellectus non ita pridem distractam, in unicam, primordialem ac puram activitatem cogitativam, recollegit, quae cum in seipsam inflectitur, conscientiam sui adipiscitur, et parit, ait is, vel creat *ego*, unaque *non ego*, vel *mundum*, imo *ipsum Deum*. Hoc est quod panpsychismus nuncupatur, propterea quod e cogitatione omnia trahenda fucatur, atque eatenus menti sistenda, quatenus eiusmodi cognitionis conscientia, seu *ego* perseverat.

119.° Quo in systemate plura offenduntur reprehendenda. 1.° cogitatio primigenia, pura, simplicissima, vel, ut ipse ait, — ego universale et primordiale ponens seipsum — quod in terminis pugnat. 2.° reflexio cogitationis in semetipsam cum res facti sit et compertissima, quemlibet actum cognitionis sibi ignotum esse, aliumque expostulare actum excelsioris reflexionis, qui in seipsum retorqueatur, et sic deinceps de actibus in actus per continentes inflexus, quousque, ne in infinitum abeatur, sensim fuerit pedetentimque ad actum cognitionis primum et directum perventum, cuiusmodi est perceptio intellectiva, cuius elementa originaria et primitiva sunt intuitio intellectiva entis, et sensus corporeus, ex quibus simul ipsa spiritus unitate coniunctis, prima profluit rei cognitio (1). 3.° emanatio cognitionis sui consciae in *ego* et *non ego*, cum contra ipsi cognitioni, *ego* et *non ego* ceu quid ignotum iam praeexistant, quibus cognitio non actum equidem existentiae, sed eorum intelligibilitatem solum adiungit, qua pateant et intelligantur (2). 4.° exclusio non inquam solius formae cognitionis, quin et ipsius materiae, sive quod hoc systema undique idealisticis perscateat phaenomenis, sive quod omnem passivitatem spiritui auferat, pura eidem, utpote unico *noumeno*, activitate relicta, quod sane falsissimum est, cum saepius spiritui contingat multimode pati, atque eius passiones ipsae in materiam etiam vertantur cognitionis. De Fichte tantum nunc sufficit.

(1) Reflexio cogitationis in semetipsam in id etiam impingit absurdi, quod elementum passivum activo identificet, propterea quia cogitatio reflectens cum cogitatione in quam reflectit, confunderetur.

(2) Etiam: cum omnia ex cogitatione dimanent, manabit quoque sensatio, quae ac cogitationis partus haberetur. Sapit ergo hoc systema sensismum. Insuper, Fichte rei ignorantiam inscite pro eius non existentia sumpsit, ac inde est inconsulto etiam ratus, rem cognoscere idem plane esse ac eam creare. Quamobrem *ego* Fichte Braham Indorum caelum terramque evomenti, vel Deo Pani omnia deglutienti, fere assimilaretur.

120. Alia praeterimus non equidem levioris momenti systemata empirica, quae a supradictis parum abscedunt, ipsisque seminaliter inseruntur, eaque in ideogonia fusius ventilabimus.

ARTICULUS SECUNDUS

SYSTEMATA QUIBUS ELEMENTUM EMPIRICUM COGNITIONIS RATIONALIS-PERCEPTIVAE EXOPTANDUM EST

121.° Iam tempus est ut ad alteram systematum classem progrediamur, quae elemento materiali et empirico cognitionis perceptivae vacant. Eorum duo eeu capita quidem praeeminent; pantheismus scilicet realisticus vel metaphysicus, et pantheismus idealisticus vel logicus: uterque, ut suspicabatur, ab egoistico systemate Fichte progenitus; atque ambo etsi in puram cognitionem obiecto et subiecto destitutam adnituntur, eam tamen magis ex parte obiecti, quam subiecti describunt, eo quod sit impossibile cogitationem qua talem quomodolibet imaginari, quae, fac ut daretur, non equidem cognitio foret, sed sensatio: cognitio enim qua talis, vel pura, idest, sine obiecto et subiecto non est cognitio (1).

§. 1. *Pantheismus metaphysicus*.

122.° Pantheismus metaphysicus vel realisticus ille dicitur, qui enti supremo cum visibilia tum invisibilia constringit atque permiscet, adeo ut rerum generatio et corruptio nihil aliud sint, quam eiusdem entis supremi emanationes, et vibrationes, quae cum erumperent, generationes, cum regrederentur, corruptiones vocantur. Tam infandus error iam inde ex primaeva ferme mundi aetate serpsit, nobisque fuit sensim et multifariam deductus. Ex India in Aegyptum, illinc in Graeciam, et deinde in nostram digressus Italiam, in dies semper fraudulenter erupit, et etiam nunc temporis sub nominibus transcendentalismi, ecletismi et ontologismi apud nostrates et exteros spargitur. Schelling primus ipsi manus admovit, ens quoddam altissimum, indifferens et uniforme excogitando, in quo omnia compingerentur, ac inde foras diffluerent; Cousin per triniformem perceptionem *Dei*, *ego* et *non ego* errorem adauxit: denique ipsum perfecerunt ontologistae, *intuitum Dei creantis* superaddentes. Qui tamen, licet in ad-

(1) Conf. s. Thom. S. I. LXXXIV — LXXXV — LXXXVI — LXXXVIII —. Ibique cursim, qua data opera, exquisito sane iudicio, ostendit — animam humanam in praesenti statu cognitionem a sensu acquirere, eique operationi lumine intellectus agentis subveniri.

versa abeuntes, in eo conveniunt, ut sola mentis intuitione in Deum elatae, sensibilium perceptionem, nullo adhibito sensuum interventu, explicent.

123.° Quam multa hic ac impia peccantur, nemo, qui saperet, ignorat. Etenim 1.° existentia identitatis absolutae tamquam indistinctae entium congeriei, in absurdis habetur. 2.° intuitio huiusce identitatis, triplex perceptio, simultanea Dei ego, et non ego, et ipse denique Dei condentis intuitus, tria sunt plane supposititia, gratuita, atque uniuscuiusque conscientiae adversa. 3.° adeo nugatorium est, nos mentis quadam intuitione sensibilia ex sinu identitatis vel divinitatis per actum emanativum vel creativum haurire sine ullo sensus adiutorio, ut rudiores mirentur, id quosdam dixisse philosophorum ipsa reluctante experientia, qua videmus, ea tantum percipi, quae sensus urgent, ac sensibus ipsam cognitionis formam infinitam quibusdam quasi cancellis determinari et circumcingi, quibus latius patere menti vetitum est. Alias cur animae corpus adnecteretur sic artificiosum, si mundum sola mentali contemplatione, cui nullatenus suppeditatur elementum materiale, contueretur divinitate complexum?

§. 2. *Pantheismus logicus.*

124.° Pantheismus logicus vel idealisticus, auctore maxime Georgio Hegelio, totus in eo agitur, ut ex uno omnium supremo, ideali tantummodo et abstracto, omnia eruat entium genera. Quod emanativum principium ideam nuncupant *proteiformem* propterea quia evoluta, naturae panderet varietatem, secum autem collecta spiritus evaderet; atque proinde qui ipsius emanationibus student, philosophiae naturae, eius contra regressionibus, philosophiae spiritus, eiusdemque demum naturae qua intrinsece constituitur, logicae navant operam. In istius ergo ideae transformationes oculos mentis quis attollat, qui tam suipsius, quam caeterorum quaereret originem atque naturam; nam ex ea nedum lumen, inquam, quo res cognoscuntur, sed et vis, qua subsistunt, aguntque, erumperet. Ex quo efficitur, ut quidquam cognosci, ipsum sit *esse*, atque *nihilum logicum nihilo aequiparatur physico*.

125.° Disputandi causa si aliquid licuerit subiicere, haec animadvertimus. 1.° gratuito plane adseritur ideae eiusmodi existentia. 2.° Etiamsi ista daretur, eluceret equidem menti ut principium formale cognitionis, numquam ideo instar principii rerum *emanativi*, cum nullam constet ideis inesse creandi emanandique virtutem. 3.° His semel constitutis, realia subiectiva et extrasubiectiva per ideam effusa, obiectivarentur, cum totali ordinis physici iactura, atque *socialis*, qui non ideis, verum etiam rebus et vivis conflatur personis

reciprocis muneribus coninnctis. Nil ergo mirum si pantheismum logicum paullatim videris in immoralem quietismum, atque ad immisericordem degenerare indifferentiam, quae nullorum meminerit, ac ne suipsius quidem. Id etenim inducit obiectivatio in quam intenditur.

ARTICULUS TERTIUS

DE ORIGINE ET EXITU COGNITIONIS RATIONALIS PERCEPTIVAE

126.° Et quoniam duplex est cognitio rationalis perceptiva, altera interna, quae proprium corpus subiectivum, altera externa, quae corpus externum vel extrasubiectivum percipit quaestio etiam duplicatur. Prior, nempe perceptio interna, nullum dubium est, quin ea oriatur ut primum corpori anima intellectiva adnectitur, qua in vitali unione anima se minime poterit quidem cohibere a corporis *perceptione*, quia quatenus rationalis debet rationali etiam vinculo cum eo uniri, et praecipue actu perceptivo, in quo principium insidet eius rationalitatis.

Perceptio autem rationalis externa interventu sensationis enascitur. Nam quemadmodum actu perceptionis primigeniae et fundamentalis, totum, cui copulatur, anima percipit corpus, in quod irruit; percipiet propterea eas quoque mutationes corpori deinceps orituras, earumque causas, corpora videlicet, quibus organa afficientur.

Quod manifestius ipsa etiam rationis natura perspicuum fit. Ratio equidem facultas est homini connaturalis et ingenita. Porro ratio quid est aliud, quam = potentia sensibilia *ideis*, vel materiam sensus formae intellectus *conferendi* =? Nisi, clarius dicam, = facultas applicandi lumen rationis realibus, eaque applicatione sensibilia tum interna tum externa percipiendi =? Eodem ergo actu quo ratio homini originaliter haesiit, hoc ipso tum facta fuit perceptio intellectiva, ceu actus primigenius eiusdem existentiae corporeae (1).

127.° Ex quibus liquido consequitur; cognitionem rationalem perceptivam in ipsa animae a corpore solutione finiri propter defectum elementi empirici tunc animae subducti.

Quod nobis tamen sub aliqua exceptione dictum velimus. Perspectum quippe est psychologis, animam sensibus exoneratam, corpore vel spatio pleno et concreto utique privari, retento interea spatio puro et illimitato, quocum etiam illic unitur, sin ut principium proximum sensitivum, remotum saltem, ut fere *principium principii*

(1) Nos hic tantum de primo ac spontaneo rationis usu, non vero de secundo reflexo et discursivo loqui, ex ipso liquet contextu.

sensitivi, quod penes quosdam theologos usu saepissime venit, ut naturalis ad corpus inclinatio, nominetur, vel eius sensitivitatis corporeae radix.

Accedit quod duplex cognitionis species a quamplurimis scholasticorum, magistro praesertim Aquinate, animae recenseatur; altera praesentis vitae *per conversionem ad phantasmata;* altera animae separatae per *influxum specierum intelligibilium*, idest « parteciрatae divinae essentiae similitudinis; » quae plures profecto et clariores angelis, pauciores ac multo obscuriores animabus nostris sunt, et adeo temperate indultae, ut ea tantum ostendant, quae animae corpore usae naturaliter perceperunt, itemque cohaerenter ad earum naturalem habitudinem infusae. Ita fit ut character rationalitatis animae separatae etiam supersit, ne puris permisceatur intelligentiis angelicis.

Quae hactenus, de anima separata prout se naturaliter habet, et absque divinae liberalitatis largitionibus, dici intelligique volumus (1).

Corollarium — Perennis animi cogitatio

128.° Ex quibus facile cuiquam emergit — animum cum qua *intellectivum*, tum qua *rationalem* perenni cogitatione versari —. Si enim de puro intellectu, ageretur, iste, iugi idea entis, vel luminis rationis contuitu potitur. Sin etiam de ratione, ipsa constanti quoque et primigeniae perceptioni corporis insistit. Non eo tamen iam cogimur, ut cum Cartesio animae essentiam in cogitatione perpetua reponamus, sed essentiam potius in duplici hac cogitatione statuimus potentiarum intellectus et rationis, quae profecto aliud sunt ac sit essentia animi, qui verius = sensus substantialis est = (*un sentimento sostanziale*); in quo enucleando plus alibi item elaborabimus (2). Quin etiam, si mavis, cognitio rationalis perceptiva constituit essentiam hominis magis ex spiritu et corpore simul resultantis, quam animi, cui etsi corpus detractum fuerit, ipse adhuc supererit uti hominis fragmentum dumtaxat.

(1) S. Thom. S. I. LXXXIX. — LXXVII, VIII.

(2) Vid. s. Thom. S. I. LXXVII, 1. quo loco distinctionem inter essentiam et potentias animae doctissime explanat, atque etiam LXXIX intellectum ab essentia animae item distinguens, concludit « solius esse divinae essentiae sibi intellectum identificare ». Item Cicero: « mens ipsa sensuum fons est, atque etiam ipsa sensus est » in Lucull. At si ita de animae essentia tandem est, quid respondent *sensus fundamentalis animalis* irrisores? ipsis prius intereundum est quam nobis amplius respondere quidpiam. Operam ergo perdunt, qui viventibus adhuc hominibus nituntur persuadere — *se sensum fundamentalem animalem non habere* —. Quos Iupiter perdere vult dementat, dictum est quondam.

SECTIO SECUNDA

DE FACULTATIBUS COGNOSCITIVIS

CAPUT QUARTUM

DE PRIMARIIS ANIMI FACULTATIBUS UTRIQUE COGNITIONI INTELLECTIVAE ET RATIONALI EXERCENDAE IDONEIS

129.° Quod, quamquam diutius iamque saepius in cognitionis natura fuimus hactenus immorati, nobis equidem non est praetereundum. Habent quandoquidem animi facultates plurimum lucis, quae, in cognitionem effusa, eam inquirentium in penitiorem notitiam quemque adducet. Duo quamobrem maxime hic sequemur; 1.° ut solae recenseantur cognitionis facultates, aliis psychologiae dimissis; 2.° et veluti per transennam ac perspicue. Atque illico tres iam nobis occurrunt, aliarum tamquam parentes, *intuitio, perceptio intellectiva* et *reflexio;* illa intellectui, istae rationi referendae; quibus seorsim studendum est (1).

ARTICULUS PRIMUS

INTUITIO INTELLECTIVA

130.° Multoties supra fuit gradatim ostensum, mentem humanam sibi lucem minime esse, ast superno coque divino licet modicissimo lumine illucere, quae sane illuminatio est menti recipienda, ut ei vim conferat intelligendi. Verum quomodo recipitur? Si lux est, oportet quadam mentis intuitione excipi: videndo enim accipitur lumen. Atqui revera intuitio quaedam animae est, qua lumen rationis in ipsam diffluit, quae ideo definitur = primigenia, perennis ac simplicissima luminis rationis, vel ideae entis receptio, mentis naturae constitutiva =. Iis, qui ad simplicissima mentis primordia nunquam consurrexerunt, etiamsi in vivis exquisitissimo iudicio sacris atque profanis haec nanciscatur facultas verbis disertissimis — *intuitio, intuitus, contuitus, visio*, nuncupata, inaudita adhuc et mira ipsa videbitur.

(1) Tres sunt primariae cognitionis species: *intuitivae, perceptivae*, et *ideales-negativae:* primae in ideas, secundae in realia, tertiae in absentia ac invisibilia solum incumbunt. Hinc triplex earum fons, intuitio, perceptio intellectiva et reflexio, e qua ratiocinium, aliaeque facultates perplures.

Id evenit potissimum, quia sensibilibus circumducti, purissimam impediuntur eam mentis intuitionem detegere, cuius exemplum ex visibilibus aptum perperam quaereretur (1). Merito propterea eos vespertilionibus ss. Patres comparant, ac eorum ineptitudinem ut internam redarguunt caecitatem, quae impedit, quominus id videant, quod prius vident, et sine quo nil possunt videre (2) « commonebo, si potero, ut videre te videas » inquit s. Aug. de trin. XI. 12.

131.° Inde iam prono veluti alveo fluit, intellectum, quem nonnunquam ss. Patres apicem et arcem animae vocant, hac primigenia intuitione contineri, ac recte ideo definiri = facultatem intuendi lumen rationis vel entis idealis =. Atque quoniam lumen rationis est *medium quo* cognitionis potius, quam *obiectum quod* eiusdem, ut passim inculcat Doctor Angelicus, duplex suboritur intellectus, videlicet *intellectus-elementum*, et *intellectus-potentia:* ille solo ac immobili luminis rationis intuitu constitutus, iste ad alia itemque alia obiecta cognoscenda comparatus, qui cum neque semper, neque omnia, sed lapsu temporis et quidem successive cognoscat dicitur optime in potentia, vel facultas = ideas plus minusve determinatas intuendi =. Ex quo intelligitur, *intuitionem* mentis facultatem esse idearum (3).

Quam intellectus distinctionem acute adumbrat Angelicus: « intellectus dupliciter considerari potest. Uno modo secundum quod est apprehensivus entis et veri universalis (luminis rationis). Alio modo

(1) Conf. s. Thom. S. I. LXXIX, II. qui dissertis verbis docet « intellectum esse vim passivam (receptivam) respectu totius entis universalis »: vel, ut ipse alibi passim insinuat « luminis divini ». Item LIV, IV, ostendit, inter intellectum possibilem et eius obiectum eamdem interesse relationem, ac colores inter et oculos; quae certe est visionis, vel intuitionis.

(2) S. Bonav. Itin. ment. in Deum. Si ergo intuitio est simplex ac directa ideae contemplatio liquet iam evidenter cognitionem perceptivam realium non posse, uti Galluppi aliisque sensistis mos est, proprie intuitionem nuncupari, cum diversae naturae sit utriusque cognitionis obiectum, ideale videlicet et reale; atque etiam Angelicus ex hoc *categorico* entium discrimine, distinctionem deducat animi potentiarum. Secus etiam pertimescendum foret, ne ens ideale cum ente reale confuderetur.

(3) Hoc sensu s. Thomas, loco citato, demonstrat — intellectum possibilem haud purum actum esse, sed in *potentia*, cum in entium cognitionem deinceps sensim perveniat —. Contra intellectui-elemento eae referri debent Angelici sententiae, quibus dicitur; « intellectum esse ipsum intellectum in actu; quia, ait, nil reducitur de potentia in actum, nisi per aliquod ens actu ». Ens porro actu est intellectus-elementum, qui in actus secundarios cognitionis ducitur eo quia actu intelligentiae iam potiatur in lumen rationis, seu formam universalem cognitionis enitentis — S. I. LXXIX, III.

secundum quod est quedam res et particularis potentia habens determinatum actum (ideas determinatas) » (1).

Nolim tamen duplicem realiter distinctum accipias intellectum, ast unum ipsumque; qui lumine rationis instructus, intellectus-elementum, ideis vero peculiaribus adipiscendis aptus, intellectus potentia est.

ARTICULUS SECUNDUS

DE RATIONE PLATONICORUM

132.° Scholis platonicorum vel paullulum initiatum haud profecto praeterit, eos rationem interdum anteposuisse intellectui, quamquam contra habeatur apertissima s. Thomae doctrina: « investigationem rationis procedere a simplici intuitu principiorum per intellectum » (en aliud specimen intuitionis intellectivae). Iam vero putandum ne est viros adeo exquisito iudicio fuisse hac super re sic deceptos? *Quibus* platonismus multo pluris aestimatur, quam mos sit sciolis. visum est, platonicos *rationis* nomine, unquam minime, ut germanici consuescunt, facultatem subiectivam animi, sed complexum intelligibilium menti adstantium, ss. Patrum exemplo, sumpsisse (2). Intelligibilia porro cum obiectiva sint ac aeterna, subiecto cognoscitivo creato antecedunt, quinimo cum nobis exhibentur, *mentem creant*. Atque hoc multo verius videbitur, si animadverteris, rationem ceu animi facultatem intellectui more peripateticorum platonicos reapse etiam substravisse. Quandoquidem Marsilius Ficinus acutissimus Platonis interpres scripsit: « prima vis animae mens est, cuius actus est perpetua contemplatio veritatis: (en iterum intuitus). Secunda, ratio, cuius actus est investigatio veritatis » . Quod idem confirmat Plutarchus platonismi peritissimus.

Subruitur ergo, quo germanici critici adnituntur, ut praelationem prae intellectu rationi iure attribuant, propterea quia platonici, quibus inepte blandirentur, id rationi ut facultati aperte detrectant.

ARTICULUS TERTIUS

DUPLEX SCHOLASTICORUM INTELLECTUS, POSSIBILIS ET AGENS

133.° Si quidquam est in Scholasticis tritissimum, nihil putamus profecto magis, quam duplicem intellectum ***possibilem*** et ***agentem***.

(1) S. I. LXXXII, IV ad 1.

(2) Atque s. Augustinum ideas quoque rationes rerum dixisse interdum, superius monstratum est.

His refertus est s. Thomas, his s. Bonaventura, his Scotus, his Suarez, his quot fuerunt doctrinis peripateticis imbibiti. Intellectus possibilis, aiunt, est *omnia fieri*, agentis, *omnia facere* (1). Intellectus agens omnia facit quatenus vis animae est, quae lumine intelligibili, quo perfundimur, rebus cognoscendis utitur, idque sensationibus applicando, atque inde ideam entis agentis efformando. Intellectus possibilis omnia fit, quatenus anima potest alias atque alias ideas rerum in lumine intelligibili, vel idea entis contemplandas excipere (2).

134.° Quae ut clarius aliquanto elucescant, iuverit interpretari. Intellectus agens nobis esse videtur facultas rationis, quae lumen intellectus copulat sensibilibus, et ideas rerum sibi inde componit: hinc dicitur omnia facere intelligibilia. Ante enim quam res intellectu percipiatur, nulla eiusdem inerat menti idea, quae illico se prodit vix ea est percepta. Ergo propter luminis intellectus usum animus primo ideam rei sibi comparat et facit.

Intellectus possibilis ipse est animus in quantum intuetur lumen rationis, vel ideam entis, quae cum possit in varias ideas determinatas transformari (quia quidquid excipitur semper ens quoddam est), idcirco animus iugiter ideam entis contuens, potest hoc ipso eas determinationes, vel ideas in ipso distinctas intueri. Quare dicitur omnia fieri intelligibilia, tum quod idea entis omnes ideas speciales evadit, et fit; tum quod animus iis intuendis toties incitatur. Atque utroque in casu dicitur intellectus possibilis ea de ratione, 1.° quod neque idea entis fiat simul omnes ideae, neque proinde mens ideas omnes intueatur sed successive iuxta sensuum occasionem. Ad

(1) Aristot. De anima L. III. Lect. X. — S. Thom. S. I. LXXIX, III, IV, V. — LIV, IV. — S. Bonav. Comp. verit. theol. Tantum ergo abest ut s. Bonaventura suffragetur neo-platonicis quoad intuitum divinitatis, ut potius theoriam peripateticam duorum intellectuum contra Platonem obiectam consulto sectatus fuerit. Theoria enim isthaec duorum intellectuum est undequaque divinitatis intuitioni adversa. Quapropter alia est s. Bonav. scribendi ratio in operibus philosophicis et theologicis, alia in operibus mysticis, uti in itiner. ment. in Deum.

(2) S. Thomas saepe sane numero enumerat intellectus agentis officia; nimirum 1.° sese super phantasmata sensus convertendi, 2.° ea suo lumine illustrandi, 3.° actuque immaterialia vel universalia ope luminis reddendi, 4.° atque quodammodo intellectui possibili, in quem agunt, homogenea efficiendi; eo videlicet sensu, quod non in ipsis conditionibus individualibus et materialibus res amplius inspiciantur, ut sensus se habet, sed in earum natura communi et essentia universali adeo ut, exempli causa, haud ille actu homo individuus sentiatur, sed homo in universali, et in infinitum realizzabilis attingatur. — De verit. X, VI. — S. I. LXXIX, IV.

futuras autem ideas merito in potentia mens censetur. 2.° Quod possibilitas tantum rerum in idea entis intueatur. Paucis, intellectus possibilis est ipse intellectus proprie dictus.

Utrique ergo intellectui opus est lumine rationis, vel idea entis, secus intellectus agens, omnia faciens sibi ceu mensurae cuncta aptaret ac disponeret idest *subiectivaret;* atque hinc scepticismus. Cui ut prospiceret ipse Aristoteles, necessitate compulsus statuit — intellectum agentem esse actu ens —. Atque haec quidem hactenus, in posterum plura.

Libeat tamen adhuc subnectere, intuitionem intellectivam caeterarum facultatum esse fundamentum in homine hac vita agente, cuius forma intellectus est ens ideale: in patria autem, ubi haud-*amplius* modicum lumen rationis, sed lumen ipsi coruscabit gloriae plenissimae, prima ac fundamentalis mentis facultas erit — perceptio intellectiva Dei —: atque inde duplex intellectus, naturalis et supernaturalis, iste autem item duplex, secundum gratiam ex secundum *gloriam*.

CAPUT QUINTUM

FACULTATES COGNITIONIS RATIONALIS. RATIO (1)

135.° *Ratió* verbum est multiformis significationis, quarum una, eaque nos magis attinens, est illa qua dicitur = facultas referendi lumini rationis res sensibiles vel ideales, ut in conspectum mentis perducantur =. Qua ex definitione tria elucent: 1.° intellectum praecurrere in ordine logico rationem. 2.° rationem nec ex animalitate, nec ex intelligentia seorsim, sed ex iis simul consertis, emergere; ideoque nec bruta animalia, nec angelos quidem rationalitate donari; sed eam ad hominem dumtaxat spectare, cuius essentia in rationalitate consistit. 3.° rationem ex unione animalitatis cum intelligentia exeuntem, esse homini ingenitam, quia ipso eius creationis instante, statim animalitas cum intelligentia copulatur.

Ratio porro facultas complexa est, aliarumque mater. Inter eas occurrunt *perceptio intellectiva*, *attentio*, *reflexio partialis* et *totalis*, atque ex reflexione plurimae aliae, quas singillatim persequemur.

(1) Ratio ab intellectu distinguitur non equidem ratione intuitionis, sed respectu modi ad intuitionem veritatis perveniendi. Hinc sub priori respectu eam s. Thomas considerat ubi eius cum intellectu identitatem tuetur, sub posteriori contra, cum rationem angelis denegat atque ab ipso intellectu eam secernit.

ARTICULUS PRIMUS

PERCEPTIO INTELLECTIVA

136.° Nil pluris interest philosophi rite scire, quam naturam perceptionis intellectivae, qua prima rationis evolutio initur, et tamquam pons communicationis animam inter et res externas interiicitur, quo anima foras veluti erumpit.

Percipere generatim id audit, quod recipere. Animae autem res recipiuntur vel, qua activae, seu sensibiles, vel qua existentes aut entia. Atque ideo duplex perceptio invicem dissimillima, sensitiva et intellectiva. Prior est subiectiva activitatis sensibilium receptio, qua concutimur ac afficimur. Haec tota animae inhaeret, neque ad entia protenditur; sentiri enim neqnit nisi in subiecto. Eiusmodi perceptione comparantur belluae, nostraque animalitas. Contraque posterior perceptio, actus est rationis, qui ad extra porrigitur, res, non utpote sensibilia (1) sed ut entia prout sunt in se, in lumine intellectus videt, quin in subiectum affectum, eiusque sensitivas affectiones inflectatur. Sane cum forinsecus percutimur, illico nostri veluti obliti, in causam percutientem convertimur, ut quid ipsa sit in se, cognoscamus. A vero ergo Fichte et Galluppi abludunt, qui nihil sine conscientia nostri nobis percipere datum esse, propugnant.

Quapropter perceptio intellectiva complementum est sensitivae, quippe quae a sensibus removeat quae sensitiva sibi trahit, ut ea non quomodo agunt, sed quomodo in se sunt, quantique valeant, cognoscat. Atque proinde ipsa dicitur = affirmatio subsistentiae rei =; et bifariam dividitur, in internam atque externam, prout nostra vel aliena subsistentia affirmatur. Verbis igitur, non rebus differt s. Thomas, qui perceptionem banc — conversionem intellectus ad phantasmata, vel phantasmatum illustrationem, abstractionem —, res vero perceptas, — phantasmata illustrata — passim vocat.

Affirmatio praeterea hisce fere verbis effatur — quod sentio, existit —. Primum elementum, *quod sentio*, ad perceptionem sensitivam; alterum, *existit*, ad intellectivam pertinet. Ex quibus colligitur tria esse elementa perceptionis intellectivae: 1.° *sensatio* in sensu excitata; 2.° *idea existentiae* in intellectu; 3.° *actus animi* sensa-

(1) Etiam rerum sensibilitas, seu eorum sensibus percellendis aptitudo equidem potest intellective percipi. Ast non eo modo quo experitur, idest subiective, sed potius obiective vel in seipsa: mens enim ita est natura comparata, ut quidquid ei intelligendum exhibetur, essentialiter obiectivet, atque etiam seipsam cum se percipit.

tionem cum idea entis annectens. Sin res non primo, sed denuo percipitur, loco ideae entis utitur idea rei, ut cum librum video, aio — en liber —. Interim iam constat, perceptionem intellectivam praeeuntem ideae entis, vel ideae specificae intuitionem praesupponere; ideoque aliud perceptionem, aliudve intuitionem esse, etsi Galluppi contra cavilletur. Prior complexa, posterior simplicissima est (1).

137.° Postremo, res sensu percepta singularis est, ac suo loco circumscripta. Cum autem ea percipitur, universalis evadit, et item atque item multiplicabilis. Semel enim ac arborem percepi, quot mihi alias possem exhibere hic illucque, ac ubique arbores existentes? Merito igitur Scholastici docuerunt, res, cum intellective percipiuntur, immateriales vel universales fieri, quia dimissis conditionibus individualibus ac materialibus sensui haerentibus, manet intellectui pura natura rei, abstracta et universalis. Quod a natura intellectus petendum est, cuius obiectum est ens in universale, atque ea quae in ipso videntur, ut universalia ipse adigitur quoque intueri. Qui ergo perceptionem intellectivam vocaverit universalizzationem, optime dixerit. Sed neque hic omnia de perceptione intellectiva.

ARTICULUS SECUNDUS

IUDICIUM

138.° Quamquam iudicium sit radicalis animi operatio, caeteris facultatibus cognitionis inserta, ut diximus; habetur tamen peculiaris iudicii facultas, qua subiecto praedicatum coniungimus (2). *Subiectum* id dicitur, quod subiicitur alteri, quod ideo *praedicatum* vel *attributum* nuncupant. Utrumque simul est *materia* iudicii, ita tamen ut praedicatum semper latius pateat subiecto. Quare praedicatum *maius extremum*, subiectum *minus extremum* dici consuevit. Verbum praeterea copulativum, *est*, aut aequivalens, *forma* est iudicii.

139.° Iudicium etsi essentia unum, pro elementorum diversitate, ac cognitionis modo, in species dividitur, quarum praecipuae in iudicium primitivum et secundarium classificantur.

Iudicium primitivum parum, aut ferme nihil est a perceptione intellectiva absimile, cum sit = actus animi, quo affirmatur subsistentia rei externae nos modificantis, vel nostrum =. Id intelligetur si studiose animadvertetur, factum intellectivae perceptionis com-

(1) Recol. art. De elem. cognit. percept.

(2) Coniungitur autem positive vel negative, prout iudicium affirmativum, vel negativum est.

plexum esse, atque constare 1.° synthesi primitiva; 2.° iudicio primitivo; 3.° et perceptione intellectiva. Primo enim idea entis unitur sensationibus (synthesis); deinde affirmatur ipsis convenire (iudicium); demum res percipitur in idea entis ei adnexa, diciturque, reapse existit (perceptio intellectiva). Tres porro eiusmodi actus, cum simul uno actu celerrime efficiantur, adeo ut invicem nonnisi mentaliter secernantur, patet unum eumdemque actum esse, synthesi primitiva, iudicio primitivo, et perceptione intellectiva conflatum (1).

140.° Iudicio primitivo tres insunt a caeteris iudiciis rationes discriminis. 1.° Creatio sui subiecti, idest ortus ideae rei subsistentis, quae non prius sed ipso actu iudicii primo percipitur, fitque subiectum, cui idea entis ceu praedicatum supervenit. Affirmatur enim sensibile existere hoc vel illo modo, contra in aliis iudiciis secundariis, subiectum, nisi qua subiectum, saltem ut idea in mente praecurrit. Profecto cum dico — nivis est alba —, tam ideam nivis, quam ideam albedinis praehabeam necesse est; si vero dicerem — existit aliquid, quod me sic afficit —, ideam huius entis antea mehercule non gerebam, cum illo actu eam tantum nactus sim. Res ergo experta fit iudicii subiectum, cum affirmatur. Neque id mireris, cum et in aliis iudiciis idea praeexistens, priusquam iudicium fiat, neque subiectum, neque praedicatum adhuc sit, sed idea. 2.° Creatio proinde primae cognitionis rei, quae ante iudicium ignorabatur, postea iudicando in lucem venit intelligentiae (2). Toti quamobrem in eo sunt ideologi, ut in iudicio primitivo fontem cognitionis comperiant, atque idearum factorem. Si id probe novissent Locke, Galluppi, Degerandus, aliique, haud profecto simplicem rei apprehensionem ut primam facultatem res cognoscendi statuissent, cum penes cordatiores receptum sit, primam cognitionem iudicio comparari, cuius elementa sunt 1.^m sensatio; 2.^m idea entis. 3.° Necessitas ipsum ponendi, cum haud fuerit hominis arbitrio relictum affirmare necne quae ipsi sensibus exhibentur.

141.° Iudicium *secundarium* vel *comparativum* illud est = quo rei alicui notae aliquid attribuitur =. Dicitur secundarium et comparativum, quia ideas rerum iam praesupponit, et eas simul comparat. Comparatio autem cum aliter fieri nequeat quam reflectendo;

(1) Aliter propterea perceptionem sumendam ducimus, ac Degerandus accipiat, scilicet ut — puram et simplicem apprehensionem vel intuitionem —, cuius simplicitati duplicitas elementorum iudicii certe adversatur, neque ideo simul cohaerere possunt. — Histoire comparée, t. II. chap. X. — Galluppi, sagg. crit. ec.

(2) S. Th. de natur. verbi intellect. inquit « prima actio eius (intellectus) per speciem est formatio sui obiecti, quo formato intelligit ».

hinc fit ut etiam iudicium *reflexum* vocetur. Caeteras iudiciorum species in logicam reiicimus.

ARTICULUS TERTIUS

ATTENTIO

142.° *Attentio*, proprie loquendo, non quaedam facultas, sed = conversio et applicatio activitatis animi in aliquid = dicenda magis videtur. Activitas autem animi cum sit duplex, eaque diversa, *sensitiva* et *rationalis*, duplex itidem et diversa exurgit attentio vel intensio, *sensitiva* videlicet et *rationalis*, quarum postrema pro numero facultatum rationis multiplicatur, fitque attentio perceptionis, iudicii, reflexionis, analysis, synthesis etc. Utraque tamen attentio sensitiva et rationalis, vel obiecti actione, vel voluntatis imperio urgeri potest. Primo casu, necessaria et instinctiva, secundo, voluntaria et libera dicitur. Sin autem in nosmetipsos torqueatur, reflexio, non equidem ratione cognitionis, quae directa potius quam reflexa est, sed ratione inflexionis, appellatur. Quamobrem attentio apte diceretur = virtus animi instinctiva vel libera, qua in aliquod obiectum intendit ac se figit = .

ARTICULUS QUARTUS

REFLEXIO

143.° *Reflexio* vel ita vocatur, quod in subiectum inflectitur, vel quod entia iam cognita simpliciter recognoscit. At neutro in casu vera est censenda reflexio: non primo quia est magis cognitio directa, quam reflexa: non secundo, quia solum cognita recognoscere, aut recogitare, actus reminiscentiae est, si de cognitionibus transactis, aut actus perceptionis redeuntis, quoties de iisdem eodem modo iterum perceptis ageretur. Nam, vera et proprie *philosophica reflexio* cognitiones adauget, perficit, novisque ditat inventis, et id parit, quod philosophia dicitur; estque propterea = voluntaria mentis alicui obiecto noto applicatio, ut eius cognitio clarior, ac uberior fiat =. Eiusmodi sane reflexionem ut ut acceptissimam, minime admittunt neoterici pseudomystici, qui arcano quodam mentis intuitu omnia simul in Deo aspicere adblandiuntur, sic ut reflexio nil novi invenire possit, sed intuitus obiectum tantum elaborare semperque revolvere.

144.° Contra nos certiores experientia reddimur, reflexionem ita se revera habere, ut definivimus, ac ideo dividi in totalem et partialem. Prima inquirit relationes obiectorum suorum cum veritatibus univer-

salibus, maximeque idea entis omnium veritatum suprema, in qua reflexio sistit, eamque contemplatur. Secunda relationes investigat ipsa inter obiecta, quibus incumbit, quin ea directe referat ad ultimam ac universalissimam veritatem, seu ad ideam entis; atque inde alii plures, et quidem indefiniti reflexionis ordines succedunt, alii aliis excellentiores, quin ullus eorum scientiam exhauriat, ut contingit reflexioni totali, quae in supremam consurgit veritatem, quam supergredi nefas est.

145.° Relationes autem praedictae, cum vel oppositionis, vel similitudinis sint; atque earum altera equidem concipiatur, altera vero latens crebrò vel deducatur, vel fingatur; hinc reflexio partialis dividitur primo in facultates analysis, synthesis, fidei et creationis rationalis, e quibus aliae, ut videbitur, oriuntur (1). Atque etiam reflexio totalis in facultatem principiorum, archetyporum, methodi, et cognitionis absolutae distinguitur. De iis omnibus inferius singillatim.

ARTICULUS QUINTUS

FACULTATES REFLEXIONIS PARTIALIS, ANALYSIS, ET SYNTHESIS

146.° *Analysis* ea est mentis actio, quae obiecta in plura elementa dividit: atque duplex est, materialis et formalis, prout elementa divisa, eiusdem, ut fragmenta materiei, vel diversae naturae sunt, ut species et genus.

Synthesis actus est quo spiritus elementa analysi discerpta in unum recomponit; eaque pariter duplex, materialis et formalis, quatenus elementa recomposita vel eiusdem, vel diversae naturae sunt. Hinc quasi materia analysi et synthesi materiali subiecta est quantitas; contraque analysi et synthesi formali, qualitas.

Specimen synthesis formalis habes in omnibus iudiciis, in quibus subiecto positive vel negative unitur praedicatum, ceu duo elementa diversae naturae. Sin autem iudicio cuiusdam reflexionis ordinis, aliud reflexionis altioris referatur, tunc oritur ratiocinium quasi synthesis reflexionum ordinis diversi. Ratiocinium siquidem is dicitur = animi actus, quo inter duas veritates aequatio peragitur ope tertiae ideae ceu mensurae communis, cui veritates comparantur, ut innotescat earum relatio =. Haec de ratiocinio modo sufficiant (2).

(1) Analysis et synthesis, quae hic aguntur, *logicae* sunt, neque cum analysi et synthesi physica, chymica, mechanica et cosmologica confundendae.

(2) Finis, vel effectus iudicii et ratiocinii quandoque analyticus est, ut cum iudicium est negativum, vel conclusio ratiocinii negativa, quibus in negationibus elementa dividuntur. Verum processus utriusque est syntheticus; antequam enim negando dividantur simul res dividendae conferri debent.

147. Analysis autem formalis videtur valde similis abstractioni, etsi eadem plane non sit. Nam analysis formalis elementa divisa indiscriminatim animadvertit; abstractio contra quaedam considerat, reliquis quodammodo dimissis. Etenim abstractio solet definiri = animi facultas qua ex pluribns quaedam magis exploranda, vel cognoscenda excerpimus, caeteris interea despectis =. Minima ergo interest differentia inter utramque.

Qnantum abstractio ideis genericis et specificis comparandis, et velnti perpoliendis valeat, quantae sit scientiis et ingeniorum evolutioni, linguae perfectioni, utilitatis, nemo non videt, qui sciret, principia scientiarum, veritates generales, et elegantiores dicendi formulas, tot esse abstracta, quae etiam vulgaribus interdum immiscentur sermonibus. Sed de abstractione alibi plura.

ARTICULUS SEXTUS

FIDES, ET CREATIO RATIONALIS

148.° Succedunt demum aliae reflexionis partialis facultates, fides videlicet, et creatio rationalis; quarum prima alterum relationis terminum deducit, secunda sibi confingit.

Fides rationalis = persuasio animi est subsistentiae entis cuiusdam absentis =. Absens autem obiectum sić deductum vel simile est natura quibusdam iam perceptis, vel dissimile et numquam perspectum. Primo in casu fides rationalis, secundo vocatur *integratio*, quae eumdem ac fides processum sequitur, eaque solum differt quoad terminum detectum. Hinc fide rationali Leibnitins et Le-Verrier usi sunt; ille lege continuitatis innixus existentiam zoophitornm praenovit; iste quibusdam Urani perturbationibus admonitus, locum planetae, Neptuno postea dicto, praesignavit, ubi postmodum revera inventus est. Contra integratione utimur cum in Deum ex visibilibus conscendimus; hac enim facultate detegimus aliquid antea specie plane ignotum, cuique nil ex cognitis aequiparari potest, nempe Deum.

149.° *Creatio rationalis* eo contendit, ut aliquid sibi fingat, quin tamen credat adesse, quo possit commode aliquid explicare. Atque duplex est, *irrationalis* vel *gratuita*, *rationalis* et *solida*, prout ipsi rationes suffragantur, necne, qnidpiam imaginandi. Quapropter dividi solet 1.° in facultatem *hypothesis*, qua rationabiliter aliquod factum supponitur; 2. in facultatem *irrationalem personificationis*, quae rebus etiam insensitivis sensum et cogitationem indulget, ut homini sensum sui magis excitet; 3.° in facultatem *erroris* plane *arbitrariam*, quae errorem creat, eumque loco sufficit veritatis.

ARTICULUS SEPTIMUS

FACULTATES REFLEXIONIS TOTALIS, FACULTATES PRINCIPIORUM, ARCHETYPORUM, METHODI ETC.

150.° Reflexio totalis ea dicta fuit, quae relationes entium cum summis rationis principiis, ac cum idea entis proxime indagat, eaque in quatuor dividitur facultates. Prima est


151.° *Facultas principiorum,* quae supremas rationes ordinis entis cuiusque praebet. Hinc docet ens intellectivum numquam posse subsistere, nisi ens intueatur, propter cognitionis principium. Quod obiectum intellectus est ens. Item accidens, et effectum sine substantia, et causa dari non posse, propter principia substantiae et causalitatis. Ita dicatur de aliis propositionibus logicis, geometricis, metaphysicis, aestheticis, moralibus etc. quae respectivis explicantur principiis.

152.° Facultas *archetyporum*, quae rei essentiam, quantum homini conceditur, in ultima eius perfectione contemplatur. Ex qua facultate generantur *daeontologiae*, vel scientiae perfectionis entium, atque illa mentis celsitudo, quae hominibus excellentiam divinam obtinet, ut Platoni contigisse fertur, quem sapientes virum divinum nuncuparunt. Huiusce facultatis contra expertes positivi, pedestres et prosaici vocantur.

153.° Facultas *methodi*, quae est actus reflexionis per singulos cognitionum ordines gradientis, eosque simul unientis, suoque disponentis ordine. Hac facultate necesse habent praeceptores, qui in summa erigere student iuventutem sibi erudiendam concreditam.

154.° Tandem facultas *cognitionis absolutae* vel *transcendentalis* aeque a reflexione totali procedens, quae cognitiones elementis subiectivis expoliat, idque earum solum decerpit, quod obiectivum, firmum et immutabile est, ut veritas ipsarum elucescat, cui homo fidat.

Quae hactenus de facultatibus cognoscitivis exposita, optimum factu est, in tabula synoptica disponere, qua facilius prae oculis protinus habeantur veluti summatim.


Facultates cognitionis humanae
Facultates intellectivae
Facultates rationales
intellectus-elementum vel intuitio primitiva luminis rationis, aut ideae entis
intellectus-potentia seu facultas intuendi ideas determinatas
Ratio
perceptio intellectiva
Facultas universalizzationis
Reflexio
reflexio partialis
reflexio totalis
Analysis
Synthesis
Fides rationalis
Integratio
Creatio rationalis
materialis
formalis
facultas numerorum
abstractio
materialis
formalis
facultas numerorum
facultas hypothesum
facultas personificationis
facaltas erroris
iudicium
ratiocinium
facultas principiorum
facultas archetyporum
facultas methodi, facultas cognitionis absolutae vel transcendentalis

SECTIO TERTIA

DE OBIECTO COGNITIONIS HUMANAE

155.° Hanc de humanae cognitionis obiecto sectionem quatuor in capita dividemus. Eorum primo de natura obiecti cognitionis; secundo de eius identitate in singulis mentibus; tertio de obiectiva cognitionis infinitate; quarto de verbali vel simbolica obiecti cognitionis manifestatione, nobis agendum erit.

CAPUT SEXTUM

DE NATURA OBIECTI COGNITIONIS

156.° Actui animae cogitantis fore quoque aliquid superaddendum, in quod ceu in obiectum cognitio desinat, iam sat fuse alibi nobis dictum fuit, ubi de synthesismo intellectivo. Satius propterea modo existimamus naturam obiecti magis determinare, ut qui menti obiectum cognitionis elargiuntur, sciant quid ipsi indulserint.

Atque in primis, ut plurimum dicitur, omnibus potentiis indiscriminatim aliquod obiectum inesse, sensitivis quidem, atque etiam intellectivis; ideo saepe accipimus dici, *obiectum* tactus, visionis, vel obiecta externa etc. Ast plane immerito: veri enim nominis obiectum nonnisi solis potentiis intellectivis adsciscitur.

Enimvero *obiectum* id iure dicitur, quod cuidam obiicitur potentiae, eaque tamen distinctum est, et diversum, adeo ut potentia intellectiva non equidem in se, vel in animam inflecti debeat cognoscentem, sed extra se veluti erumpere, egredi, atque in terminum sese protendere, ipsum prout est in se attingere, quin vel minime in ipsum influat, et agat.

157.° Quapropter terminus quisque tum obiectum evadit, cum tria nactus fuerit: 1.° *immodificabilitatem*, vel *impassibilitatem* quae impediat quominus terminus quidpiam ex potentia patiatur, aut utcumque immutetur: 2.° *unionem obiectivam*, idest terminus debet ita potentiae uniri, ut potentia haud in sua cum termini unione minimum immoretur, sed in ipsum directe et exclusive concipiendum feratur, eoque utatur: 3.° *oblivionem potentiae*, quae cum in terminum rapitur, sui quodammodo obliviscatur, et tota in terminum convertatur tamquam in aliquid alienum, sibique exbibitum. Quibus conditionibus carent profecto termini potentiarum sensitivarum, qui 1.° passivi sunt et modificabiles; 2.° itemque activi, ut qui in sensus agunt; 3.° quo-

circa potentiae sensitivae eorum magis actiones, quam eos ipsos percipiunt: 4.° saepe termini sensitivitatis ipso implicantur sensu fundamentali, eiusque sunt modificationes, vitae mutationes, aliaque plura facta interna et subiectiva: 5.° etiamsi interdum extra-subiectivi sint, cum tamen sentiantur, non equidem ut sunt, sed quomodo sensibus recipiuntur, videntur, atque ideo tanti aestimantur (si est quidem sensibus aestimatio) quanti sensibus liceret. Haud dubium ergo amplius est, quin quidpiam tamquam diversum a subiecto, atque in propria subsistentia percipere solius sit intellectus, cuius termini totidem sunt obiecta censenda. Quamobrem res eatenus obiecta fiunt, quatenus conspiciendae intellectui offeruntur, atque sistuntur; cui si subducerentur, obiectivitate eo ipso carerent.

Atque iam optime explicatur, cur sensibilia obiecta nuncupari soleant, licet reapse talia non sint. Vocantur quippe obiecta propter eorum ad intellectum relationem. Ita enim homo est constitutus, ut nonnisi de cognitis loquatur; cognita autem ea sunt, quae mente cernuntur ut obiectiva vel ut obiectivata.

158.° Ex quibus rursus fluunt differentiae inter intellectum et sensum. Intellectus quadam ferme vi centrifuga instructus terminos cogitationum a se repellit, aeque ac praesbytes, qui ut clare videant, obiecta eminus ab oculis removent, sic ille ut absolute percipiat; sensus contra vi centripeta fere collectus, sibi sensibilia adiungit, atque quasi myopes, qui oculis cominus res admovent, quo clarius aspiciant, appropinquat et pene sorbet, ut relative percipiat. Unde proinde fit, ut qui intellectui adhaerent, *recti*, qui sensui *egoistae* nominentur.

ARTICULUS PRIMUS

OBIECTUM COGNITIONIS EST ENS

159.° Terminus cognitionis ideo fuit obiectum nuncupatum, quia extra subiectum cogitans, atque a quaque liberum relatione concipitur. Quid porro est obiectum eiusmodi, nisi *ens?* Equidem non quod in aliud vel agit, influitve, ens censetur, sed quod est, aut existit in se, et plane quidem seorsum. Alias enim in alio magis, quam in seipso conciperetur, entisque proinde naturam deperderet, ut qualitas alterius vere entis fieret.

Iam ergo attende: res ut in se apprehendantur, oportet in mente eas simul contineri. Quandoquidem neque corporibus, neque animabus istud pronomen primitivum *se* adest, ac nulla plane *suitas;* ideoque coguntur hoc pronomen absolutum *se* a mente, quae ea concipit, mutuari, eo videlicet sensu, quod absolute cognoscantur: absolute

autem quidquam cognosci idem est, ac id ut *ens* considerare. Decipimur quapropter cum opinamur, res nobis ignotas entia nobis esse, cum ea solum entia sint respectu alterius mentis ea percipientis, ac praecipue mentis aeternae, cui si absconderentur, confestim perirent. Obiectivitas enim est proprietas vel relatio entis essentialis, atque fundamentum ontologicum, qua simul ac res destituitur, ipsi pereundum est. Ratio est, quia realitas non est nisi actus secundus, qui actum primum, idest essentiam expostulat, ut res sit vere ens completum. Porro essentia utpote idea menti haeret. Ergo menti est referenda, ut veri nominis ens evadat (1). Haec est quippe ontologica entis synthesismi lex, quae iubet — formas entis idealitatem et realitatem mutuo simul complecti —.

160.° Praeterea si obiectivitas enti supervenit, cum menti directe perhibetur; exhiberi autem menti directe non potest quin sit intelligibile, quia mens est facultas intelligibilium; consequitur obiectivitatem idem esse ac intelligibilitatem, ambasque esse necessarias entis proprietates; sicut entia, quae, ut intelligantur, indigent medio intellectionis, cuinsmodi sunt entia creata, obiectivitate etiam orbentur, neque entia completa sint; atque iis opus sit comparari tam essentiae entis, vel ideae existentiae qua cognoscantur, quam realitati entis, ut snbsistant. Propterea quemadmodum in ordine metaphysico, ratio sufficiens *realitatis* contingentium est actio creativa entis, nempe Dei sic in ordine logico ratio sufficiens eorum *cognoscibilitatis* est intelligibilitas entis, quae nobis sub forma tandem ideali, seu ut idea existentiae, atque principium cognoscendi affulget, licet in Deo, ente supremo, plenissime compleatur. Imo, priusqnam sciatur rationem sufficientem realitatis contingentis in actu creativo insidere, debuit praesciri, eam *per se* non intelligi, atque rationem sufficientem cognoscibilitatis in entis essentia esse. Hoc enim modo detegitur non esse *ens* (l'ente) sed enti participare (un ente).

161.° Ex quibus iterum colligitur, 1.° obiectum cognitionis esse *ens*, quatenus suapte est natura intelligibile; proptereaque res creatae propria carentes intelligibilitate, entia dici imperfecta, neque proprie obiecta, sed participative, in quantum per participationem obiectivitatis et intelligibilitatis complentur, atque in obiecta commntantur statim ac exhibentur intellectui, cui inest *forma obiectiva et intelligibilis entis*. 2.° Ens autem cum id dicatur, quod existit *in se*, independenter a subiecto cognoscente, inferendum est, obiectum cognitionis neque

(1) Animadvertendum est res menti aeternae referri nedum ut intelligantur, seu obiectiventur, quin etiam ut subsistere possint, cum fuerint Dei virtute condita; mentibus autem creatis eas tantum committi, ut in communi rerum intelligibilitate, nempe in idea entis, obiectiventur.

phaenomenicum, aut illusorium, aut apparens esse, uti insanis placuit kantianis. 3.° Quamobrem *nihil* qua nihil in obiectum cognitionis nullatenus suscipi, sed tamquam negativam entis cum seipso, vel cum cogitatione relationem tantum cogitari. Quid enim est aliud nihil, quam negatio entis? Ergo nihil propter ens etiam concipitur. Hinc variae nihili species; itemque illae locutiones quorumdam, — hominem respectu Dei nihil esse —, idest sine creatore nihil sibi esse. Quibus patet nihil supponere ens, eiusque quamdam esse sibi ipsi relationem, ac quidem in tantum nihil cognosci, in quantum ens conceptum fingitur non esse. Atque ideo duplex cognitio, obiectiva, quae immediate ab obiecto excitatur; et subiectiva, quae non obiecto, sed actu mentis ponitur (1). Qua distinctione conciliatur quaestio Parmenidis, qui pensabilitatem nihilo ademerat, et Platonis, atque Aristotelis, qui nihil posse quodammodo cognosci opinati sunt. Enimvero, non ideo cognoscitur nihil, quasi ut obiectum aliquod, aut ens reapse adsit, sed quia mens ipsum sibi tamquam obiectum positive conformat, etsi relatio mere negativa entis sit: proindeque cognitione magis subiectiva, quam obiectiva apprehenditur: 4.° Demum, quia obiectum intrinsecam irradiat intelligibilitatem, consequitur solam Dei naturam, ac ideas rerum esse vera obiecta, ea tamen exceptione, quod illa nobis adhuc absconditur, istae aliquo modo iam revelantur (2).

ARTICULUS SECUNDUS

ANNE IMMEDIATUM, ATQUE CONSTANS MENTIS OBIECTUM SIT ENS PECULIARE VEL UNIVERSALE, REALE AUT IDEALE

162.° Sensistae, — uno veluti stantes sub pede —, statim reponerent: quid dubitandum? cognitionibus peculiaribus peculiare, universalibus universale, realibus reale, idealibus ideale obiectum requiritur. Ast paullo attentius facta perquirentibus, aliud manifeste videbitur.

(1) Etiam cognitio subiectiva quadam saltem apparente gaudet obiectivitate, secus cognitio non foret. Dicitur ergo subiectiva eo tantum sensu, quod actu mentis imaginetur obiectum, quod aliunde deesset. Re enim vera, nihil, nisi fingeretur esse, profecto neque conciperetur.

(2) Poteris ex dictis argumentum plane decretorium, simulque obvium conficere intuitionis primigeniae et constantis ideae entis universalis. Nam mos est cuique dicere, cognitionis obiectum esse *ens* (l'ente). Atqui ens sic universaliter sumptum aliud mehercule non est, quam *idea entis universalis*, vel idea existentiae, quam ut cognitionis fundamentum praebuimus. En quam optime philosophia et sensus communis in principiis fundamentalibus secum concordant!

Re quidem vera sit, exempli causa, cognitio cuiusdam rei individualis, pone, elephantis. Censesne te elephantem posse, qua elephantem singularem, cum tibi adstaret, percipere, atque dicere: — en elephas —, si numquam tibi minime praeluxisset idea elephantis, eaque nunc haud utereris? si sapis, mihi procul dubio respondebis, hoc fieri non posse; atque idea elephantis te reapse uti, dum elephantem actu percipis: adeoque ipsum percipere, quia ipsum cum idea elephantis comparando, comperis ideae elephantis convenire. Iam vero idea elephantis est universalis, utpote apta omnibus elephantibus, si tibi occurrerent, singillatim ostendendis. Ergo etiam in perceptionibus intellectivis, rei cuidam individuae circumscriptis, interest elementum universale, idque mens directe aspicit ceu exemplar in quo elephas realis cernitur. Deme ideam elephantis, et deinceps etiamsi millies elephantem sentias, ipsum qua talem numquam percipies.

Sicque patet solutio secundae partis quaestionis. Universale siquidem nullo loco, temporeque continetur, estque propterea ideale tantummodo, atque soli menti ostensum. Optime ergo scholastici intellectum definierunt = facultatem universalium vel idealium =; sensum vero = facultatem singularium et realium =.

163.° Non abnuimus, quod idea elephantis cum elephante reali collata, restringi quodammodo videatur, quia huic tantum applicatur. Ast id ex eo procedit, quod mens tunc alia dimittit individua possibilia, quae in ipsa idea elephantis videri possunt, et tota convertitur in elephantem praesentem. Caeterum, vix ab ista perceptione sese retrahit, vel puram ideam rei animadvertit, iterum conspicit, eius universalitatem sartam ac tectam permanere, atque infinita alia individua posse sibi successive perhibere.

164.° At iam ulterius progrediamur. Dicat nobis quisque; ex tot tamque variis obiectis vel ideis universalibus, quibus mens illustratur, estne fortasse una, quae menti nequeat avelli, quin mens deficiat? Profecto in primis est sedulo animadvertendum, mentem sine ullis omnino obiectis vel ideis ne vel uno quidem momento existere, cum sit *facultas idearum*. Quaenam igitur, ex tot idearum millibus, illa adeo necessaria est menti, ut ipsam fulciat? An idea Dei? Num idea hominis? Idea animalis? Idea plantae? Idea spiritus? Idea corporis? Aut alia quaevis idea abstracta? Qui vim non infert veritati, debet nobiscum fateri, nullam idearum huiusmodi, neque imo ideam Dei, parvulis ignotam, ethnicis autem imperfectam et absurdam, esse necessarium menti elementum, ut ipsa existat et cogitet; eoque magis, quod analysis cognitionum numquam hucusque invenerit, ideam Dei omnibus cognitionibus ut elementum essentiale irrepere. Dic mihi, quaeso: cognoscisne te Deum concipere, cum plantam uti est in se percipis? Nonne, ut Deum cogites, tibi opus est plantam negligere, aliumque

praestare cognitionis actum? Haec sunt luce fulgentiora. Quod si de omnibus ideis aeque dici potest, non tamen de idea entis universalis. Etenim, mens quae ne ullam quidem ideam haberet, atque etiam ne ideam entis quidem, possibilis ne foret? Quid haec conciperet; si neque quid sit ens in genere, concipiat? Nonne simul conciperet, atque non conciperet? Debet ergo saltem ideam entis gerere, qua sit mens; ac tanto magis, quanto ne una quidem ipsi emicet idea, quae illam non includat, cum quidquid concipitur, de genere sit entium. Neque habes quod opponas, ideas entia spectare determinata. Optime, sed determinatio non mutat essentiam entis, quod sive determinatum sive indeterminatum, aeque ens est. Imo, si vides, determinationes entium ex ipsa cognoscuntur entis indeterminatione, ac universalitate, quae toties specificatur, quoties variis sensationibus applicatur. Est ergo tamquam obiectum primitivum, universale, immediatum, ac constans menti ingenitum agnoscenda idea entis, in qua mens omnia cognoscit, et sine qua nihil cognoscet unquam, neque *ipsa* mens haberetur. Quare merito quoque Scholastici, et maxime s. Thomas, et s. Bonaventura, dixerunt — nisi sciatur ens per se, non potest sciri definitio rei cuiuscumque — (1).

ARTICULUS TERTIUS

AN OBIECTUM COGNITIONIS IDEM SIT QUOD FORMA EIUSDEM

165.° Neque adeo adiaphorum est quod aggredimur inter obiectum et formam cognitionis inquirere: eo enim contendimus, ut ex innumeris ideis, quae mente humana agitantur, item illam quaeramus, quae cognitionem format ac plane constituit; eaque vix inventa nedum intima cognitionis naturalis radix, sed et unde supernaturalis cognitio nobis incipiat, in lucem, dummodo sagaci vigilique animo simus, prodibit (2).

166.° Qua in pervestigatione nobis non est cur in obiecti theoriam redeamus, cum iam sat clare supra explicata fuerit. Iuverit tantum hic meminisse, omnes ideas totidem esse mentis obiecta, quippe quae omnes similiter utpote intelligibiles coram mente immediate se sistant. Nihilominus iis omnibus iam unam vidimus ceu omnium maximam praeminere, *ideam entis* videlicet, quam si a mente abscin-

(1) S. Thomas contr. Gent. II. LXXVII. — S. Bonav. Itin. etc.

(2) Tametsi hic sermo de suprema mentis forma habeatur, animadvertendum tamen est, unamquamque ideam posse, sub diverso respectu, vocari obiectum, medium et formam cognitionis; dicitur enim obiectum quatenus mente intuetur; forma autem et medium, cum rebus percipiendis adhibetur.

deris, omnes ideae continuo disparerent, ipsaque annihilaretur mens. Fierine quandoquidem poterit, quod mens sine lumine rationis intelligat? Atqui lumen eiusmodi, quid tandem est aliud censendum, si non idea entis (1)?

Quibus iam constitutis, intelligitur — ideam entis nedum universale mentis vel cognitionis obiectum, ut caeterae ideae, sed formam eiusdem constitutivam esse —. Enimvero *forma* generatim illud vocatur obiectum, quod subiecto infixum, ipsi mentem creat, atque conservat. Insuper forma intellectus indefinita plane universalitate ac indeterminatione sese debet, ut sic dicam, dilatare, ut vastissimam cognitionem humanam comprehendat, cum eo fuerit menti indulta, ut sensibilia universalizzet, atque se in notitiam cuiusque entis possit perducere, ne Deo quidem excepto. Porro utroque munere respectu mentis sola fungitur *idea entis*, vel *lumen rationis*, cuius splendore anima collustratur, atque potentias emittit intellectivas, quae individuis non coercentur ad instar sensus, sed species et genera apprehendunt unum simul et multa complectentes. Quare etiam ex ss. Patribus cum de lumine rationis dissererent, luculenter quidam docuerunt « lumen intellectuale in aliquo existens per modum formae permanentis et perfectae perficere intellectum » (2); quidam « mentem ab ipsa veritate, cui coniuncta est, formari » (3); aliaque id genus sexcenta. Quae in id conspirant, ut *primatum formalem* cognitionis universae, ideae entis vindicent. Non diffitemur, singulis cognitionibus suam specialem interesse formam, uti ideam hominis cognitioni hominis; ideam animalis cognitioni animalis; nulla tamen earum omnibus cognitionibus praeest, neque cognitionum formae dicuntur, quia ipsa in idea entis iam insident, quacum elaberentur, si illa mente excuteretur.

167.° Huic porro *formae universali cognoscendi*, si aliud validius lumen accederet, cuiusmodi foret *lumen gratiae*, nova inde gigneretur *forma cognitionis supernaturalis* dicta, qua potentiae intellectivae altius erigerentur, atque in Divinitatis perceptionem confusam adhuc et indistinctam impellerentur. Quod nobis factum in Baptismo est,

(1) Qui ideam entis repudiant, numquam ad statum primitivum, atque ordinem intrinsecum mentis humanae pervenient detegendum.

(2) S. Thom. S. II. II, CLXXI, II. — S. I, LXXIX, IV —.

(3) S. Aug. Lib. 83. qq. LXI. — S. Bonav. Itin etc. Inter hanc formam cognitionis, et formas kantianas multum interesse discriminis, iam praemonitum fuit: illa enim obiectiva est, indeterminata, infinita etc; istae subiectivae, determinatae, finitae, ac nonnisi nomine tenus formae. Item patet quam desipiant neo-platonici, qui contuitum Divinitatis homini elargiuntur. Hac enim in hypothesi divina essentia esset forma cognitionis, quo nil absurdius dici posset, ut docet Angelicus.

atque in sacramentis, quae ad abditissimam usque animae essentiam perveniunt, eam immutant, renovant formam cognitionis, cui totus animus insistit, augendo lumine uberiore. Rerum autem essentias pervadere solius Dei est, sicque patet divinitas Religionis nostrae, quae non ratiociniis tantum annititur se hominibus persnadere, quin etiam parvulis communicatur, eosque in seipsam convertit superna quadam mentis illustratione, qua unusquisque fidelium reformatur spiritu mentis suae. Qua semel indita cognitionis supernaturalis forma efflorescnnt animo facultates intellectivae et morales ordinis etiam super naturalis, quibus carens ethnicus a christiano differt.

ARTICULUS QUARTUS

FALSUS OBIECTIVISMUS

168.° Quamvis hucusque quoad naturam obiecti praestitnta, perspectissima sint, nondum omnium sibi consensus forte captivarunt. Vigent adhuc sensistae, atque neo-platonici, quorum primi sensibilibus, secundi soli realitati divinae nomen obiecti attribuunt. Illi eo illuduntur, quod sensibilia obiecta vocari consuescant, quin animadvertant, verba res exprimere, quatenus iam cognoscuntur: res porro cognoscere idem omnino est ac eas, lnmine rationis opitulante, menti exhiberi, atque quodcmmodo obiectivari. Re quidem vera, si obiectivitas tanti habetur, quanti intelligibilitas, quis unquam mentis compos dixerit — sensibilia intelligibilitate pollere —? Nonne si ita essent, totidem ipsa lumina intelligibilia evaderent, atque aeterna, ut ideis contingit, quae utpote intelligibiles, ideo semper intelligi potuerunt, semperque poternnt, atque inde aeternae? (1) Num ea non aspicerent et animae belluarum, cum ipsis nihil deesset, neque animae simplicitas, neque unio atque relatio cum sensibilibus? Nihil ergo est ex realibus tam corporeis quam spiritualibus, cui obiectivitas conveniat.

169.° Excipienda est realitas divina, quae sibi aliisque lux est, eaque neque sensu corporeo, neque alterius luminis intelligibilis participatione, sed immediata mentis intuitione in propria qua fulget intelligibilitate, perciperetur. Eam vident Sancti in patria, de quibus dicitur — quod in lumine (Deo) lumen (Deum) vident —. In praesentiarum contra tantum homini concessum est aliquid istius luminis arripere, et in ipso ceu in obiecto universali rerum essentias vel ideas conspicere, quae hoc in tempore nobis sunt cognitionis obiecta.

170.° Atque hinc distinctio inter scientiam et historiam. Scientia agit de rebus prout in ideis vel in obiectis contemplantur: historia

(1) Quod acute vidit Norris cum Anglis systema Malebranche explicaret.

vero de rebus prout subsistunt; atque inde recta invaluit consuetudo dicendi, obiecta scientiarum esse rerum essentias specificas vel genericas; historiarum autem facta. Praeterea cum solius Dei sit, realitati identicam habere intelligibilitatem ideoque esse realitatem intelligibilem, consequitur, ex scientiis solam theologiam in obiectum reale incumbere, non equidem intuitione, sed ratiocinio et fide compertum.

CAPUT SEPTIMUM

DE IDENTITATE OBIECTI COGNITIONIS HUMANAE

171.° Nihil est aptius praestantissimae cognitionis naturae, idest obiectivitati ostendendae, quam identitas cognitionis in singulis hominibus. Nobis est igitur haec studiosissime persequenda.

Realibus quamvis plurima insint specie identica, ac eadem omnino (1), sicque in iisdem determinatis speciebus redigantur; unum tamen ab altero numero realiter discernitur. Animantia ex. gr. hoc pacto eadem alioquin specie, numero tamen distinguuntur, et quidem tot sunt quot adnumerantur individua, quae suam habent vitam, suos motus, sua corpora, suas sensationes, suosque instinctus. Idem est de omnibus entibus realibus; realitas enim est principium individuationis.

172.° In cognitione autem, vel etiam in ordine logico, identitas numerica plurium individuorum in unica idea specifica aut generica occurrit, sic ut innumerae etsi mentes quidquam cogitantes sint, idem numero respiciunt obiectum. Nam cum homines plantam vel lapidem, aut solem mente conspiciunt, quot putas sint obiecta eorum licet adeo invicem dissitarum cognitionum? suntne tot obiecta numero distincta, quot actus cognitionis? Cave hoc asseras; offenderis enim sensum communem tibi reluctantem. Omnes quippe concorditer arbitrantur, eamdem ideam plantae omnibus mentibus illucere, atque iam aliquando illuxisse, et in posterum fore ut etiam semper illuceat. Alias enim, quomodo secum ipsi convenire, mutuo intelligi, ac loqui homines possent, si una uni, alia alteri, neque unica omnibus interesset idea, in quam aspicerent ceu in communem iudicandi regulam?

(1) Conf. Plato in Parmen. Quoad Platonem iuverit animadvertere saepius ipsum rebus creatis quamdam intelligibilitatem conferre, quam secundam vocat, atque a prima intelligibilitate realiter secernere videtur; quod nulla ratione admitti potest, quia Intelligibilitas est essentialiter aeterna, una atque indivisibilis. Nil ergo mirum si haec Platonis doctrina a ss. Patribus cernitur castigata. qui unicam aeternamque posuerunt intelligibilitatem, eamque divinam, cuius paullulum nobis elargitum fuit, idest radiolus tenuissimus ex ipso intelligibilitatis fonte nobis derivatus.

Neque est tibi regerendum, satis esse singulis mentibus similes tantum, idest easdem specie, non autem numero ideas infundi. Nam, quaero abs te, unde discernis ideas eiusmodi invicem similari? Nonne una utens idea tamquam communi mensura, cui, cum repereris illas convenire, affirmas, eiusdem esse speciei? Atqui ea quae sunt eiusdem speciei, puta homines, non plures arguunt ideas, sed sub unica continentur idea, idest humanitatis, quam in omnibus cuiusque hominis perceptionibus cogeris adhibere. Itemque de cognitionibus dicatur, quae nequeunt simul specie convenire, quin in unicam indivisibilem ideam resolvantur omnibus mentibus praesentem (1). Sin autem dicas hanc ideam exemplarem pro numero etiam mentium distingui, et nonnisi specie tenus eamdem esse, tunc redit argumentum, semperque redibit in infinitum; cum hisce in casibus eadem semper sit comparatio facienda, ideoque in unicam ideam ideae comparatae item reducendae. Melius est ergo quod concludatur, cognitiones humanas esse singulis mentibus identicas propter identitatem obiectorum eas illustrantium, quemadmodum unus est sol, tametsi infiniti propemodum sint oculi intuentium (2). Quae cum ita sint, lubeat inde nonnulla praeclarissima inferre corollaria.

§. 1. *Corollarium primum — Obiectivitas ideae.*

173.° Si enim eadem equidem numero singulis intelligentiis panduntur obiecta, cum aliquid concipiunt, iam concludendum est, obiecta cognitionis haud ab ipsa animorum substantia educi, atque alia plura esse, quam sint mentes ea intuentes. Porro eiusmodi obiecta ideae sunt; ergo ideae non animi modificationes, non actus, non quidquam aliud subiectivum, sed vera sunt obiecta. De sensationibus haud ita loqui profecto fas est, cum unusquisque suas habeat.

§. 2. *Corollarium secundum — Possibilitas magisterii.*

174.° Profecto, pone aliud discipuli, aliud inesse menti magistri, cum inter se disputant, aut colloquuntur, putasne eos mutuo intel-

(1) Plato in Parm. identitatem idearum ex eo probat, quod ea sblata progressio exurgeret infinita.

(2) Hac ratione facile exploditur opinio Averrois, de intellectu universali, atque singulis hominibus communi. Adest quidem intellectum universale ac commune, idest obiectum, non vero intellectus, aut subiectum intellectivum. Confr. s. Thom. S. I. LXXIX, V. — S. Aug. passim hanc de idearum identitate numerica quaestionem pertractat et per quam acutissime, ut semper mos est eius acerrimo ingenio.

ligi? Nonne ut verbo sententiaque concordent, aut dissentiant necesse est unum atque identicum intueri obiectum? Quod, ut quisque perspicit, et ipsi factis saepe ostendunt, eamdem numero ideam suis quidem enitere mentibus, cum invicem provocentur, ut ideam rei, de qua agitur, attente speculentur. Deinde, quid sibi praestituit magister, cum scholam adit? Id tantum, ut ideas quas ipse novit, easdem numero et discipulis manifestet. Iam age, si haec manifestatio non fieret, ac proinde ideae magistri mentibus non affulgerent discipulorum, magisterium impossibile redderetur, quin etiam et omnium hominum collocutiones interciperentur, quae aut ideas aliis insinuant, vel eas iam habitas excitant. Quapropter si ideae animi forent modificationes, aut sensationes, quinam aliis exhiberentur? Quis nostrum intimum sensum atque conscientiam introspiceret, nisi ipse fuerit Deus, qui scrutator est cordium? Tam ergo magisterium, quam conversationes ideo fieri possunt, quia idem numero obiectum mentibus insidet (1).

§. 3. *Corollarium tertium — Unanimis voluntatis in unum consensus.*

175.° Voluntas ea est animi activitas, qua cognita amore aut odio prosequimur. Atqui sicuti in cognitionibus eadem numero sunt obiecta penes mentes cognoscentes, ita et unanimis in ipsa omnium voluntas. Hinc in bonum in genere omnes inclinamur, atque a malo cohibemur, non quasi subiectivis quibusdam tantum atque distinctis incitemur, ac retrahamur instinctibus, indigentiis et cupidinibus similibus; sed potius quia eodem allicimur, aut repellimur obiecto, ut omnes fatentur, cum ad unam et indivisibilem felicitatem, et ad bonum universale nos esse comparatos (etsi in applicationibus varietas sit sententiarum) affirmant. Quod magis etiam confirmatur dum attendas bonum universale id respectu voluntatis dici, quod respectu intellectus ens vocatur, ut scite noverunt scholastici, quibus — ens et bonum convertuntur —. Consensus ergo voluntatis ex identitate est repetendus obiecti intellectus. Etenim bruta animantia haud sane in unum commune bonum consentiunt, quia neque intellectu potiuntur in unicam veritatem defixo.

§. 4. *Corollarium quartum — Societas, amorque proximi.*

176.° Proinde belluae in unam societatem minime etiam coalescunt, quia unaquaeque sibi vivit, agit, consulit, et sufficit. Hominibus vero, cum eaedem sint numero veritates discendae, eadem iura tuenda, eadem bona prosequenda, eadem felicitas praestolanda, simul uniun-

(1) Conf. s. Aug. de mag.

tur, sociantur, ac vicissim congruis legibus fulciuntur, ut ad identicum finem perveniant. Rursus, dempta identitate cognitionum, interdicitur, diximus, collocutio, et conversatio, ideoque et societas, atque proximi dilectio, quae eo ordinatur, ut ad idem bonum alios verbo et facto sollicitet, et quasi impellat. Atque ideo homines *proximi* vocantur, quippe qui cognatione naturae in idem punctum conspirantis simul appropinquantur, et uniuntur arctissime (1).

ARTICULUS UNICUS

IDENTICUM HUMANAE COGNITIONIS ELEMENTUM INSTAR GERMINIS HOMINIBUS INFUNDITUR DEINCEPS EVOLVENDI

177.° Inter leges, quibus mundus regitur, *lex germinis* excellit, quae ubique locorum dominatur, atque id perpetim praestat, ut e germine generationes fiant, genitaque exinde paullatim augeantur usque ad plenam evolutionem. Hinc Deus initio temporis entium germina ubique sparsit, simulque ordinem causarum et agentium naturae ita disposuit, ut ea datis temporibus faecundent et explicent. Quod et hominibus factum esse conspicitur. Ipsi quoque ex semine generativo adolescunt, et complentur per iugem partium intus-susceptionem; quod et animabus contingit, quae licet utpote spirituales e nullo fuerint semine materiali eductae, sed a Deo immediate creatae, non ideo tamen statim plane evolutae, atque omnibus potentiis ornatae prodierunt, ut videre est penes parvulos, qui sensim animo explicantur, novas in dies facultates, novasque acquirunt cognitiones, experientia, vel magisterio edocti. Quid ergo humanis mentibus tantum originaliter infuit? Infuit solum lumen rationis, ait s. Iustinus, instar germinis cuiusdam: seu purum lumen rationis absque ulla determinatione atque externa applicatione, ac ceu medium universale cognoscendi, nondum usum, applicitum (excepta applicatione perceptionis proprii corporis) atque rebus postmodum intelligendis comparatum. Cum autem applicationes et usus eiusdem in rerum perceptionibus magis unusquisque creverit, novas pedetentim acquirit cognitiones, ac aliae ex aliis ani-

(1) Ex eodem principio identitatis idearum numericae poterit quis ceu corollaria inferre, tum fidem naturalem qua eisdem veritatibus et maxime primitivis (*a guisa del ver primo, a cui l'uom crede*) credimus, cum spem naturalem, qua, rerum in iisdem ideis possibilitate concepta, eventus facturos fore confidimus. Paucis, totus animus et quidem funditus, atque quoad omnes suos actus et potentias per obiectivitatem et identitatem idearum explicatur.

mae ipsi exurgunt potentiae, reflexionis, abstractionis etc. sicque adipiscitur quod discere ac erudiri dicitur.

178.° Aequales ergo primo homines quoad animam incipiunt, cum omnes solum et simplicissimum gerant mentibus suis infixum lumen rationis, quamvis multo clarius uni quam alteri, fortasse ob arcanum organismi influxum, illuceat. Differentiae autem intellectuales deinceps subsecuturae vel ex eo pendere videntur, quod lumen huiusmodi variis perspicuitatis modis splendeat, vel quod magis magisque adhibeatur secundum circumstantias loci, obiectorum, educationis, praeceptorum, atque praecipue organismi et systematis cerebro-spinalis potissimum, cuius varietates nocere vel prodesse luminis applicationibus diversimode possunt. Hae autem applicationes tot vocantur evolutiones luminis rationis. Diversitas autem in claritate luminis non est ita accipienda, ut aliquanto plus intelligibilitatis quibusdam revelet, aliis autem occultet. Nam lumen istud tanta est cum sapientia mentibus humanis accommodatum, ut si plus quam ipso iam contineatur manifestet intelligibilitatis, iam mens Deum qui fons est luminis intueretur, sicque in ordinem supernaturalem gratiae transiliret, etenim lumen rationis iam ipsa tota et sola est intelligibilitas indeterminata et universalis entis, quae ordini rationali condendo requiritur. Hinc si aliquid amplius intelligibile eo superius superadderetur hoc aliud intelligibile cum nequeat esse aliquid ens creatum, sive quod istud ex se intelligibile non foret, sive etiam quod eius intelligibilitas iam virtualiter in ente ideali praebaberetur, consequitur, hoc alterum intelligibile adiunctum aliud non esse quam substantiam divinam, quam novimus suapte natura intelligibilem quidem sed ordinis superioris, nempe supernaturalis (1). An vero haec diversitas splendoris luminis rationis quantitatem quoque cognoscibilium lumine ipso iam implicatorum adaugeat, adeo ut mens humana uberius collustrata, plura ac perfectius cognoscat, an vero verior et expeditior tantum in cognoscendo, atque etiam perspicacior caeteris aliis mentibus lumine obscuriore instructis, reddatur, res dubia est, et disputata. Interea iam inde constat quomodo identitas obiecti cum ingeniorum varietatibus conciliatur. Sin vero lumen rationis quoquomodo differens penes plurimos haberetur, eo quia sunt alii aliis doctiores, id nondum ever-

(1) Pseudomystici et neoplatonici numquam systema obtrusissent immediatae divinitatis intuitionis, si aequa lance quantitatem *intensivam* entis idealis ponderassent, cui vel minimo intensitatis gradu superaddito, iam ipsam nobis aliquatenus revelaret divinam realitatem, uti nobis per fidem evenire experimur. Est igitur statuendum, ordinem rationalem ex universali rerum intelligibilitate vel possibilitate, idest, ex idea entis universalis et indeterminati originem ducere, eaque totum inniti.

teret identitatem obiecti, quod in primis iam commune est omnibus doctis, atque etiam rudibus idem acrius manifestari potest, si ipsi intelligendo apti essent. Nulli propterea sapientium unquam de eo quasi de re sua gloriari fas est, cum certe sciat plures ipsum viridius apprehendere, aut fore apprehensuros, utpote omnibus commune. Utinam si id sensistae ac subiectivistae perspexissent.

Corollarium — Hallucinationes phraenologicae.

179.° Anima cum in luminis rationis usibus etiam ab conditione organica et maxime cerebrali dependeat, ex qua materiam sibi haurit cognitionis, atque eo perfectior et promptior sit, prout perfectius est cerebrum, inde phraenologi, Gall et Spurzheim ducibus, intulerunt, mentem adeo esse cerebro alligatam, ut ipsius operationes forent cerebri actiones censendae; ideoque etiam evolutiones animi ita cerebralibus complicari evolutionibus et prominentiis, ut sola inspectione cerebri, ait Gall, status animi erui illico sine haesitatione possit. Imo quidam ex ea schola audaciores eo usque progressi sunt, ut mentem sustulerint, atque ludicrum inveherint materialismum.

Quanta hic congerantur absurda nemo non videt, neque propterea nobis necessum est ea data opera refellere, cum refutatio ex dictis sat constet. Recognoscant ergo phraenologi propriae scientiae infantiam haud altius erigendae quam oporteat, neque semper *craniometro* sed interna observatione prosequendae.

In antecessum enim tria potius ipsi statuere debent: 1.° corpus a principio sensitivo discernere: 2.° item principium sensitivum a principio intellectivo, cum aliud sit sentire aliud intelligere (1): 3.° relationes inter corpus, principium sensitivum, et intellectivum clare exponere. Quae cum fecerint, altiora quaerent.

CAPUT OCTAVUM

DE EXTERNA HUMANAE COGNITIONIS MANIFESTATIONE

180.° Perperam prorsus nobis lumen cognitionis collatum fuisset, si nullo medio donaremur, cognitiones aliis promendi. Quorsum nam

(1) Distinctio inter sentire et intelligere Kantio primo tribuitur. Ast immerito cum omnibus veri nominis philosophis haec distinctio semper notuerit, et etiam evidenter penes s. Thomam occurrat. Contr. Gent. L. 11. c. 67. — Item s. Bonav. Itiner. — S. August. aliique Patres, nec non philosophi saniores cuiusque aetatis; qui si interdum sensibus cognitionem elargiuntur, metaphorice solum id faciunt.

anima cognitionibus ditata conticesceret? Quid tantae ipsi cognitiones prodessent, si aliis eas non communicet, unde solatium, gaudium, honorem, amorem, aestimationem obtineret, quibus mutuo sublevamur, diligimur, reveremur, et laudamur? Necessum est ergo aliquod ei constitui vehiculum, cuiusmodi maxime est organum vocale, quo cognitiones suas revelet forinsecus.

ARTICULUS PRIMUS

DE RELATIONE INTER VOCABULA ET COGNITIONES

181.° Plurima nobis signa sunt internis cognitionibus extra pandendis, puta scriptura, gestus, verba seu vocabula. Hinc quod de uno dicitur, etiam potest aliis referri. Nos hic de vocabulis ut verbis potissimum ore prolatis.

Sunt, qui inter verba et cognitiones, vel ideas nullam omnino distinctionem agnoscunt, sed plenam identitatem, sic ut nomen ac idea rei idem sint. Alii contra ea invicem distinguunt, relationem dumtaxat conventionalem et arbitrariam admittentes. Priores nominalistae vocantur, qui paucis profecto exploderentur, dummodo attente animadvertere non dedignarentur, verbum aliud non esse, nisi paullulum aeris pulmonibus eiecti, oreque articulati, ideoque nihil habere illius idearum identitatis, obiectivitatis, immutabilitatis, universalitatis, quibus scimus ideas revera splendescere.

Relatio autem conventionalis ita intelligitur, ut verba ex se nihil significent, atque solo fuerint hominum pacto ad hoc vel illud significandum adhibita. Inde patet diversitas, atque inintelligibilitas linguarum sola conventione invectarum, quarum verborum priusquam sensus non ediscatur, neque, quod ipsa innuant, cognosceretur. Hoc idem de scripturis et gestibus. Atque inde iure colligitur verba plurimum differre ab veris imaginibus, quae non hominum consilio, sed ex semetipsis praeseferunt similitudinem rei determinatae. Contra verba potius signa quam imagines vel repraesentationes sunt. Quocirca imagines ab omnibus ut primum conspiciuntur, quid referant, ostendunt: non item verba, quae quamdiu non interpretantur, insignificativa sunt. Relatio ergo inter cognitiones et verba neque naturalis, neque intrinseca, aut immutabilis est, neque repraesentativa; sed gratuita, conventionalis, et mere significativa.

ARTICULUS SECUNDUS

DE VOCABULORUM NECESSITATE

182.° Cum infantuli, atque surdo-muti nedum res sentiant, verum quoque cognoscant, quamquam adhuc obmutescant, evidenter patescit non omnibus cognitionibus formandis necessario verba, aut vocabula requiri. Tria enim sunt tantum cognitionis elementa: 1.° sensatio, vel imago phantastica, 2.° forma cognitionis aut idea entis, 3.° eorum unio quae ut vidimus, ipsa spiritus activitate perstringitur. Perceptiones ergo intellectivae absque vocabulorum interventu fieri possunt, atque ideae inde exortae sine vocabulis etiam intueri. Num enim vocabulo leonis egeo, ut praesentem vel possibilem valeam leonem cognoscere?

183.° Alias autem se habent cognitiones reflexae et abstractae. Cognitio enim reflexa non exercetur, nisi praecurrat idea abstracta finis, puta, alicuius, ob quem reflectitur (1).

Idea porro abstracta cum nullum arguat obiectum externum, quo excitetur, et aliunde ob legem cuiusdam inertiae (2), cui animus etiam subiacet, sine impulsu ipse permoveri nequeat, restat ut saltem verbis ceu signis vicariis sensationis percitetur, atque attentionem ad abstracta convertat. Quandoquidem haud video, quomodo v. g. cognitio iustitiae, pulchritudinis etc. oriri poterit, quin signum aliquod scripturale aut verbale intercedat, quo animus in haec abstracta moveatur. Nullum sane est obiectum reale, quod ipsa sit iustitia, et pulchritudo, vel aliquid eiusmodi. Superest ergo quod loco eiusdem sit verbum, quo oblito etiam ideae abstractae disparent, neque nobis quodammodo fas est in sensilibus quibusdam eam imaginare. Profecto cum ab pictore quaeras, ut tibi iustitiam vel bonitatem pingat, tibi protinus responderet, talia in seipsis pingi non posse, utpote abstracta; ita neque tibi licere rebus externis revocari, si eas oblivisceris.

184.° Ii tamen non sumus qui denegant, homines in societate iam constitutos, atque ideis abstractis verbisque instructos, posse quandoque alia atque alia verba excogitare propria et communia; item alia sufficere signa, puta simulacra, picturas ideis abstractis revocandis; v. g. ad significandam potentiam per brachium, omnipraesentiam per oculum,

(1) Qui enim reflectit, debet aliquem habere finem, ob quem reflectit, eo quia reflexio voluntaria est, atque post finis cognitionem determinatur. Atqui idea finis est abstracta; ergo sive reflexio, sive voluntas numquam sine praecedenti abstracto moventur, de motu inquam reflexo et conscio (consapevole).

(2) De huiusmodi inertia, et quantum ab inertia corporum distet, nobis in psychologia sermo erit subtiliter copioseque.

modestiam, temperantiam etc. per aliquod symbolum. Id de primo homine aut de homine in societate non degente solum negamus, qui etsi potentiam metaphysicam loquendi haberent, eam tamen in actum haud reduxissent, nisi fuissent aliunde excitati. Hinc deducitur linguam (il linguaggio) primo homini divinitus datam fuisse sin quoad propria vocabula, saltem quoad abstracta. In primis enim sine vocabulis abstractis haud ideas abstractas ipse unquam obtinuisset, neque verba abstracta sine ideis pariter abstractis: aliunde lingua tota ferme abstractis contexitur, iisque perficitur. Concludendum ergo Deum linguam homini indidisse. Ad vocabula vero propria quod spectat, videtur quod, homo primus nunquam pariter ea sibi propria virtute esset comparaturus, nisi extrinsecus adiutus fuisset, quemadmodum modo pueri educatione adiuvantur. Accedit, quod cum homo ad societatem statim fuerit naturaliter factus, societas autem sine lingua nequeat coalescere; iterum infertur primo homini linguam statim etiam collatam divinitus fuisse.

ARTICULUS TERTIUS

DE VERBO MENTIS, EIUSQUE A VERBO ORIS DISCRIMINE

185.° Plura de verbo mentis scripsere scholastici, quae diversimode postea interpretata fuerunt. Nobis ea sententia verior videtur, quae ex differentia speciei intelligibilis a verbo mentis fluit.

Iuxta Scholasticos cum mens ideam puram rei, vel rem in mera sua idealitate intuetur, dicebatur, ipsam speciem intelligibilem rei habere; cum autem nedum idealitatem, verum etiam realitatem rei percipit, praeter speciem intelligibilem etiam verbum mentis oriri, idest animi persuasionem, vel internam affirmationem subsistentiae obiecti. Non est tamen necesse quod subsistentia actu praesens sit, sufficit vel recordari aut fingi, ut inde verbum mentis producatur. Ex quo intelligitur, cur Angelicus dixerit « verbum plus de rei substantia participat, quam idea » (1), quia illud quidem, non ista, subsistentiam rei expostulat. Atque proinde coherenter ipse Doctor verbum mentis appellat » quamdam emanationem intellectus » (2), quod sane de idea, ab intellectu non emanante immerito diceretur. Quare idea ad verbum se habet, ut potentia ad actum: illa enim rem in potentia seu in possibilitate, istud in realitate exhibet (3).

186.° Atque ex iis iam elucet discrimen inter verbum mentis et oris. Illud quippe est interna rationis affirmatio, et persuasio, spiri-

(1) Opusc. XIV.
(2) S. I. XXXIV, II. — opusc. XIII.
(3) Contr. Gent. L. I.

tualis quidem et simplicissima; istud autem parumper aeris materialis pulmonibus expirati, oreque emissi, atque signum, et quasi vehiculum, vel quaedam fere respiratio illius. « Verbum, inquit s. Augustinus, quod foris sonat signum est verbi quod intus latet, cui magis verbi competit nomen. Nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est, verbum quia et ipsum dicitur propter illud, a quo ut foris appareret, assumptum est (1) ».

Demum verbum mentis, cum sit quoddam cognitionis corollarium, omnibus est intelligentiis, et etiam divinae commune, etsi diversa prorsus ratione fiat (2); contraque verbum oris solius hominis est. Si quis plura de verbo cupit, adeat s. Thomam in quaest. *De verbo mentis*, ubi praeter naturam, et eiusdem a verbo divino inveniet discrimina infinita.

CAPUT NONUM

DE INFINITATE ET FINITATE COGNITIONIS HUMANAE

187.° Notum cuique est, hominem ut limitibus circumscriptum, potentiam cognoscendi habere tamen infinitam, eamque numquam cognitionibus et scientiis ita repleri, ut iam aliquid amplius non inquirat, aut concupiscat. Quaerendum ergo nobis est, unde tanta cognitionis virtus ei derivetur, cum aliunde exploratum sit eam finitae esse naturae.

ARTICULUS PRIMUS

INFINITAS POTENTIAE COGNOSCITIVAE EX PRIMITIVO MENTIS OBIECTO PROVENIT

188.° Quidam ut hanc illimitatam cognoscendi potentiam explicarent, veritatem quamdam arcanam et infinitam animae indiderunt, ex qua ideae procreantur: et ipsi fuerunt Subiectivistae et Critici germanici. Verum finita animae natura nimis comperta est, ut nullus ipsis

(1) L. 15. de Trinit. — Conf. protol. Erm. Pini.

(2) In divinis cognitionem intellectus paterni in *Verbo* absolvi fide profitemur. Verbum autem cognitionis humanae toto caelo a *Verbo* discriminari, non est cur multis evincamus. Interea tamen ex eo quod etiam humana cognitio verbum (suo modo) habeat, iterum infertur eam divinae esse originis, vel principium habere divinum, quod est idea entis, non autem ex animae, pene dixerim *fundo* vel activitate, ut subiectivistae autumant, directe efflorescere. Plantae equidem erbaeque ac virgulta veris tempore, non ideae efflorescunt.

adstipuletur. Ex finito enim quomodo infinitum producatur, nescirem. Limitatio ergo animae obstat, quominus haec infinita in cognoscendo sit, quemadmodum neque talis est reipsa in sentiendo.

189.° Unde est ergo haec infinitas cognitionis deducenda? Ex obiecto intellectus, et maxime ex primitivo ac formali. Enimvero in tantum intellectus dicitur inexplebilis, in quantum eius visio in medium vel formam cognitionis universalem dispanditur nullo finito obiecto circumscriptam, ast plane indeterminatam, vel, ut se exprimunt Patres, incircumscriptam; cuiusmodi est *idea entis*, vel *ens universale*, quod, inquit s. Bonaventura, « est immensum, ideo intra omnia non inclusum, extra omnia non exclusum, super omnia non elatum, infrà omnia non postratum ». Hoc idem docet s. Thomas, qui saepe repetit « intellectum respicere rationem entis universalis » ceu formam obiectivam, et indeterminatam cognitionis humanae. Re quidem vera, sit intellectus quadam solummodo determinata idea insignitus, tum ea tantum cognosceret, quae sub tali idea continentur, iisque adimpleretur, neque ulterius alia quaereret. Quod si vidimus intellectum nostrum infraenem plane, et nullis entium classibus, speciebus, generibus alligatum, neque cognitionibus ut ut innumeris unquam satiari, tum perspectum est, ipsum adeo extendi quia formae cuidam primitivae universali unitur, atque eo latius porrigi, quo grandior ac latior videtur forma cognitionis. Hinc alia habetur ratio obiectum haud cum subiecto confundendi, atque quidpiam elementum divinum menti elargiendi, ut omnes Patres indulserunt, ac praesertim s. Augustinus, et s. Thomas S. I. LXXXVI II et alibi passim (1).

190.° Verum, quid opus esset, ut haec facultas tandem exhauriatur? opus esset intuitio plena et perfecta divinitatis, quae formam intellectus adaequat. Etenim idea entis non est aliud nisi essentia entis, quae in Deo perfectissime completur, quia Deus est ens per essentiam, atque dicitur *ens* (l'ente). Soli ergo Dei perceptioni intuitivae mens acquiescet, ac nobis usque tum est propterea expectandum, ut affatim etiam expleamur nedum cognitione, sed etiam amore, qui ex cognitione consequitur. Nec tamen inde inducas nos tunc in patria Deum totaliter comprehendere, quia, ut ipsum comprehendamus, debemus totam suam actionem recipere ac continere, cuius sane finita animae substantia incapax est. Videbimus ergo totum Deum, in quantum ut *ens* totum percipiemus, non tamen totaliter, quia infinitam eius realitatem comprehendere nequimus, non quidem ob formae cognitionis, sed ob finiti subiecti sive animae de-

(1) Factum eiusmodi infinitatis cognitionis omnes ultro fatentur, eius autem causam repudiant.

fectum, quo ab infinita et perfectissima animi cum Deo communicatione impedimur.

ARTICULUS SECUNDUS

DE PRAECIPUIS HUMANAE COGNITIONIS LIMITIBUS

191.° Homo quamquam infinito insideat elemento, quo eius mens in immensum veluti ampliatur, limitibus nihilominus quibusdam sepitur in cognoscendo, quorum primarii sunt:

1.° Defectus cognitionis positivae divinitatis. Iam alias dictum est nos quamdiu a Domino peregrinamur nonnisi sensibilia positive cognoscere, atque ex ipsis, relationibus ideologicis, ontologicis et cosmologicis innixos, inferre ens supremum tamquam aliquid absens et absconditum, quod per imperfectionum remotionem, atque per modum eminentiae conamur ipsum omnimode perfectum quodammodo nobis exhibere, quin tamen unquam eius existendi modum, essentiae unitatem, eiusque cum realitate identificationem, cuius nullum ex natura habemus exemplum, intueamur (1). Ideo optime ens supremum divinitas appellatur « quia, inquit Vico, quasi divinando vel, ut docet Apostolus, prophetando eius existentia detegitur ». Quo fit, ut cognitio Dei negativa sit, seu vacua magis quid ipse non sit, quam quod sit ostendens (2). Qua in re caute animadvertendum est hic neque de Deo prout in se est, neque de perceptione supernaturali ipsius, sed de cognitione rationali, agi. Indubium siquidem est Deum non esse aliquid negativi, sed ipsam entis plenitudinem; et similiter, positivam esse perceptionem supernaturalem eiusdem, qua homo gratia adiutus modum essentiae divinae apprehendit, etsi nondum perfecte. Id si recte fuisset perspectum, haud profecto propugnatum fuisset, ideam infiniti esse positivam, finiti autem negativam. Infinitum equidem est positivissimum, idea autem, quam de ipso habemus, negativa. Praeterea idea positiva divinitatis tam statui viae, utpote rationali, quam statui gratiae et gloriae, ubi non idea, sed perceptio habetur divinitatis, repugnat; quia iusti et beati haud ideam, cuius obiectum est possibilitas rei duntaxat, sed perceptionem Dei habent, etsi vario modo quia terminus perceptionis est realitas.

(1) S. Thom. « Ex effectibus divinis divinam naturam non possumus cognoscere secundum quod in se est, ut sciamus de ea quid est, sed per modum eminentiae, et causalitatis, et remotionis ». S. I. XIII, VIII.

(2) S. Thom. Comp. theolog. op. III. In id perfecte etiam s. Bonaventura, imo omnes ss. Patres consentiunt, quia secus ordo rationalis radicitus subverteretur, quod certe protestantiamum sapit.

Interea propter hanc rationis limitationem tantum abest ut vilescamus, ut potius ipsa quam plurimum nos soletur, quippe quae locum praebeat fidei, et divinae liberalitati, quae per gratiam nobis impartitur quod certe non valeret natura, atque ipsam, inquit Job, scientiam vincit.

2.° Defectus comprehensionis Dei. Hoc est praecedentis limitationis corollarium, quod non equidem ex ipsa forma cognitionis illimitatae eruitur, ast ex substantia animae, quae nequit totam, quanta est, actionem divinam recipere. Propterea etiam Beati dicuntur Deum non totaliter, sed totum cognoscere; totum utpote indivisibile mentis obiectum, non totaliter, quia non totum, quantum fieri potest, gaudium, ex divinitate in Beatos effunditur, cuius receptioni inepti sunt.

3.° Necessitas animi nonnisi quae ipsi sensibus perhibentur cognoscendi. Revera mens eatenus cognoscit, quatenus ei intrinsecus offeruntur obiecta cognoscenda, cum ipsa non sit quae sua virtute haec sibi creat, atque utcumque disponat. Quoties conamur aliquid mente arripere, quod tamen recusat ac aufugit? Nonne cum cognoscimus aliunde in cognitionem movemur? Num non requiruntur sensationes, imagines atque verba, quibus in perceptionem intellectivam, atque in cognitionem abstractam inducamur? Identidem voluntarie ad cognitionem determinamur, sed obiecta cognoscenda aliunde semper nobis porriguntur quibus permovemur.

4.° Imperfectio perceptionis intellectivae. Res eo modo cognoscuntur, quo in nos agentes sentiuntur. Atqui earum actio sive ob organismi defectum, sive ob earum imperfectam agendi rationem non tota sensibus explicatur. Quo fit ut multa earum adhuc nobis occultentur, atque cognitione magis relativa quam absoluta percipiantur; indeque ortum habeat philosophia transcendentalis, quae in lucubranda cognitione adlaborat quousque ad eius absolutam naturam non perveniat.

5.° Impotentia mensurandi vim cogitativam cum obiectis cognoscendis. Norunt omnes mentem undique limitari, atque pene innumera ipsam latere. Verum quis eo audaciae pervenit, ut ausus fuerit omnes limites ordinis rationalis singillatim determinare atque terminos quibus humana cognitio coerceri poterit? quis novit, quae rationi accommoda, et quae impervia sunt? Poterit quidem homo nonnullas agnoscere limitationes, easque praesertim hactenus expositas, non tamen omnes, nisi confuse. Qui nobis renuit assentiri, adeat Job Cap. XXXVIII, ubi eloquentissime hominis superbia terminos orbis perquirens stultitia redarguitur (1).

(1) Quae animi limitationes si vix semel expensae fuissent, numquam vel ipse Abaelardus omnium fortasse primus, rationalismum systematicum, quo

192.° Atque hic finis gnoseologiae, quae nobis sat discussa videtur saltem in primariis suis partibus. Si quid defuerit, hoc in ideologia mox disputabitur.

etiamnum divina concutiuntur theologiae principia, invexisset: cui propterea dispellendo nil aptius, nil validius esse putamus, quam categorica distinctio entis formarum, idest distinctio entis idealis ab ente reali, quorum primum menti quidem immediate innotescit, non alterum, ratiocinio (negative), atque fide (positive) exclusive inferendum.

PROTOLOGIAE PARS SECUNDA

IDEOLOGIA

PRAELOQUIUM

193.° Omnium scitu, maxime nunc temporis, optatissimum, idearum opinamur esse naturam, quam veteres sapientes in lucem semper conabantur proferre, ac prae caeteris statuere, cum errores philosophicos, imo et theologicos radicitus convellere, ac abradere intenderent. Ea potissimum de ratione Ecclesiae Patres, s. Anselmus, s. Thomas, Albertus Magnus adversus nominalistas movebantur, ne cum idearum destructione, quam nominalistae moliebantur, dogma etiam pessumdaretur Trinitatis. Enimvero, undenam, putas, initium duxisse rationalismum theologicum, pantheismum, atque scepticismum sive religiosum, sive philosophicum, atque turpissimum hodiedum gliscentem egoismum, nisi ex sensismo, subiectivismo, atque formalismo etc.? Fertur sensismum Lockii idealismum in Anglia peperisse Hume et Berkeley, in Gallia vero materialismum Cabanis et Tracy, ac tandem in Scotia scepticismum Reid ideis infensissimi. Postmodum ex Reidio, qui facile princeps est subiectivistarum Italiae, Galluppi videlicet, Mancino, Mamiani, Mastrofini, Bonelli, Soave, aliorumque (1), ceu surculus prodiit criticismus germanicus, qui in scepticismum iterum evasit, idealismum, ac pantheismum quo subtiliorem, eo pestilentiorem, atque cuncta etiam evidentissima tam in philosophia, quam in theologia subvertentem. Hisce adeo furentibus erroribus quisnam poterit obsistere, si natura idearum, unde pullularunt, dimittatur utpote impervia et inscrutabilis? vel si potentia idearum productiva menti attribuatur? Profecto campus hostibus cederetur; atque dum voce atque laterum etiam contentione in eos inveheretur, intactae nihilominus radices, ac virentes relinquerentur, quae iugiter

(1) Adeo intimum inter subiectivistas veteres ac nuperrimos initum est foedus, uti dicunt, offensivum et defensivum, ut unus aut in libris aut in diariis alterum tanta cum animi praefidentia nominet ac appellet, ut risum moveant commiserationemque philosophorum, qui illud (ni fallor) de baruspicibus recordenter Ciceronis « quia non ridet haruspex haruspicem cum rideret ». Sic isti ridere invicem debent, qui ideas intimo, abditoque fere in gurgustio compescunt, quas tamen, ut caeteri homines, norunt obiectivas esse, imo, ni mentiantur, experiuntur.

alios germinarent errores prioribus perniciosiores. Contra omnes divellerentur, si ideologia, debita qua par est sedulitate percoleretur, atque a cachinnis, dicteriis, atque conviciis aliquando ideophobi supersederent.

194.° Iis sane haud nos astipulamur, imo omnem lapidem movemus, ut ideae natura enitescat, cuius propterea tractationem duabus concludemus sectionibus: prima de ideae natura, secunda de ideae characteribus. Methodus, quae in claram naturae idearum notitiam nos perducet, observativa erit ac analytica, eaque tantum ut vera excipiemus, quae vigilis factorum animadversio praebebit.

SECTIO PRIMA

DE IDEAE NATURA

Sectio de ideae natura, maioris perspicuitatis causa in duo capita dividetur, primum de ideae definitione, secundum de philosophorum opinamentis in idearum naturam.

CAPUT PRIMUM

IDEAE DEFINITIO

195.° Rei cuiuslibet natura ex eius probe facta definitione desumitur. Definitio porro duplex est, nominis et rei. Illa, nominis sensum, ista, naturae indolem, enuntiat.

Idea vi nominis, graecae originis est, quae latinis species est (1), exemplar, ac forma. Aeque ac si ideam rei habere idem sit ac rem mente quodammodo intueri. Ad rem Forcellini « idea est id quod mente intuemur, et in faciendo imitamur ac sequimur ».

196.° Huc etiam revocandae sunt aliae ideae denominationes, typi, imaginis, repraesentationis, similitudinis, caute tamen adhibendae. Eiusmodi quippe aliquid realis semper innuunt, atque distinctionem numericam inter typum, imaginem etc., et obiectum reale ipsi respondens. Ast contra tam in idea, quam in eius obiecto reali idem numero *ens* est, licet sub diverso existendi modo, cum in idea idealiter ac intelligibiliter, in subsistentia realiter existat. Sic palatium utrobique idem numero est tum in idea palatii, quam ad extra in ordine physico, quod patet ex eodem vocabulo palatii, sive ad palatium ideale, sive ad palatium reale exprimendum adhibito. Non ergo aliud in idea, aliud in realitate habetur; sed alius est modus existendi

(1) Conf. Cicer. lib. I. Acad.

rei in idea, alius modus eiusdem quatenus subsistit; eiusmodi autem modi incommunicabiles sunt, et diversi (1), quia formae entis nequeunt ullatenus permisceri.

Uteremur autem his vocibus (imaginis etc.) tutissime, et quidem optime, si eo solum sensu acciperemus, quod ideae haud menti identificentur, sed ipsi tantum se praesentent, atque essentiam rei ostendant. Hac enim ratione nomina praedicta obiectivitatem et intelligibilitatem ideae satis exprimerent, quod est rectissimum. Caeterum curandum est, ut idea maiori qua par est puritate, et spiritualitate sine ullo sensibili elemento concipiatur.

197.° Quid ergo est idea? Idea nobis esse videtur = conceptus rei possibilis = aut = essentia rei mente concepta = vel = ens in sua essentia seu possibilitate apprehensum =. Id nobis indubitanter inculcat s. Thomas, qui ideo intellectum *species intelligibiles*, vel ideas rerum contemplantem appellat possibilem, atque crebro rei essentiam in eius specie intelligibili seu in idea constituit, ut cum docet obiectum intellectus esse quod quid est, idest ipsa rei essentia (2). Atqui ipse Doctor alias frequentissime dixerat, obiectum intellectus esse species intelligibiles: ergo species intelligibilis, vel idea rei, eadem est rei essentia, aut, ut ait, quidditas, seu, quod quid est eiusdem. Angelico iampridem praecucurrerat Aristoteles, qui mundum idealem immobilem vocaverat essentiam. Quod et philosophi quamplurimi eo vetustiores, uti Plato, Iamblicus, aliique praedocuerant, ipso teste Dugald-Stewart, quamquam iis non assentiatur, atque perfracte idearum essentiam perneget (3).

(1) S. Bonav. in L. Sent. dist. III. p. I. a. I. q. I. et s. Thomas contr. Gent. III. XLIX, atque fere omnes Scholastici docebant — cognitionem per quamdam similitudinem fieri —. Ast similitudo iuxta ipsos idea est, vel species rei, identica cum obiecto externo in ratione entis, atque solo modo existendi distincta. Sic tam in idea canis, quam in cane reali idem est canis, atque una voce exprimitur, tametsi in mente idealis, ad extra realis sit. Quare dicebatur, quod idea est res in potentia, subsistentia vero est eadem res in actu; ideoque sicut idea quaevis est similitudo obiecti cuiusdam, sic idea entis est similitudo universalissima omnium rerum. Cum autem idem numero sit ens tam in potentia, quam in actu, eruitur haud per distinctam similitudinem res cognosci, sed in seipsis, in sua nimirum obiectiva atque ideali existentia. Hoc modo via praecluditur scepticismo, qui cognitiones rerum ceu mentis adfectiones atque figuras interpretatur, perinde quasi in nobismetipsis omnia contemplentur, atque rerum mensura, ut effutiit iam pridem Protagoras, in nobis sit. Conf. Cic. in Lucull.

(2) qq. disp. VIII, art. VII. — S. I, LXXXV, V.

(3) Elements de la philosophie etc. — Aristoteles tametsi uti Plato videatur veram ideae naturam agnovisse, interdum tamen ideam platonice acceptam,

ARTICULUS PRIMUS

UBERIOR IDEAE DEFINITIONIS EXPLICATIO

198.° Nonnulli, ex quibus neo-platonici praecipue, nobis vehementer irascerentur, si ideas in sola rei possibilitate constitutas acciperent. Ipsi enim timerent, ne subtracta realitate seu subsistentia, ideae dilaberentur. Ast et hi nobiscum profecto convenient, si facta, quibus fulcimur, recte perpendant, atque de origine idearum ab illa de earum natura, quae hic agitur, attente quaestionem discernant. Quamobrem in primis quilibet nostrum se fingat aliquid *pura mente*, absque sensuum adiutorio, pone, florem aliquem, ut hyacynthum, concipere, simulque haudamplius alicuius hyacynthi realis iam alicubi conspecti meminisse, quin imo expresse supponatur, omnes hyacynthos combustos, velque eradicatos fuisse; quodnam medium hyacynthum cogitandi superesset? Nonne *essentia* ac *possibilitas* eiusdem? si enim interrogetur quid cogitet? illico respondebit, se ens cogitare *tali figura*, colore, odore determinatum, idest se essentiam hyacynthi mente revolvere vel ideam hyacynthi intueri. Quod si iterum premeretur: an una etiam eius percipiat realitatem? dicet: — hyacynthum aliquem subsistentem minime actu se percipere, sed eius possibilitatem, qua, tametsi modo ipse non sit realiter, aut non subsistere imaginetur, fieri tamen poterit subsistens — Hisce duabus responsionibus iam sat declaravit — se puram essentiam ac possibilitatem hyacynthi apprehendere — cum ideam hyacynthi intuetur. Sin hyacynthum perciperet realem, non amplius hyacynthum simpliciter, sed hunc diceret, aut illum hyacynthum, ut individuam realitatem commonstraret (1). Quod est sane clarissimum. Ast simul advertat, se, praeter *mentem*, et sensus adhibere quibus unitur realitas.

199.° Praeterea realitatem haud ideae immisceri ipsa ideae atque realitatis natura magis demonstrat. Qui enim vel paullulum ad ideas attenderit, procuIdubio etiam conspexit, eas aeternas esse, immutabiles, et omnibus intelligentiis praesentes: realia contra mutabilia, contingentia, et loco, atque tempore circumscripta. Pugnant ergo in seipsas ideae realitatisque naturae; ideoque altera nequit alteram absorbere, quin protinus ambae destruantur (2).

inquit Cicero, labefactat, vel quia animo, vel quia rebus sensibilibus eam confundit. Vid. Cicer. lib. I. acad.

(1) Idem noverat s. Thomas, qui materiam in communem (idealem) et signatam (realem) distinguit. Communis est, si diceretur — caro et os —; signata vel individualis, ut — hae carnes, haec ossa — (haec pronomina realitatem indicant). S. I, LXXXV, I.

(2) Iam vidimus improbatas esse ideas intuitivas Galluppi et Degerand.,

200.° Porro si tam haec invicem adversantur, cur simul plures identificarunt philosophi? Ratio multiplex est: 1.° imperfecta notitia atque analysis ideae: 2.° opinio erronea, quod sensibilia intrinseca fulgerent intelligibilitate, adeo ut per se mentibus paterent: 3.° identitas vocabuli, quo res in utroque statu ideali et reali exprimitur: 4.° timor ne ideae corruerent, si realitate carerent: 5.° praeiudicium, quod nullus alius esset modus existendi, quam realitas, idcirco ens sine realitate concideret. Iis occurrilur sequenti articulo.

ARTICULUS SECUNDUS

MODUS IDEARUM EXISTENTIAE EST PLANE SUI GENERIS, NEQUE REALIUM SUBSISTENTIAE COMPARANDUS

201.° Exemplo sit idea agni, aut agnus mere idealis. Existit, necne? Est aliquid, vel nihil? Nihil sane non est, cum concipiatur: mentis autem conceptio sibi obiectum, idest ens in quod tendat, vindicat. Agnus ergo idealis est aliquid, ideoque existit. Ast existitne more realium? Haudquaquam. Agnus enim realis individuus est, vivit, saltitat, tondetur, pascitur, lactat etc.; agnus contra idealis nihil est, aut praestat et patitur eiusmodi, atque immobilis est; neque vivit, neque comedit, neque moritur, neque humi pascuisque cubit. Verum existitne in subsistentia divisa? Etiam minime. Deus quippe non est agnus, et etiamsi ideam agni habeat, idea huiusmodi, sicuti ceterae ideae, ipsa est sui essentia quatenus est similitudo rerum, ideoque realissima, sed tamen nobis abscondita; quia agno ideali nullimode consertam, ut sic loquar, conspicimus Dei essentiam. Atque item, licet ratiocinio et fide sciamus, ideas rerum in Deum confluere, quomodo autem Deo insint, ipsi unificentur, et se invicem habeant, nescimus. Est igitur demum aliquid animae? Haud certe, cum ri-

quae realitatem implicant. S. Augustinus distinctionem ideas inter ac realia agnovit L. IX. De Trinit. c. VI. — S. Thomas manifeste narrat, Patres equidem platonismum quoad idearum obiectivitatem, minime vero quoad subsistentiam earum suscepisse: subsistentia enim idearum platonice accepta fidei dogmatibus adversatur. S. I. XV, I. — Quare latini subsistentiis vim atque potestatem tribuebant, non autem essentiis, quibus potius committebant immutabilitatem, et intelligibilitatem. Quod non sat bene Vico cognovit, atque in platonismum incurrit. Nihil ex Platone magis atque saepius constat quam idearum divinitas licet admodum exaggerata et in pluribus absurda, ut subtiliter notat Angelicus. Conf. Cic. lib. I. Acad. qui ait « Aristoteles primus species (ideas) labefactavit, quos mirifice Plato erat amplexatus; ut in his quiddam divinum esse diceret » Plat. in Theaet. In Timaeo. In Parmen. in lib. IV. reipub. et alibi passim.

diculum plane sit asserere, animam, vel eius modificationem agnum vel aliquid agni esse. Cum ergo nihil eorum sit agnus idealis sed ne nihil quidem, concludendum, eius existendi modum sui plane generis esse, ac omnino ab modo reali diversum (1).

Ast ne dicas — hanc existentiam arcanam esse —; arcana equidem est, sed exploratissima, neque absurda, uti reipsa est existentia idearum platonica: sive enim cum realitate divina, vel cum contingenti ideae humanae identificarentur, utraque in hypothesi destruerentur; quia ideae humanae licet tandem in Deum ceu in proprium subiectum redigantur, alia prorsus ratione, ac modo hominibus pateant, in Deo existunt: nobis aliunde enitescunt etiamnum tantis dotibus, ut realibus contingentibus confundi vetentur. Dicendum ergo est existere ordinem logicum vel intelligibilem praeter ordinem realem.

ARTICULUS TERTIUS

AN IDEALITATEM LICEAT MORE NEO-PLATONICORUM REALITATEM NUNCUPARE

202.° Responsio ex dictis fluit. Modus existendi idearum plane distinctus ac eo diversus est quo realia existunt. Ergo nequit uno eodemque verbo uti ad duo adeo discrepantia significanda. Deinde quae necessitas idem vocabulum adhibendi? Forsitan ne ideae tamquam nihil censerentur? sed, quaeso, vox *ideale* fuit ne invecta, ut nihil aut chimaericum quoddam significaretur? Ergo nihil est ideale picturae, sculpturae, poesis, musicae, eloquentiae, in quod tamen celebriores artifices totis viribus impellebantur? Ergo nihil sunt omnes ideae abstractae, bonitatis, virtutis, Dei, mundi, hominis etc. quippequae contrectari, videri, frangi, discindi atque immutari, et pedibus conteri, et manibus comprimi nequeunt? Vah delirium! Alia et admodum profecto diversa ratione verbum *ideale* inductum fuit, atque usitatum. Eo enim homines etiam incultiores utuntur, cum rem aliquam ut possibilem tantum, aut in *idea* constitutam rei subsistenti ac reali opponunt: proindeque ideale atque reale duo esse correlativa, illud rem in potentia, vel in idea, istud rem in actu, vel subsistentem innuit. Non est ergo formidandum quod quisque putet ideale nihilo aequivalere, atque consequenter necessum sit alio verbo scilicet realitate eius incolumitati prospicere. Quid enim significet ideale, et quantum ab reali discriminetur melius ipse plebeius interdum eviden-

(1) Etiam Gioberti in quibusdam, ut dicitur, lucidis intervallis fatetur — existentiam idearum sui generis esse — Conf. op. cul tit. — Del Bello.

tissime cognoscit, qui absurdis philosophorum suggestionibus non irretitur (1).

203.° Quod si non identitas, Synthesismus tamen inter ideam et realitatem adest, quo una alteram tandem exposcit. Re quidem vera, extitissetne palatium reale, nisi menti artificis praeluxisset palatium ideale? Factus ne fuisset mundus, si rerum ideae mente divina ab aeterno haud continerentur? Et vicissim palatium ideale, vel idea palatii nonne supponit saltem mentem artificis, cui splendeat? Similiter, ideae rerum aeternae sine mente divina existere ne possent? Realitas ergo idealitatem inducit, atque e converso, quia formae entis mutuo complectuntur; et etiamsi in mundo sparsim, et distincte modo una, modo altera habeatur, in ente tamen perfecto omnes reperiuntur, atque una alteram suo modo includit. Ast copiosior de entis formis tractatio ad ontologiam spectat.

Corollarium primum — Distinctio inter actum et potentiam.

204.° Distinctio potentiae ab actu est cuilibet notissima, eaque res vocatur in potentia, cum nondum subsistit, sed potest solum existere; in actu vero, si nedum in mente, sed et realiter existit. Potentia est ergo possibilitas vel idea, actus vero subsistentia rei. « Oportet, inquit s. Thomas, quod ipsum esse (subsistentia) comparetur ad essentiam (ideam) sicut actus ad potentiam » (2). Et alibi docet « naturam rei cuiusdam pone hominis, duplex esse habere, materiale in re et immateriale in mente » (3). Atque exinde infert quosdam ex graecis philosophis in materialismum ideo offendisse, quia nesciverunt distinguere inter actum et potentiam, cum res in potentia sit semper immaterialis (idealis) atque in mentem immaterialem recepta: res autem in actu materialis sit, et organo corporali commu-

(1) Adeo verum est idealitatem rei ab eius realitate distingui, ut etiam cum de Deo loquimur, cuius idealitas vel intelligibilitas eius realitati perfecte identificatur, atque unum simplicissimum sunt, distinctis tamen ideis et verbis cogamur eas seorsim concipere et affirmare; eo quod mediis caremus quibus eiusmodi intelligibilitatis vel essentiae in realitate perfecta insessio exprimatur, cum in creatis nullum huiusce insessionis exemplum appareat. Hinc theologi docent posse quidem dici — Deum utpote subsistentiam alium deum vel aliam subsistentiam generare — non autem — deitatem vel essentiam aliam progignere deitatem aut essentiam — S. Thom. S. I. XXXIX, V. In logica, ubi de criterio veritatis, copiose demonstrabitur, quomodo ex vocabulo reale excepto ad existentiam universalium contra nominalistas vindicandam, realismus suum duxerit initium.

(2) S. I, III, IV.

(3) In lib. II, de anim. lect. XII — S. I, LXXV, 1, ad 2.

nicet. Eodem igitur modo idealitas distinguitur a realitate, quo potentia ab actu; quibus nil clarius optari potest.

Corollarium secundum — Natura intellectus humani.

205.° Intellectus est *facultas idearum:* porro ideae non sunt nisi universales ac necessariae rerum essentiae, aut possibilitates, aut res possibiles, et in potentia. Ergo intellectus humanus cum sine sensuum concursu, sed directa mentis acie intuetur et speculatur optime dicitur = facultas possibilium, essentiarum, intelligibilium, universalium, indivisibilium =, quae idem audiunt; sicque a sensu singularibus haerente distinguitur. Ad rem Boaetius « universale est dum intelligitur, singulare dum sentitur » (1). « Intelligentia, inquit s. Thomas, est indivisibilium: et scientia de rebus singularibus non habetur, nisi in quantum sciuntur universalia » (2). « Omnis scientia, prosequitur Scotus, est de universali, quod est unum in multis, quia de singularibus non est scientia » (3). Anne igitur singularia impervia sunt? Respondet s. Thomas singularia non cognosci non quia singularia, sed quatenus materialia seu realia. Realitati enim creatae deest intelligibilitas intrinseca, eique est mente applicanda, qua semel applicita, universalizzatur (4).

Corollarium tertium — Lumina intelligibilia.

206.° Ideae autem cum ab realibus discernantur, atque menti ceu media cognoscendi perhibeantur, quibus in sensibilium cognitione utitur, elucet ideas totidem esse mentis lumina intelligibilia, atque eorum primum, idest ideam entis, lumen universale, atque incircumscriptum esse, aut splendorem veritatis, quem tantopere ac veluti certatim ss. Patres extollunt, qui cum de ideis loquuntur lumina semper appellant, et maxime ideam entis, quae etiam vulgo dicitur — *lumen rationis* —.

(1) Super Porphir. Prooem.

(2) De anim. III. — S. I, LXXXV, III. — Aristot. De anim. III. — metaph. lib. III.

(3) Com. metaph. Arist. L. III. c. I.

(4) S. I, LXXXVI, I. Cum autem obiectum intellectus universale sit, colligitur intellectum universalibus solum perfici, ideoque cognitionem singularium neque scientiam, neque perfectionem intellectui adducere. Revera, quid perfectionis intellectui adderetur, si v. g. lapidem quemdam singularem perciperem, cum iam ideam lapidis haberem? Numquid minuitur aut crescit idea lapidis, si lapidem denuo percipiam? Conf. S. Thom. S. III, XI, 1 ad 3. ubi hoc declarat.

CAPUT SECUNDUM

DE PHILOSOPHORUM OPINAMENTIS IN IDEARUM NATURAM

ARTICULUS PRIMUS

DOCTRINA IDEOLOGICA PHILOSOPHIAE ITALO-GRAECAE

207.° Antiqnissima de idearum natura controversia penes celebres philosophos semper increvit, quibus quantae ideae sint philosophicae necessitatis omnibus ferme quaestionibus dirimendis, constabat, atque quo peius deinceps philosophabatur, eo despectior ac inutilior ideae tractatio visa est, ac interdum, tempore scilicet philosophiae inopiae et imperitiae, ut nunc est, plane, utpote superflua aut noxia, eliminatur. Qui ideas aspernati sunt sensistae, sive *philosophi plebei*, et qui eas magni fecerunt, maiores philosophi, teste Tullio, dicebantur (1).

Qui hisce in diatribis prae aliis sive qua doctrina, sive qua mentis perspicacia excelluerunt, philosophi italici memorantur, philosophi maiores ideo a Cicerone nuncupati, qui vestigiis Pythagorae ac Platonis gradientes, elementum vere divinum mentibus humanis infusum comperierunt, atque omnium fere primi plenam idearum obiectivitatem, immutabilitatem, simplicitatem, aeternitatem etc. evulgaverunt. Utinam illi sese hic continuissent. Ast tam Pythagoras, quam Plato, et etiam forsan Parmenides, de quibus disputatur, tanto in ideas amore inflagrarunt, ut Scholae, italica, (platonica postmodum), eleatica, et etiam snb Anaxagora ionica, fines veritatis transilirent, atque nedum ohiectivitatem, verum etiam suhsistentiam ac realitatem ideis concederent, putantes eas totidem Deos esse distinctos, minores tamen, et ordinis inferioris, qui suh aliquo Deo supremo submitterentur, qui ideo uti Verbum ceu Deorum congeries habehatur, valde equidem dissimile ah Verho catholicae Fidei, in quod potius Ariani placitis platonicorum utentes, pugnarunt (2).

(1) Si qui ideas, vel ordinem idealem olim repudiabant, merito philosophi *plebei* appellabantur, quo nomine nuncupandi sunt quidam nuperrimi, qui theoriam entis idealis arroganter et quasi per iocum vocare ausi sunt — la faccenda dell' ente ideale —: quae ignorant blasphemant.

(2) Sunt qui Pythagorae idearum deificationem abiudicant, ut Moshemius, et Gerdil; Proclus eam Parmenidi tribuit, plerique autem hystoricorum, Platoni. Ast certum est hanc idearum deificationem remotissimi temporis esse, atque in omnibus fere orientis regionibus obtinuisse, ut articulum supersti-

208.° Hanc theoriam ideologicam multoties plures variis aetatibus instaurarunt, ex quibus praecipue Malebranche, Marsilius Ficinus, Thomassini, Vicclefus, Schelling, Hegel, Cousin, Gioberti ac giobertiani, qui licet Dei unitatem profiteantur, atque ideas Deo unico referant, propugnant tamen rerum atque idearum identificationem, neque ullibi, quam in Deo ideas directo mentis intuitu conspici, idcirco etiam respectu nostri ut subsistentes ac reales apparere. Ideae enim quatenus in Deo sunt a Dei essentia realissima non dividuntur.

209.° Quo penitius doctrina italica intelligatur, optimum erit duo elementa distinguere, alterum traditionale, rationale vel philosophicum alterum, in quorum postremo tantum theoria ideologica consistit.

210.° Atque in primis ad rationale seu philosophicum quod attinet, traditum est scholam italicam iam inde a Pythagora capitalem docuisse distinctionem ordinis idealis ab ordine reali. Ideas enim saepe intelligibilia vel exemplaria, saepius etiam res immutabiles, ac essentias vel entia proprie dicta, vel identidem numeros vocabat (1). Realia autem sensibilia, non-entia, vel phaenomena (2), atque hinc de ideis veram scientiam, de realibus opinionem tantum haberi docebat. Ideae autem exemplaria dictae sunt, quia iis mens tamquam regulis et exemplaribus utitur ad sensibilia cognoscenda: essentiae, quia id continent, quod rei naturam, vel speciem constituit, quo factum est ut dicerent: — simile nonnisi a simile cognosci —; numeri, quia omnibus individuis eiusdem classis distincte et quot sunt, vel esse possunt, singillatim cognoscendis, inserviunt. Quoniam autem ini-

tionis, cui devovebantur, atque illinc, etiam latinis irrepsisse, qui, ut refert Vico, ideas consueverunt — *Deos immortales* — nuncupare. — Dell'antic. sapienz. C. IV —. Occurrunt equidem in Platone quaedam sententiae, quibus, ut notat s. Cyrillus Alexandrinus (Lib. II. contr. Iul.) videtur ipse ideas uni Deo ceu eius aeternas notiones retulisse, sicque posse quadantenus polytheismo excusari. Verum hae obscurae et valde paucae sunt, eaeque fortasse, ut suspicatur Petavius, ab eius discipulis post Christi adventum, ut magistri errores tegerent, operibus suis insertae.

(1) Arist. metaph. I. Lect. X. —. Errat tamen Aristoteles (metaph. I.) cum refert Pythagoram ideas realibus miscuisse, easque nonnisi postea Socratis dialectica primo distinctas esse, cum Plutarchus aperte tradat distinctionem ideae a rebus Socrate antiquiorem esse, et pythagoricorum. Contr. Colot. — Iambl. in protrept. ad symbol. 21. — Sextus Emp. adversus mathem. VII. — Ipse potius Aristoteles rebus ideas adnexuit, cum saepe dixerit — universalia in rebus esse — atque inde originem praebuerit sensistis, qui — ideas a rebus perceptis quadam fere mentis abstractione abradi — inscitissime censent.

(2) Plutarc. de placit. I. III, Nicom. in arithm., Boaetius Lib. I. arithm. — Cic. lib. I. acad.

tium numerorum unitas est, hinc Pythagoras, qui in invehenda numerorum theoria, fortasse ex Aegyptiis, quos sese erudiendi causa inviserat, hausta, ab unitate exorsus est, eamque tamquam primum philosophicum statuit. Atque tantam excellentiam in numero, invenire sibi visus est, ut numerus passim, teste Sexto Empirico, appellaretur. « Dell' eterna natura radice e schiusa fonte, al numero somiglian tutte cose » (1). Ex quibus constat ideas numeris expressas iuxta italicos nedum a realibus distingui, sed divinae esse originis, atque nobis lumina esse et exemplaria intelligendorum.

Haec est pars philosophica vel rationalis scholae italicae, atque etiam eleaticae, et ionicae. Eleatica iam sub ipso Xenophane, postea vero sub Parmenide et Melisso (2) in multis, ac potissimum in theoria ideologica italicae assentiit. Quod et ionica per Anaxagoram et Empedoclem praestitit. Etenim *unum* Xenophanis, quod omnia simul complectitur, aeternum, immutabile, atque a rebus corruptibilibus diversum (3); itemque *intelligibile* Parmenidis in forma unius et entis consistens, aliud tamen non sunt, quam idea, quae essentiam rei sensibilis unicam ac simplicissimam, eternam ac universalem continet, quo fit ut sensibilia in idea veluti in uno, seu in simplici, vel in ente, idest in immutabili conspiciantur (4). Dicebat enim ipse Parmenides (5) aliud ideas, aliud res esse, quia unica idea rebus plurimis cognoscendis sufficit, idque etiam de *mente* Anaxagorae, et de *similitudinibus* ab Empedocle excogitatis (6) dicatur, cum iis nil aliud sit intelligendum quam idea, quae, ut diximus, haud cum materia miscetur, atque vera est sui obiecti ratio (7), et similitudo, scilicet res in potentia, vel rei intelligibilitas (8).

211.° Una ergo tradebatur doctrina in scholis italo-graecis de idearum natura, quibus unanimiter cultiores intelligibilitatem, unitatem, simplicitatem, immutabilitatem, atque originem divinam, ac ab reali-

(1) Sextus, advers. mathem. VI.

(2) Arist. phys. I. — de coelo III, Sext. hypot., — adv. mathem. X, Cic. Acc. quaest. II.

(3) Sextus, hypoth. I.

(4) Plut. contr. Calot.

(5) Tert. de anim. — Plutarc. in Pericl. — Sext. adv. mathem. VII.

(6) Sext. adv. Log. VII.

(7) Saepe etiam apud Platon. Aristot. idea mens aut ratio dicitur, ut refert Plotin. Quoad Aristotelem ipse anceps videtur, saepius tamen aeternitatem idearum nominat (ethic. III, metaph. VII, cap. VIII — XIV): id patet etiam ex s. Thoma eius assecla, qui platonicam idearum deificationem, non obiectivitatem reiicit.

(8) Ideas iure equidem similitudinem vel exemplar rerum dici posse ex logica copiosius constabit.

bus distinctionem impertiebautur (1). Ast unus idemque error etiam iis contigit, cum religionem, cui mancipabantur, consulerent. Illi enim, erronea vulgi opinione de idearum deificatione capti, etiam in hunc perabsurdum inciderunt errorem, quem ut suis gratificarentur, sicque facilius ipsis philosophemata effunderent, sibi vindicarunt. Error igitur elemento traditionali et fabuloso obrepsit, qui etiam auctoritate ecclesiasticae traditionis depellendus est. Hoc enim modo Patres fuere platonismum adorti, qui traditiones platonicas sententiis scripturae expunxere; quod autem erat in parte philosophica corrigendum, ratione castigarunt; quod vero accipiendum, firmis ratiociniis perfecerunt, uti mox videbitur.

ARTICULUS SECUNDUS

THEORIA IDEOLOGICA SS. ECCLESIAE PATRUM

212.° Christiana religio duplex praecipue, utrumque saevissimum bellum perpessa est: unum gladiorum, alterum sophismatum: primum regum ferocia, secundum philosophorum ethnicorum cavillatione commissum. Fidei hostes fuerunt inter alios Gnostici, Ariani, et qui platonismum prosequebantur. Multa enim iam pridem Plato docuerat de idearum natura, et consequenter quaedam etiam, etsi imperfecta et erronea, de Verbo divino, quo ideae reciperentur, adeo ut ipse haud veritus fuerit lumen rationis Filium Boni (Dei) appellare. Quod licet divino mentis acumine Platonem commendet, quippe qui adeo caeteris altius, sola ducente ratione, sese in Deum erexerit, non est hoc tamen rectum neque verum undequaque. Quare ss. Patres in explodendis philosophorum argutiis contra Fidei mysteria, ipsum petierunt fontem, unde illi illapsi sunt, traditionem videlicet sacram, ac quaedam utpote recta et optime dicta tenuerunt, quaedam vero uti superstitiosa ac hypothetica reiiecerunt. Ex Patribus facile princeps occurrit s. Augustinus (2), quem s. Thomas, et s. Bonaventura, alii-

(1) Cicer. lib. 1. vel quaest. 2. acad. Plat. in phil. phaed. theae. in cratyl. etc.

(2) Lib. I. C. VIII retract. ait « anima natura intelligibilis est, et connectitur non solum intelligibilibus, sed et immutabilibus rebus ». Item Conf. XII, XXV vocat ideas « veritates incommutabiles, in quibus videmus », et De civit. Dei XI, V laudat platonicos ut veritati propinquiores caeteris. De ver. relig. C. XXXIV — VI. dicit « quod lux increata est ratio cognoscendi et lux sola increata est veritas ». Lib. de lib. arb. et de doctr. Christ. docet veritatem esse mente nobiliorem —. Ita Augustinum erga platonicos se gessisse testatur s. Thomas, qui in explananda materia cognitionis, peripateti-

que secuti sunt, qui doctrinis traditionalibus de idearum subsistentia, animarum praeexistentia, ac etiam quibusdam de idearum natura explosis, amplexi sunt idearum obiectivitatem, immutabilitatem, intelligibilitatem; paucis, mundum vel ordinem intelligibilem ideis confectum, ab omni realium commixtione alienum, mente excellentiorem, atque divinae originis, quem ideo in Deum refundebant, ceu in proprium subiectum.

213.° Augustino consentiunt s. Iustinus martyr, Clemens Alexandrinus, et Eusebius Caesareensis, qui dubitant num Plato suam adeo sublimem doctrinam ideologicam e Sacris Literis excerpserit. Boaetius, qui mundum intelligibilem qua rerum vel cognoscendarum, vel faciendarum exemplar elegantibus verbis cecinit. Quoad scholasticos maioris nominis conferendus est Angelicus, qui feliciori Scholasticae aetate floruit, eiusque sententias collegit. Porro ipse de ideis vel speciebus intelligibilibus loquendo ait « dicendum quod species intelligibiles (ideae) quas participat intellectus noster, reducantur sicut in primam causam in aliquod principium per suam essentiam intelligibile (in Deum). Sed ab illo principio procedunt mediantibus formis rerum sensibilium et materialium (occasione sensationis) a quibus scientiam (materiam scientiae) colligimus » (1). Ex hoc igitur textu patet luculentissime: 1.° existentia obiectiva et divina idearum: 2.° earum ab sensibilibus discrimen: 3.° earum ab aliqua causa suprema, idest a Deo, participatio. Id clarius etiam evincitur ex articulo quinto eiusdem quaestionis, ubi dicit, s. Augustinum reiiecisse « subsistentiam platonicam idearum et loco idearum subsistentiae posuisse rationes omnium creaturarum in mente divina existentes, secundum quas omnia formantur, et anima humana etiam cognoscit » (2). Consentiunt igitur Patres in divina ideae origine atque natura, quamquam non omnia, quae Dei sunt, ideis tribuant, v. g. vitam, personalitatem, potentiam, aliaque id genus infinita, quae realitatem et moralitatem entis afficiunt, sed obiectivitatem, aeternitatem, immu-

cus, in forma autem cognitionis, platonicus est; eodem modo se habet s. Bonaventura in operibus philosophicis et theologicis: ut vel raptim legenti continuo patet.

(1) S. 1, LXXXIV, IV. ad I. — S. 1. XV, II. dicit « similitudinem specierum intelligibilium esse in mente divina » S. 1, CV, II. — S. 1, LXXXIV, V. — q. de spirit. creat. art. X. et alibi passim constanter demonstrat « species intelligibiles a Deo esse, atque una cum quodam lumine divino virtualiter infusas ».

(2) S. August. Lib. 83. qq. Nihilominus etiam hodiedum inveniuntur, qui existentiam ordinis idealis vel intelligibilis perfracte ac temere pessumdant. Ast, quid talpam unum umquam desideravisse lumen putas?

tabilitatem, necessitatem, ac caetera, quae in veritate logica, abstracta et ideali continentur, quibus dotibus ss. Patres nedum ab realibus finitis ideas secernebant, verum etiam a Deo, licet non eodem modo, cum prior distinctio realis, posterior mentalis sit.

214.° Absit ergo ut Patres platonismum plane reiiecerint, ut potius ipsum castigaverint, cuius emendationis capita sunt: 1.° ideas obiectivas, immutabiles atque aeternas quidem esse, non tamen in se subsisteutes, sed omnes tandem in Deum confluere, ipsique inesse ceu totidem perfectas eius aeternas notiones, vel immutabilia rerum exemplaria: 2.° unificationem omnium idearum in Deo a Verbo divino haud distingui, neque ideas in se invicem, sed in unicam ideam Verbo identicam resolvi. Hoc pacto polytheismus platonicus dispellebatur. 3.° quoniam Verbum ab essentia divina realiter minime dividitur, hinc ideam unicam omnibus confectam divinae essentiae ceu primo intelligibili insidere (1). 4.° ideam demum huiusmodi, Verbo Dei contentam, « actum esse simplicissimum atque aeternum, quo Deus, ait s. Anselmus, dicit seipsum et quaecumque fecit » (2). 5.° ideas humanas proinde tot esse divinarum participationes imperfectissimas. 6.° haec omnia adeo sublimia, fide potius, quam ratione comperiisse, quia existentia idearum in mente divina est magis fidei obiectum; infidelis est qui negat ideam in mente divina (3).

215.° Mirandum sane est, quod Ficinus, Thomassini, Malebranche, Gerdil, Schelling, Hegel, Gioberti, aliique praedictas platonismi emendationes in Patribus nacti minime fuerint, cum eorum quidam ideas subsistentes, vel subsistentiam divinam, in qua ideae, inquit Dionysius Areopagita, *substantificantur,* nos naturali quodam et primitivo intuitu apprehendere docuerint. Novimus equidem ideas tandem in Deum refundi, eoque absorberi, non quasi id intueamur, sed potius quia *ratiocinando* deducimus, quin, quomodo unificentur, atque, ut sic loquar, divina absorbeantur essentia, cognoscamus.

ARTICULUS TERTIUS

DE FORMA SEU SPECIE INTELLIGIBILI SCHOLASTICORUM

216.° Ut quanti Ecclesiae Doctores fecerint scientiam ideologicam, clarius etiam innotescat, itemque quanto firmiter ipsis nos haerea-

(1) S. Thom. S. I, XVI ad 3.

(2) Monolog. C. XXXII.

(3) S. Aug. L. LXXXIII, qq. XLVI — S. Thom. De verit. q. III. art. I. —. Ideas Verbo divino contineri insinuat s. Hilarius his verbis: « aeternitas in Patre, species (idea) in Imagine (Verbo), usus in Munere ». Iam pariter vidimus, quomodo philosophi ex idearum natura mentem divinam iutulerint.

mus, praestat sensum adeo solemnis formae vel ***speciei intelligibilis*** Scholasticorum perquirere, in qua theoria nostra ideologica tota seminaliter includitur. Qua in re est nobis Angelicus adeundus, qui doctrinam scholasticam subtiliter explanavit, docuit, atque perpolivit.

217.° Iam vero, Angelicus duplex elementum cognitionis statuit, materiale, et formale: illud speciem sensibilem, istud formam, vel speciem intelligibilem vocat. Species sensibilis ipsam non excedit animalitatem, cuius affectio vel motus est. Species contra intelligibilis menti patescit, cui tum affulget, cum intellectus agens (ratio) convertitur super phantasmata, vel species sensibiles, iisque suum applicat lumen, ex qua conversione, inquit s. Thomas, « resultat quaedam similitudo in intellectu possibili (in intellectu proprie dicto), quae est repraesentatio eorum, quorum sunt phantasmata solum quoad naturam speciei, (en ideae universalitas) et per hoc dicitur abstrahere species intelligibiles a phantasmatibus ». Eiusmodi autem speciebus, ut eas magis a sensibilibus secernat, attribuit eodem loco universalitatem, vel intentionem universalitatis. « Considerare, ait, rem aliquam sine principiis individualibus, quae sunt de ratione speciei, est abstrahere universale a particulari, seu speciem intelligibilem a phantasmatibus » (1). Alibi species intelligibiles vocat — species rerum — (2). Porro species non est nisi idea universalis, quam in singulis individuis eiusdem naturae percipiendis adhibemus. Ergo species intelligibilis Scholasticorum aliud non est, quam idea supra definita, qua res individuae percipiuntur.

218.° Id clarius etiam patet ex media via, quam Angelicus inivit inter Democritum, qui ideas a sensibus deducebat, et Platonem, qui eas subsistentes effecerat. Quapropter ipse ostendit species intelligibiles equidem reduci sicut in primam causam in aliquod principium per essentiam intelligibile, quae tamen in eo haud videntur; ast nobis, ut diximus, sub aliquo lumine increato virtualiter solum communicari, atque in ipso distincte videri mediantibus formis, vel speciebus sensibilibus, quae mentem excitant ad ea distincte in hoc lumine videnda, quae ibi indistincte prius implicabantur (3). Lumen autem huiusmodi vocat lumen veritatis, vel veritatem primam (4); sic, quatenus in ipso res videntur, dicuntur in rationibus aeternis videri (5). Demum ut magis quoque modum ostendat, quo lumen

(1) S. I, LXXXV, I.
(2) Contr. Gent. III, XLIX.
(3) S. I, LXXXIV, IV.
(4) In prima parte Summae, et alibi passim. S. Bonav. Itin. C. III. — In II Sent. distinct. XXIV, p. II, art. I. q. I.
(5) S. I, LXXXIV, V.

intellectus sensibilibus applicetur, atque species intelligibiles nobis emergant, affert sententiam Aristotelis (1), qui docuit phantasmata ad lumen intellectus comparari sicuti colores ad lucem; species autem intelligibiles se ad mentem habere, ut colores ad oculos. Nam quemadmodum colores a luce materiali producuntur, sic phantasmata lumine intellectus illustrantur, iisque sic illustratis se prodit in mente species intelligibilis. Atque ideo lumen intellectus dictum est ab ipso Aristotele — species specierum —. Non ergo species intelligibiles a sensibus ipse haurit, imo, docet ab intellectu eas sensibus applicari, quatenus, sensatione superveniente intellectus in lumine, vel in specie specierum ens externum cognoscit, et percipit.

219.° Colligendo ergo dicimus: 1.° Species intelligibiles Scholasticorum ipsas esse rerum ideas, atque idearum dotibus, puta, immutabilitate obiectivitate etc. instructas (2). 2.° Eas nobis a Deo derivari in quodam lumine intelligibili, quod occasione sensationum in varias et distinctas ideas veluti dispescitur, cum ideae tot sint intellectuales rerum visiones hoc in lumine factae. 3.° Phantasmata illustrata Scholasticorum esse perceptiones intellectivas, quibus forma vel species intelligibilis sensationi copulatur, vel *realia percepta*. 4.° Abstractionem specierum nihil universalitatis ex sensationibus haurire, at potius intentionem universalitatis ipsis addere. 5.° Quocirca abstractionem eiusmodi eam non esse mentis operationem, quae res cognitas dividat ac solvat in sua elementa, seu quae agat, inquit s. Thomas, per modum ***compositionis*** vel ***divisionis***, idest abstractionem proprie dictam; sed improprie solum, atque puram universalizzationem, quae, rebus sensu singulariter perceptis, universalitatem adiungit, eamque verius dici abstractionem simplicitatis, qua, dimissa rei subsistentia, essentia specifica tantum apprehenditur (3). Id enim insinuat s. Thomas, qui alibi docet abstractionem eiusmodi idem esse ac intellectionem, vel universalizzationem, vel illustrationem intellectualem rei perceptae: « hoc ipsum, ait, quod est intelligi, vel abstrahi, vel intentio universalitatis, est in intellectu » (4): ergo intelligere, abstrahere, et universalizzare, iuxta s. Thomam, idem sunt. 6.° Pessime propterea hanc abstractionem Vincentius de-Gratia interpretatum fuisse qui sic abstractionem accepit, ac si ipsa aliquid a sensibilibus avellat, atque in mentem transmittat (5). 7.° Scholasticos

(1) S. I, LIV, IV.
(2) S. I, XV, II.
(3) S. I, LXXXV, I. II.
(4) S. I, LXXXV, II — ergo non in sensu, aut ex sensu.
(5) Prospetto della filosof. Nihil enim adversus s. Thomam sordidius dici potest, quod in hoc opere faetido sensismo infecto non reperiatur. Summis

peripateticismo quidem deditos fuisse: at neque Platonem respuisse; sed ex Peripateticis *materiam*, ex Platonicis *formam obiectivam* cognitionis, vel *ideam*, Patrum exemplo, sumpsisse.

ARTICULUS QUARTUS

IDEOLOGISMUS

220.° Quamquam hactenus disputata iam luculentissima cernuntur, ac cuique, si noctua non esset, propatula; sunt tamen, qui ea vel recusant, velque aspernuntur, minime veriti ideologiam per summum contemptum, ideologismum nuncupare. Videndum est igitur quomodo in veritatem sint et ipsi reducendi.

221.° Iamdudum (1), et quidem potissimum aetate d'Alembert, quaerebatur, quomodo mens posset extra se evehi, atque res externas percipere; quinam scilicet esset *pons communicationis*, quo ipsa se ad extra traiiceret? Quidam (2) ut hoc solverent problema, animae ideas intulerunt, ceu rerum externarum *similitudines*, *imagines* etc. quibus ipsa rebus cognoscendis uteretur, quin ipsi necesse foret foras erumpere. His alii (3) se opposuerunt, tamquam idealismo suspectis, atque ideas eiusmodi uti supervacaneis animam exuerunt, tria tantum cognitionis elementa propugnantes: 1.° spiritum cognoscentem; 2.° actum ipsius; 3.° rem cognitam. Quare isti animum per se absque lumine divino intelligentem, atque res externas intelligibiles esse, voluerunt. Porro, quia nimis operosum erat, ideas, quas sensus communis admittit, atque experientia confirmat, evertere, ideo quidam alii (4) cordatiores huic systemati mederc tentarunt, ideas dividendo

tamen laudibus ipsum quaedam ephemeris extulit! Nescirem profecto an illius ignorantia, vel istius impudentia et inscitia magis praevaluerint. S. Thomam alia prorsus ratione Cardinalis Caietanus commentatus est, qui rotundis verbi dicit « abstractionem animadvertere tantum naturam rei repraesentativam, seu ideam » in S. IV, LXXXV, 1.

(1) Cicer. in Lucull. — de nat. deo. 1, 5 — Sext. Emp. adv. discipl. c. de criter.

(2) Fortunat. a brixia, Bouvier aliique lutulento sensismo infecti.

(3) Arnald. Reid, Stewart.

(4) Galluppi, Degerand. — fortasse qui ideas ceu inutiles respuebant in eam inciderunt sententiam, quia usu saepe venerat apud philosophos, ut ideae dicerentur — media rerum cognitionis —. Perinde ac sola idearum intuitione, possit quisquis realia iam in ipsis conspicere. At, Ideae medium quidem sunt cognitionis rerum, imperfectum tamen et formale, cui elementum empiricum adiungendum est, secus nihil realis in ideis umquam videretur. Id si sedulo observassent profecto ideas non expunxissent, ea de ratione solummodo,

in *obiectivas*, quae rei subsistentiam involvunt, et *subiectivas*, quae puram non excedunt rei intelligibilitatem ac possibilitatem. Prioris generis sunt ideae sensibilinm, posterioris ideae abstractae, genericae etc. Hac distinctione lis eis composita videbatur. Ast iam sat evictum est, ideas subsistentiam rei minime praeseferre, neque nos solis ideis ductos posse hic et nunc obiecta realia percipere. Pone enim, si lubet, me nunc in mentem revocare ideam arboris, aderit ne mihi eo ipso arbor realis? Haud profecto. Deinde ideae subiectivae, seu quae modi sunt et affectiones animi, repugnant, quia idea per suam essentiam obiectiva est, ac spiritui eam intuenti adversa.

Dicendum ergo magis videtur, quod, rectius loquendo, idea non sit neque similitudo, neque imago vel repraesentatio aut signum rei, quia similitudo, imago etc. a re, quam repraesentant, numero et essentia differunt, sic ut aliud sit imago Petri, aliud Petrus ipse; contra idea Petri est ipse Petrus individuus numero et essentia idem, in statu tamen ideali sive in potentia. Quapropter idea est actus primus, vel essentia rei magis quam eius imago. Quod et s. Thomas, atque Doctor Seraphicus adnotarunt, qui cum cognitionem per similitudinem fieri quoque tueantur, duplicem tamen existendi modum iisdem rebus attribuunt, idealem et realem (1).

Corollarium — solutio problematis de ponte comunicationis, inter animam et mundum externum

222.° Hinc iam profluit problematis de *ponte comunicationis* solutio: nam vel loquimur de puris mentalibus conceptionibus, vel de sensibilium perceptionibus intellectivis. Primo casu, pons comunicationis est ideae obiectivitas, qua animus in rem conceptam, tamquam sibi extraneam ac adversam provehitur. In secundo casu, pons comunicationis consistit in perceptione sensitiva, vel in elemento extra-subiectivo sensationis, cum enim sentimus aliquid, patimur seu experimur eius actionem. Porro si sensatio uti passiva animadvertitur, medium praebet intellectui eius causam extrinsecam inferendi, in quam intellectus dicitur transire, cum eam in idea obiectiva entis, vel in lumine rationis concipit. Quare sensationes ut ut subiectivae ac per se ineptae ad rerum obiectivitatem attingendam, occasionem tamen praebent intellectui in entis obiectivitatem iam exporrecto, ad res externas ut in seipsis sunt, cognoscendas, quia in idea entis virtuali-

quod eum realitatem non exhibeant in seipsis, ergo ut inutiles excutiendae sunt. Fortior est conclusio quam praemissae.

(1) S. Thom. S. I, LXXXV, V. — Contr. Gent. III. XII. — S. Bonav. in I. sent. dist. III. p. I. art. I. q. I.

ter iam res externae includuntur. Solus ergo intellectus est facultas essentialiter obiectiva, atque problema — de communicationis ponte — prorsus solvit.

SECTIO SECUNDA

DE IDEARUM CHARACTERIBUS

CAPUT TERTIUM

DE DIVINA IDEARUM NATURA (1)

223.° Ideas alterius et quidem sublimioris naturae esse ac sint sensationes et sensibilia, multis iam sparsim hactenus probavimus, atque etiam excerptis ex ss. Patribus praesertim et philosophis doctioribus, qui naturam plane divinam idearum praedicarunt, utpote quae a lumine veritatis aeternae mentibus relucentis, ceu eius scintillationes emergunt. Modo nobis est ex-professo adlaborandum, ut earum divinitas maxima qua fieri potest evidentia eniteat; idque obtinebitur, dummodo earum primarii characteres perpendantur. Quorum maximi sunt: 1.° obiectivitas; 2.° possibilitas, seu intelligibilitas; 3.° simplicitas; 4.° unitas, ac identitas; 5.° universalitas et infinitas; 6.° necessitas, immutabilitas, aeternitas. Haec totidem sunt attributa logica idearum, et maxime ideae entis caeterarum matris ac principis, minime cum attributis metaphysicis aeternitatis, immutabilitatis etc. ipsius divinitatis, confundenda, licet ratiocinio constet eiusmodi logica attributa tandem, in eorum nempe principio, in attributa metaphisica resolvi, iisque unificari.

ARTICULUS PRIMUS

DE OBIECTIVITATE IDEAE

224.° Obiectivitas ea est ideae proprietas, qua ipsa ab quavis animi facultate et ab ipso subiecto cognoscente abscinditur, neque in aliquo alio subiecto, sed in se tantum, ac prout menti directe et immediate exhibetur, concipitur. Enimvero ideam polygonī, exempli

(1) Licet ex toto operis contextu evidenter constet, quo sensu ideae vocantur divinae, idest in ordine logico (ideali) non autem in ordine metaphysico (substantiali) uti neoplatonici effutiunt; semel pro semper monemus eas divinas vel divinae esse naturae, non quasi Deus ipse sint, sed quaedam luminis aeterni participationes.

gratia, non utique in me, neque in te, vel aliquo spatio aut tempore inclusam, ast secundum quod est in se, atque ex adverso veluti mihi perhibetur, conspicio. Id si rite philosophi animadvertissent, in sensismum et subiectivismum haud incidissent, aeque ac si idea modus sit aut affectio animae; si enim ita idea se haberet, nobis deficeret omnino medium res in quantum in se sunt cognoscendi, ideoque ut totidem phaenomena, mentisque hallucinationes ipsae aestimarentur, sicque via in scepticismum sterneretur amplissima. Recolantur alibi dicta de mentis obiecto, ac de lege ontologica synthesismi intellectivi, qua vere mirabilis obiectivitas cognitionis solide fuit ostensa. Idipsum docet etiam s. August.

ARTICULUS SECUNDUS

DE POSSIBILITATE, ET INTELLIGIBILITATE IDEAE

225.° Rei cuiusque possibilitas, ipsa est res in potentia, idest prout mente solum concipitur, quin sciatur an actu subsistat. Porro qui rei tantum ideam intuetur, nescit adhuc an res subsistat, neque ut subsistentem solius ideae ope eam percipit; id unum novit nimirum — rem posse existere —; ergo idea simplicem rei possibilitatem ostendit. Re quidem vera; fac te modo ideam lilii contemplari, putasne hac mentali lilii contemplatione lilium aliquod subsistens percipere? Nonne potius ab omnibus individuis liliis praescindis? Quin, nonne fieri poterit, ut in actu contemplationis, cuncta lilia destructa fuerint, vel saltem annihilata supponi? Tamen quid inde ideae lilii? Numquid immutatur? Nequaquam. Ipsa enim solum refert lilia posse subsistere, quia, quod non repugnat cogitationi, neque repugnabit legibus realitatis, cum idea iam ipsa sit res in actu primo suae existentiae. Quare quod nequit subsistere id est, cuius cognitio repugnat. Hinc dicitur quod possibilitas logica, vel idea, sit radix et fundamentum possibilitatis metaphysicae, vel subsistentiae. Quia idea rei est primus actus eiusdem, quem sane actus secundus, idest realitas, consequi poterit (1).

Qua in re duo adnotanda sunt: 1.° possibilitatem ad subsistentiam potius, quam ad ideam rei spectare, idest, rem tum possibilem vocari, cum etsi in mente iam existat, nondum tamen extrinsecus sub-

(1) Quare optime intellectus definiretur = facultas possibilium; sensus autem facultas realium =. Realitas ideis adscripta interdum emolliendа aliquantum est, atque eo sensu usurpanda, quod ideae non sunt nihil, sed aliquid suo modo etiam existens, ut alibi dictum est contra ontologos materialistas, qui ideas ut sensibilia existere opinantur.

sistit; ideoque possibilitatem aliud non esse, quam relationem ideae cum externa realizzatione factura.

Possibilitas igitur non cadit in ideam, sed in *realizzationem* (1). 2.° Possibilitatem non esse aliquid positivum ideae inhaerens, sed meram repugnantiae carentiam, ideoque proprietatem negativam. Dicitur enim aliquod possibile, cui ratio necessario non adversetur: impossibile contra, positivum aliquid est, quia impossibile illud est quod necessario alicui rationi repugnat. Ergo adest ratio positiva repugnantiae generatim, quippe omne dicitur possibile quod aliqua ratione cognosci et fieri non impeditur; impossibile quod impeditur; ergo in possibilitate deest; in impossibilitate autem adest ratio adversa. Communi tamen loquendi modo ob linguae defectum, possibilitas verbis positivis, impossibilitas verbis negativis exprimitur.

226.° Dices: si idea puram rei possibilitatem commonstrat; ergo et idea Dei, Deum dumtaxat possibilem ostendit. En atheismus.

Resp. Duplex, diximus, est possibilitas, logica et metaphysica. Iam age in idea Dei concipitur quidem possibilitas logica divinitatis quia existentia Dei cognitioni non contradicit, et reapse cognoscitur. Deest vero possibilitas metaphysica, quia in idea Dei quamquam non habeatur subsistentia, vel realitas divina, apprehenditur nihilominus necessitas divinae subsistentiae actualis, eiusque realitatis. In qualibet enim idea continetur *essentia* rei; ergo et in idea Dei debet eius essentia utcumque contineri ac cognosci. Porro ad Dei essentiam spectat necessario eius subsistentia; Deus quippe mere possibilis repugnat. Quapropter qui ideam Dei coutuetur non solum cognoscit possibilitatem quod Deus *sit*, sed necessitatem, quod actu et essentialiter subsistat: paucis nedum possibilitatem, verum et realitatem ipsius. Quemadmodum qui ideam circuli intuetur, non diceret — circulum posse sphaericitatem suscipere, quin potius, essentialiter sphaericum esse —.

Quoad intelligibilitatem nullum dubium est. Noverunt enim omnes sensibilia in ideis intelligi ac illuminari, ideas autem in seipsis intueri, vel sibi ipsis lucem ac intelligibilitatem esse. Profecto ad cognoscendum arborem realem opus est idea arboris; ad ideam autem arboris intelligendam sufficit, ut ipsa menti exhibeatur, neque aliud amplius requiritur. Ideo merito intellectus etiam vocatur — potentia intelligibilium —.

(1) Impossibilibus contra nedum actus secundus existentiae, idest realitas, sed et actus primus, scilicet pensabilitas, denegatur.

ARTICULUS TERTIUS

DE SIMPLICITATE IDEAE

227.° Simplex hic nobis est, quod ita est in se constitutum, ut nil ei subtrahi, aut appingi possit, quin haud amplius sit quod erat. Huiuscemodi sunt ideae, quae, ut ait Aristoteles, numeris comparari possunt, qui si unitate minuantur vel augeantur, essentialiter mutantur; sic et ideae, quae cum aliqua rei proprietate quoquomodo exuantur aut donentur, iam haudamplius eamdem, sed aliam rem exhibent.

Rursus, simplicitas eiusmodi patet etiam ex ipsa idearum indivisibilitate ac spiritualitate, quibus fit, ut nequeant in partes, quibus carent, discindi. Non enim cum mentis abstractione ex aliqua idea, puta, hominis, elementum aliquod, ut animalitas, solum attenditur, ideo idea hominis dividitur; ipsa enim nihil passa est, cum haec divisio mentalis plane sit, vel restrictio attentionis ad aliquid ipsius penitius cognoscendum.

Haec idearum simplicitas iamdiu innotuit Parmenidi, qui loquens de *ente* (idea entis) ait « si quid namque deest (enti), opus est ens omne deesse » (1). Quae cum ita sint recte ex idearum spiritualitate profectus Parmenides, teste Clemente Alexandrino, deduxit, ens vel ideam entis, proindeque omnes ideas extra omne tempus ac spatium esse, idque constituere, quod mundus intelligibilis, et metaphysicus dicitur (2).

ARTICULUS QUARTUS

DE UNITATE ET IDENTITATE IDEAE

228.° Ex dictis idea est possibilitas, vel essentia rei, eaque simplicissima. Porro possibilitas et essentia rei cuiusque identica est omnibus individuis eiusdem speciei: ergo et unica est idea, atque omnibus mentibus eam conspicientibus identica. Quot sunt, quaeso, ideae turris in genere? Si enim genus turrium unicum est, debet quoque unica esse idea, in qua genus turrium consistit; sin autem dixeris plures ideas turris haberi, v. g. turris rotundae, quadratae, pyramidalis etc.; tunc reponimus, earum singulas totidem esse ideas

(1) Theod. therapeut. Serm. I.

(2) Clem. Alex. Strom. V. — S. Aug. passim. s. Thom. s. Bonav. Boaet. aliique innumeri maiores philosophi mundum intelligibilem fassi sunt.

specificas turris, quarum quaelibet iterum unica est, atque omnibus communis. Interdum dicitur, aliquam ideam Petri vel Pauli esse; sed hoc sensu tantum, quod Petrus vel Paulus prius caeteris eam conspexerit, atque aliis communicaverit intuendam; alias, uti diximus de cognitionis identitate, collocutiones atque discursus interciperentur, necnon impossibiles evaderent (1).

Dices: nonne sufficeret ideas esse mentibus aequales? Verum, unde discernis earum aequalitatem, nonne invicem eas comparando? Atqui, quemadmodum lupi, v. g., aeqnales dicuntur, quia in unicam essentiam, vel ideam lupi conveniunt; ita non potest dignosci ideas esse aequales, nisi eas exegeris cuidam ideae ut omnium mensurae, in quam confluant, eaque unificentur (2). Ad instar ergo solis sunt ideae aestimandae; ille enim etsi unicus omnibus oculis splendescit, quin nullimode dividatur et multiplicetur pro intuentium oculis: ergo et huiusmodi sunt ideae, quae patent omnibus intelligentiis cuiusque temporis locique, quia, inquit Aristoteles, ideae nullo tempore et spatio circumscribuntur: quo magis confirmatur, ideas haud animi affectiones esse, neque subiectivas, ast plane obiectivas, ac spiritibus praesentes (3).

ARTICULUS QUINTUS

DE UNIVERSALITATE ET INFINITATE IDEAE

229.° Quod si idea simplicem atque unicam et identicam exhibet rei essentiam, iam inde similiter consequitur eius universalitas, idest consequitur eam neque uni potius quam alteri individuo alligari, sed ad omnia individua eiusdem generis vel speciei sese extendere. Enimvero idea rosae exhibet ne hanc vel illam rosam individualem, an potius omnes et singulas rosas? Profecto arbitror, alias atque alias rosas me posse solius ideae rosae percipere, vix dum eae mihi advenerint conspiciendae. Vide tamen ne confundas ideae *existentiam* cum eius virtute repraesentativa vel universalitate: illa enim singularis est, ista universalis, atque est immensa ideae faecunditas, quae crea-

(1) Videsis Plat. in Parmenide.

(2) Plato, Ibid.

(3) Hac ratione intelligitur cur s. August. (conf. L X) ducat verbum cogitare a cogere in unum. Quia mens ideam lapidis conspiciendo, omnes iam lapides reales indistincte ac quasi confuse in ipsa cognoscit; cognita enim idea specifica vel generica, etiam virtualiter individua classis et generis concipiuntur; quod est *unum in multis* videre, ut aiebant scholastici. Hoc idem postea repetiit Vico, qui cogitare a *colligere* derivat. Vid. s. Thom. S. I. LXXXIV, I. ubi idearum immaterialitatem attingit — Plato in Parm.

tione individuorum numquam exbauritur. Quot, quaeso, artifex potest simulacra sculpere, ideam simulacri inspiciens? Innumera. Ergo idea est sua natura universalis, idest, potest pluribus individuis referri. Cum autem individua indefinite multiplicari possint, vel saltem homini nefas sit statuere terminos realizzationis, imo cum ipse videat ideam posse alia semper ostendere individua realizzabilia, infertur etiam eius infinitas.

Neque item universalitas idearum est pro earum generalitate, ut quidam assolent, usurpanda. Quaevis enim idea est universalis, et etiam ideae cuiusque rei individuae; non tamen generica vel generalis, cuius naturae illae tantum sunt quae proprietatem abstractam vel genericam praeseferunt, ut idea animalitatis, bonitatis, pulchritudinis etc. — Sunt qui autumant (1) ideas fieri universales cum pluribus referuntur obiectis. Ast immerito; Quinam enim ideae pluribus rebus compararentur, nisi iam prius universales essent? Comparatione quippe non fit, sed recognoscitur universalitas, eaque utitur. Revera baud possem individua ac plane singularia in aliorum comparationem advocare, ut quae universalitate carent.

ARTICULUS SEXTUS

DE NECESSITATE, IMMUTABILITATE ET AETERNITATE IDEAE

230.° Etiam dimissis philosophorum ac ss. Patrum hac de re auctoritatibus, poterit quisque hosce characteres levi attentione in ideis comperire. Nam si in idea simplex habetur essentia seu possibilitas rei, iam confestim deducitur eam necessariam, immutabilem, ac aeternam esse, quia iisdem dotibus essentia vel possibilitas rerum ornatur. Fieri enim non potest ut possibile fiat impossibile, vel res sit simul et non sit. Porro si hoc nunc verum est, eccur non antea, et etiam ab aeterno, et usque in aeternum? Quod est tantae evidentiae, ut ipse Aristoteles, Platonismo infensissimus, in idearum aeternitate, ac immutabilitate cum Platonicis consenserit, atque subtiliter et peracute dixerit « cognoscere nil aliud esse quam mutabilia in immutabilibus, materialia in spiritualibus, composita in simplicibus apprehendere ». Hinc Parmenides de ente intelligibili vel de idea canebat

« Senza principio fermo sempre ed integro » (2).

(1) Ita sentit Condillac, aliique sensistae. Etiam ss. Patres idearum universalitatem docuerunt. S. Thomas, Platonem ac Aristotelem secutus, sperte declarat « cognoscere idem esse ac apprehendere universalia ». Ipsi assentit Boetius, qui, diximus, docet « universale est dum intelligitur, singulare dum sentitur ».

(2) Plut. contr. Colot. — Adeo olim acceptum erat ideas hisce dotibus ae-

Quare cum dicitur ideas nasci vel formari, aut adipisci, non est ita accipiendum, ac si oriantur, creentur ac revera incipiant; sed quatenus tunc solum nobis revelentur, atque ad eas inspiciendas primo excitemur. Priusquam enim eas nos conspiceremus, iam aderant aliis mentibus emicantes, nosque eas tantum invenimus.

Animadversio in praefatos characteres idearum.

231.° Quibus in characteribus duo maxime sunt animadvertenda, 1.° eorum scilicet strictissima connexio, atque intrinseca necessitudo; 2.° eorum pariter initium. Ad primum quod attinet, indubium est, unum sine altero esse non posse; ad secundum autem, eos omnes ab possibilitate rei dimanare, quae, ut nemo ambigere potest, obiectiva, intelligibilis, vel pensabilis, simplex, unica, identica, necessaria, immutabilis ac aeterna est. Verum, eiusmodi characteres cuilibet ideae essentiales sunt; ergo iterum inferendum est — ideam nonnisi possibilitatem rei esse mente apprehensam —. Atqui possibilitas rei idem subaudit ac essentia eiusdem; ergo optime quoque et aequivalenter definiretur idea = conceptio rei essentiae =. Qui igitur pertinaciter denegant ideas simplicem rei possibilitatem ostendere, hoc ipso evidentissimis ac exploratissimis characteribus haetenus disputatis expoliant, atque rerum essentias subvertunt.

COROLLARIA

232.° Praeterea ne aliquid praeterire videamur, quod posset hisce characteribus favere, nonnulla deducimus corollaria maximi momenti, quae immensam eorum faecunditatem pandunt.

233.° Corollarium encyclopaedicum. Scientiarum principia ipsae sunt rerum disputandarum essentiae: sic logica insistit essentiae veritatis; moralis, essentiae moralitatis; ontologia essentiae entis completi etc. Atqui essentiae in ideis continentur.

ternitatis, necessitatis etc. enitescere, ut consuetudo obtinuerit eas ceu Deos immortales colere. Verum, diximus, nos alia prorsus ratione, dotes aeternitatis etc. ideis adscribimus, scilicet non eo modo quo competunt Deo, sed quo principiis rationis, quibus nulla inest realitas, vita ac subsistentia. Hinc dotes eiusmodi in Deo metaphysicae et ontologicae sunt, in ideis autem logicae tantum, non quasi simplicitas, aeternitas etc. metaphysica sit realiter distincta a simplicitate, aeternitate logica, sed prorsus eadem cum ea tamen differentia, quod characteres ut metaphysici in realitate divina, ut autem logici in puris ideis considerantur. Cum autem ideae in Deum resolvantur, consequitur et characteres logicos in metaphysicos ultimo converti. Recol. s. Thom. S. I. LXXXIV, I. — Vid. Manzoni, oper. var. *dial. sull' invenzione*.

Ergo ideae initia sunt scientiarum; proindeque ideologia, quae idearum naturae incumbit, iure est caeteris, tamquam vera protologia anteponenda, quippequae omnibus scientiis sua, quibus studeant, principia suppeditat (1).

234° Corollarium metaphysicum. Qui despectis rebus sensibilibus, ad ideas sese convertit dicitur a mundo physico abstrahere atque, ut dicunt in mundum metaphysicum, vel verius, ideologicum transferri. Ergo mundus metaphysicus vel ideologicus ideis intelligibilibus constituitur, physicus autem realitatibus. Ecquis igitur non demiratur hominis naturam? Partim ipse sensitivus est atque physicis inhaerens, partim vero intellectivus et ideis innixus: quo fit, ut quae in ideis mente speculatur, in factis sensu inveniat; et quae sensu experitur, intellectu cognoscat atque mutabilem ac iugiter fluentem universum, in mundo metaphysico, vel ideologico ceu, ut ait Arystoteles, in immobili essentia concipiat (2).

235.° Corollarium ideologicum. Ideae sunt media ac lumina cognitionis realium. Atqui ideae aeternae, immutabiles, necessariae sunt. Ergo contingentia in necessariis, mutabilia in immutabilibus, temporanea in aeternis apprehendimus. Quod s. Thomas haud obscure indicat, cum dicit: « per lumen intellectus agentis immutabiliter veritatem in rebus mutabilibus cognoscimus » (3). Hoc idem docet s. Augustinus, qui asseruit « nos res in incommutabili veritate, vel in rationibus aeternis videre » (4). Atque hinc liquet entia duobus existendi modis realiter distinctis gaudere, mutabiliter seu realiter, atque formaliter vel idealiter. Primo modo, creata, secundo, increata sunt, et in Deo reposita, nobisque, prout mens capere potest in ideis exhibita.

236.° Corollarium ideogonicum. Ideae aeternitate, aliisque divinis attributis praedictis pollent. Ergo nequeunt a contingentibus, concretis, materialibus et realibus oriri; ideoque originis plane divinae censendae sunt. Ad rem s. Bonaventura, loquens de necessitate il-

(1) Si cum August. (Solil. L. II. C. V) veritatem rei in eius essentia collocamus, constabit iterum scientias ex ideologia principia mutuari. Scientiae, siquidem veritatem inquirunt: veritas est ipsa rei essentia, quae in ideis consistit; ergo in ideis elucubrandis scientiae adlaborant. Cic. lib. 1. acc.

(2) Conf. Vico, Dell' antic. sapienza C. IV, VI, ubi de mundo metaphysico vel ideologico ideis confecto loquitur, licet a vero tamen aberret eo quod ideas, more platonicorum, deificet.

(3) S. I. LXXXIV, VI ad 1.

(4) Retract. L. I, C. VIII — C. IV —. Conf. L. XI, C. XXV ait « nec ego utique in te, (videmus verum) nec tu in me, sed ambo in ipsa quae supra mentes nostras est, incommutabili veritate ».

Conf. s. Thom. S. I, LXXXIV, V.

lationis, seu logica ideoque ideali recte dicit « eam non venire ab existentia rei in anima, quia tunc esset fictio si non esset in re (en subiectivismus et criticismus eversus): venit ergo *ab exemplaritate in ente aeterno* (en obiectivismus firmiter constitutus) » (1). Insanit ergo Vincentius De-gratia, qui universalitatem idearum, haud sane ab earum necessitate differentem, ab sensibilibus nescio qua abstractione, educere molitur, in suam sententiam ss. Patres violenter detorquens (2).

237.° Corollarium logicum — Logica est doctrina de veritate. Porro veritas logica aliud non est quam idea, quae ut exemplar rerum cognoscendarum sumitur, quae, sicut tunc verae dicuntur, cum ideae conveniunt; ita idea respectu earum veritas appellatur. Hinc scite revera Mercurius Trismegistus docuit « idearum proprietates veritati quoque congruere » (3). Atque ss. Patres intellectum ideae vel veritati uniri eaque informari aeque tradiderunt. Ergo logicae etiam sua sunt ab idearum scientia initia ac fundamenta.

238.° Corollaria psychologica:

1.um Mens est penes psychologos animae spiritualitatem ex cognitionis simplicitate deducere, et quidem optime. Ast cognitio eatenus simplex est, quatenus ideis simplicibus, ac indivisibilibus insidet. Ergo ex idearum simplicitate ineluctabiliter spiritualitas animae infertur. Hoc modo argumentati sunt Plato in Timaeo (4), et s. Thomas in quaestione de veritate art. VIII. Imo addiderunt, animae spiritualitatem logicum esse idearum immaterialitatis corollarium. Natura enim animae per suos actus cognoscitur: actus vero a terminis specificantur. Porro termini intellectionum sunt ideae simplicissimae; ergo etiam simplex est anima.

2.um Anima ideo libera est, quia lex, cui subditur, est ipsi extranea et obiectiva, idest non ipsi identificata atque intrinseca, ut conspicitur in causis necessariis, quae interna virtute ad agendum impelluntur. Iam age, lex huiusmodi obiectiva quid est nisi idea iusti et iniusti, quae menti equidem adstat, eamque dirigit, quin vim ei inferat; secus homines essent necessario iusti vel iniusti? (5). Obiectivitas ergo ideae praebet humanae libertatis originem.

(1) Itiner.

(2) Prospetto della filosof. ortodos.

(3) Strab. Serm. XI — s. Aug., s. Thomas, s. Bonav. in suis operibus passim.

(4) Sext. Emp. adv. mathem. VII.

(5) Legem moralem aliud non esse quam ideam voluntatis directivam, patet ex communi legis definitione = agendorum ratio vel notio =. Notio autem vel ratio, ut quisque videt, est idea.

239.° 3.um Anima immortaliter vivet, sed qua de causa? Num quia corpori unitur? Vel quia simplex est? Vel quia Deus ita decrevit? Nihil eorum. Corpus enim corrumpitur; simplicitas est conditio, non causa praecipua suae immortalitatis, cum etiam animae belluarum simplices sint, et tamen moriturae. Deus equidem vult eam esse immortalem, sed quia ita exigit animae natura; secus eccur ipse non vellet et belluae immortalitatem? Constat ergo immortalitatem ex intrinseca animae natura dimanare, atque ex eo praecipue, quod anima coniuncta sit rebus aeternis et immutabilibus, cuiusmodi sunt ideae, quae vim cogitativam, ideoque et vitam intellectivam ei perpetim excitant, alunt ac substentant. Intelligentia ergo est radix immortalitatis, quia ideis aeternis fulcitur.

240.° Corollarium morale. Ethica legi morali incumbit, quae ut regula morum adhibetur. Iamvero lex moralis ordinem idealem non transcendit, estque idea rei, quae, quid sit agendum, quidve omittendum, ostendit. Re quidem vera, lex moralis quae mihi iubet alios homines revereri, atque diligere, est ipsa hominis idea, quae eius dignitatem manifestat, et sine qua, quemadmodum periret cognitio hominis, ita et affectus bonus vel malus in ipsum, voluntas enim post intellectum movetur. Ergo et principium morale est in ideis quoque inquirendum.

241.° Corollarium theologicum. Quod si ideae aeternae sunt, immutabiles, simplicissimae etc. quonam essentialiter atque necessario existunt? non utique in intelligentiis creatis, quibus participantur, cum ipsae talibus non ornentur attributis divinis. Neque in semetipsis existunt, quia nobis ut subsistentia carentes exhibentur, atque puram ostendunt existentiam intelligibilem seu idealem, quae necessario expostulat mentem intelligentem, atque aeternam; intelligibile enim vel ideale est quidquam relativum, quod sine altero relationis termino, idest sine mente aeterna, nequit existere. Dicendum ergo existere — mentem eiusmodi atque Deum esse, in quo omnes ideae ceu eius notiones recipiuntur —. Hac demonstratione tum philosophi platonici, quum ss. Patres existentiam Dei deduxerunt, quae ideo demonstratio ideologica a priori existentiae divinae appellatur.

CAPUT QUARTUM

DE IDEIS DIVINIS, ATQUE DE EARUM AB HUMANIS DIFFERENTIIS

242.° Si ex hucusque illatis, ideae divina plane fulgent natura, quaeri nunc potest, an ideae humanae cum divinis identificentur, necne, atque, invicem discriminantes, quaenam sit ratio discriminis.

His responderi nequit, quin prius perspecta fuerit natura idearum divinarum, atque cum iis ideae humanae commissae.

243.° Ideas divinae intelligentiae inesse, unanimis est Patrum sententia. S. Augustinus ait: « tanta vis in ideis constituitur, ut nisi his intellectis sapiens esse nemo possit » (1). Ergo Deus, qui sapientissimus est, ideis utitur. Quam auctoritatem explicans s. Thomas, addit, « ideas in Deo haberi, sive ut rerum exemplaria, sive ut cognitionis principia, quibus Deus in rerum molitione usus est » (2). Deinde prosequitur exponendo doctrinam s. Augustini, qui etiam pluralitatem idearum in Deo collocarat dicens: « singula propriis rationibus (ideis) creata sunt » (3). In hanc sententiam Angelicus animadvertit, atque idearum pluralitatem cum Dei simplicitate componit. « In Deo plures sunt ideae, inquit, non ut principium quod intelligitur, sed magis ut principium quo intelligitur. Non enim, pergit ipse, est contra simplicitatem intellectus divini, quod multa intelligat (en principium quod); sed contra simplicitatem eius esset si per plures species (en principium quo) eius intellectus formaretur » (4). Idest non repugnat quod Deus multa intelligat, sed quod intelligat per plura media, vel per multas species intelligibiles, cum unico actu, unica idea omnia et distincta et diversa scilicet, possibilitatem essentiarum, ac realitatem omnium rerum concipiat. Nos contra, pluribus ideis ceu mediis cognitionis utimur.

244.° Ast quid tandem sunt ideae divinae? Respondet s. Thomas: « cum unaquaeque creatura habeat propriam speciem, secundum quod aliquo modo participat essentiae divinae similitudinem: sic igitur in quantum Deus cognoscit suam essentiam, ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit ut propriam rationem et ideam huius creaturae. Idea ergo non nominat divinam essentiam in quantum est essentia, sed in quantum est similitudo huius vel illius rei. Unde secundum quod sunt plures rationes intellectae ex una essentia, secundum hoc dicuntur plures ideae » (5). Cum igitur ideae sint divinae essentiae imitationes, consequitur, eas una cum sua essentia a Deo intelligi, atque quidem ab aeterno, quia ab aeterno suam inspiciendo essentiam

(1) Et alibi, negantem ideas in Deo esse vocat infidelem, ut superius dictum est.

(2) S. I. XV, I.

(3) L. 83 qq. — Ibidem Augustinus ideas appelat « principales quasdam formas, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quia ipsae formatae non sunt (audiant sensistae idearum artifices) ac per hoc aeternas, ac semper eodem modo se habentes quae divina intelligentia continentur ».

(4) Loc. cit.

(5) S. I, XV, II.

Deus Pater perspexit tam sui cognoscibilitatem (1), idest Verbum, quam cognoscibilitatem rerum creandarum, idest ideas, ut docet s. Anselmus dicens: « Deus uno eodemque Verbo dicit seipsum et quaecumque fecit ». Quapropter Verbum est simul cognoscibilitas Dei Patris, et cognoscibilitas rerum vel Verbum Dei, et Verbum mundi. Hinc platonici, qui Verbum Dei a Verbo mundi seiunxerunt, vel potius in Verbo solum rerum cognoscibilitatem reposuerunt, originem fortasse praebuerunt Arianismo, qui Verbum inferius Patre admiserunt, atque revera Verbum Patri subderetur, si simplicem rerum cognoscibilitatem gereret, seu Verbum mundi, non Verbum Dei esset.

245.° Quibus praemissis, iam inde elucent discrimina idearum divinarum ab humanis. Verum enimvero 1.° ideae divinae utpote divinae essentiae identicae, reales sunt, subsistentes, ac rerum creatrices. Ideae autem humanae, cum simplicem rei possibilitatem, intelligibilitatem, vel essentiam revelent, rebus creandis inefficaces sunt, atque mera obiectiva rerum iam creatarum exemplaria (2). 2.° Ideae divinae perfectissimae sunt, absolutae, atque in simplicissimo actu creativo unificatae, ideae vero humanae imperfectae, multiplices, relativae, et interdum negativae, neque totam essentiam rerum exhaurientes, sed id tantum eiusdem quod sensibus usurpatur. 3.° Ideae divinae haud aliqua excitatione sensibili egent, qua determinentur et manifestentur, ast ab aeterno in ipso actu creativo distincte coexistunt, semperque eodem modo Deo notissimae: ideae humanae sola sensuum occasione menti apparent, et quidem successive, atque saepe cum labore, ac magna intuitionis obscuritate intuentur, quamdiu earum signa sen-

(1) Verbum est cognoscibilitas Dei, non vero cognitio, quae est tribus personis communis.

(2) S. Thom. obsistens Platoni, qui vim creatricem ideis humanis tribuerat, ait « cum ideae ponerentur a Platone principia cognitionis rerum et generationis ipsarum, ad utrumque se habet idea prout in mente divina ponitur etc. ». S. I, XV, III., quo in loco etiam Doctor demonstrat, ideas divinas rerum creatarum vel creandarum vocari exemplaria, ideas vero mere possibilium numquam efficiendorum, rationes; atque etiam possibilia creanda, seu distincta, non esse numero infinita, possibilia vero numquam creanda vel indistincta in essentia divina infinita esse; ac propterea cognitionem priorum, scientiam visionis, posteriorum vero, scientiam intelligentiae appellari. — S. Dionys. De divin. nomin. vocat ideas divinas, « praedestinationes et bonas voluntates, rationes substantificatas, quibus res conduntur ». S. Aug. De Trin. XV, XIII. docet « res esse quia Deus eas novit; non e converso; ergo scientia Dei est causa rerum ». Cui non contradicit Origenes, etsi dicat « quia futurum est, ideo scitur a Deo antequam fiat ». Epist. ad Rom. L. VII. quia aliquid ideo Deus scit quia factum est, cum id cognoscendo, si ipsi libuerit, creat in tempore.

sibilia persistunt. 4.° Ideae divinae se habent potius ut *principium quod*, seu ut obiecta, quam ut *principium quo*, idest tamquam media cognitionis unico enim medio, idest essentia, Deus infinita cognoscit. Homini contra multae opus sunt ideae, sive ceu obiecta cognoscenda, sive uti media cognitionis; ac propterea ideae magis dicuntur *principium quo*, quam *principium quod*, etsi utriusque principii munus obeant; primum in intuitione, secundum in perceptione intellectiva, prout iam alibi dictum est. 5.° Id tamen habent similitudinis ideae divinae cum humanis, quod in eadem ac simplicissima luce divina, vel esse intelligibili videantur, cum hoc ingenti discrimine, quod illae in *lumine perfecto*, in *plenitudine* nimirum entis-idealis-realis-moralis conspiciantur; istae in eodem lumine, sed imperfecto, vel imperfecte conspecto, in ente videlicet ideali, initiali et indeterminato. Tamen quia medium idem est, ideae divinae cum humanis in fundo conveniunt, seu eidem instant fundamento. Quod enim percipit homo, idipsum cognoscit et Deus, tametsi alio modo infinite perfectiore. Quare ideae humanae continentur in Deo tum utpote *principium quod*, quia quod notum est hominibus, palam est Deo, tum veluti *principium quo*, non quasi Deus ideis utatur humanis, hominis instar, sed quia in Deo omnia per suas rationes formales existunt: ergo et humanus cognoscendi modus, seu ideae humanae habeantur etiam necessum est, non quasi divinae, sed uti humanae. Novit enim Deus quo medio et quomodo homo cognoscat, cum ipse fuerit, qui hominibus potentiam ac medium cognoscendi, nec non obiecta cognoscenda dederit.

Corollarium — Ratio imaginis Dei in homine resultantis.

346.° Participatio luminis aeterni homini facta explicat cur ipse dicatur ad imaginem Dei constitutus. « Si enim, ait s. Thomas, homo participaret lumen intelligibile (ideas) ab Angelo, sequeretur, quod homo secundum mentem non esset ad imaginem ipsius Dei, sed ad imaginem Angelorum, contra id quod dicitur Genesis primo » (1). In tantum ergo homo est Dei imago, in quantum lumine divino illustratur. Atque inde Angelicus intulit « Angelum ob excellentiorem naturam intellectivam esse magis ad imaginem Dei » (2).

Praeterea imago Dei includit quoque imaginem Trinitatis, quia Deus unus est et trinus. Ergo imago Trinitatis cum infusione luminis aeterni homini infigitur. « Nam in creatura rationali, inquit s. Thomas, in qua invenitur processio Verbi secundum intellectum,

(1) Q. unica De spirit. creat. art. X.
(2) S. I, XCIII, III.

et processio Amoris secundum voluntatem potest dici imago Trinitatis ». In aliis autem creaturis irrationabilibus quia non invenitur principium Verbi, nempe intellectus, neque amor, dicuntur vestigia potius, quam imagines Dei (1). Porro voluntas, ex qua amor, ab intellectu procedit, intellectus vero a lumine divino, cui unitur, dimanat; ergo tota imago Dei in homine luminis aeterni participatione conficitur (2).

247.° Demum. Cum triplex sit lumen divinum, *rationis* videlicet, *gratiae* et *gloriae*, triplex quoque emergit imago Dei in homine christiano, naturalis videlicet, et supernaturalis secundum gratiam atque secundum gloriam, quarum una est altera nobilior, ac, ut sic dicam, vividior et accuratior (3).

CAPUT QUINTUM

CONTROVERSIA INTER REALISTAS, CONCEPTUALISTAS ET NOMINALISTAS

248.° Realistae quidam, praesertim mediae aetatis, philosophi dicebantur, qui praecepta Guillelmi de Campeaux, Amauri de Chartres, Davidis de Dinant, aliorumque secuti, docuerunt, genera et species, seu ut ipsi vocant, universalia, totidem esse realitates; realem scilicet ac physicam habere extra mentem subsistentiam adeo ut videri, ac ferme palpari possint, sicuti sensibilia. Quibus cogitatis equidem absurdissimis, alii imaginem tantum universalium, ac quasi symbola realium substituerunt, atque semi-realistae dicti sunt. Quidam vero quamlibet existentiam sive mentalem, sive realem et physicam, universalibus subtrahentes, ad pura vocabula ore prolata reduxerunt, atque se nominalistas proclamarunt (4). Alii demum ut mediam viam

(1) S. I, XCIII, VI.

(2) S. Thom. S. I, XCIII, VI. ostendit imaginem Dei in homine esse solum secundum mentem. S. Aug. L. 6. supr. Genes. « hoc excellit in homine quod Deus ad imaginem suam hominem fecit propter hoc quod dedit ei mentem intellectualem, quae praestat pecoribus ».

(3) S. Thom. S. I, XII, II — XCIII, — S. I, XCIII, IV. ubi aperte tres distinguit imagines creationis, recreationis et similitudinis. Prior in omnibus hominibus, secunda in iustis, tertia solum in beatis occurrit.

(4) Realistae atque nominalistae non adeo invicem distant, ut prima fronte videtur. Quid enim est vocabulum, nisi aliquantum aëris gutture oreque emissi? Ergo si universalia non sunt plus quam vocabula, realia profecto sunt, atque extra mentem subsistentia: aër siquidem realis est et subsistit. Realistis sunt pariter omnes sensistae consociandi, qui ideas ex sensibilibus per quamdam, quo nescirem pacto, abstractionem veluti abradunt; atque etiam

inter realistas ac nominalistas inirent, existentiam saltem mentalem universalibus non recusarunt, perinde ac si mentis virtute ipsa conciperentur, et nomen sortiti sunt conceptualistarum.

249.° Sola ordinis idealis ab ordine reali distinctione, tota dirimitur quaestio, atque praefati errores profligantur. Si enim aliud idea est, aliudque reale vel subsistens; ergo idea neque in rebus physicis externis, neque in äere labiis expirato, neque in anima ceu in subiecto existit. Idem dicatur de imagine, quae ordinem rei, cuius est imago, non excedit; ideoque materialis est si materiale, spiritualis si spirituale exhibet. Porro ideae ab realibus ordine differunt; ergo in ipsis repraesentari nequeunt.

Ad nominalistas vero quod proprius spectat, probatissimum est, verba vel vocabula, ac quaecumque alia signa aliud non esse quam vehicula. quibus interna cogitatio, aut idea manifestatur; idcirco neque, quid significent, intelligi, quin idea, quam referunt, simul cognoscatur. « Noi parliamo, inquit Cousin, perchè pensiamo, e non al contrario ». Thomasaeus: « La parola è il respiro dell' intelligenza ». S. Thomas: « nomina sunt signa intellectualium conceptionum ». S. Augustinus: « verbis, nisi verba non discimus: imo sonitum, strepitumque verborum. Rebus ergo cognitis, verborum quoque cognitio perficitur ». Demum verba cuiusque linguae gaudentne characteribus idearum? suntne intelligibilia sic, ut vix audita vel lecta intelligantur? Nonne solum capiuntur cum ideae adnexae apprehenduntur? suntne aeterna, immutabilia, universalia etc.? Num pro numero ac differentia linguarum multiplicantur? Quoties unica idea millibus exprimitur linguis? En ergo quantum ideae vel universalia ab nominibus discrepent (1).

Denique haec etiam contra conceptualistas urgeri possent, cum animus aliis prorsus, ac ideae, donetur qualitatibus, ideoque ut ut eas recipere, non tamen parere poterit. Habetur hic tamen aliquid notandum. Duo in qualibet idea considerari debent: 1.^{m} res vel essentia rei concepta; 2.^{m} eius universalitas. Illa est plane obiectiva mentique ostensa: ista a mente utique dependens. Universalitas enim, vel, ut ait s. Thomas « intentio universalitatis ex eo provenit, quod mens ideam inspiciens potest sibi innumera individua iterato fingere in eadem idea semper cognoscenda » (2); quae, cum nihilominus

illis neo-platonici recensendi, inter quos Gioberti, qui creationem definit individuationem ideae generalis, et binos ordines idealem ac realem simul permiscet.

(1) Conf. quae diximus de verbo mentis in gnoseologia.

(2) Hoc sensu intelligitur, cur s. Thomas doceat « universale in solo intellectu haberi, atque ab ipso intellectu poni ». Radix enim universalitatis

mens sibi fingat propter ideae obiectivitatem et possibilitatem, quibus idea ab individuis seponitur, patet, radicem istius universalitatis in idea esse, atque mentis actione tantum evolvi, atque iterari.

CAPUT SEXTUM

DE IDEARUM CLASSIFICATIONE

250.° Mundus intelligibilis vel ut aiunt, metaphysicus, cuius summus plane divinam naturam hactenus demirati, haud informi idearum farragine, ast ordine, regularitate atque maxima harmonia componitur, qua ideae inferioris ac ultimi ordinis per intermediam continentem catenam ideis elevatissimis connectuntur. Nobis propterea, qui, vires in idearum naturam explorandam hucusque contulimus, multum iuverit, si quidquam de earum dispositione subiungemus, ne aliquid iuvenibus exoptetur, quod idearum naturae, quoad clarius poterit, adsequendae inserviat. Descriptio igitur hierarchiae idearum nobis in praesens agenda est, quae ideologiam nostram concludet.

ARTICULUS UNICUS

HIERARCHICA IDEARUM DESCRIPTIO

251.° Ideae aeque ac totidem bases, vel principia censentur, quibus utimur in realium classificatione. Porro classificatio eiusmodi dividitur in species, et genera: illae individua eiusdem naturae, ista species similes complectentia. Hoc pacto regnum animale ad genus animalitatis supremum reducitur, quod cum postea subdividatur, tot emergunt species animalium distinctae, quot eorum conspiciuntur differentiae. Quod et de regno vegetali, de minerali, caeterisque est collectionibus dicendum, quarum quaelibet in aliqua semper specie aut genere coercetur.

252.° Quae cum ita evidentissime sint, infertur, eumdem ordinem inter ideas vigere, qualem, idearum ope atque applicatione, realibus inferimus, eoque invicem regulariter eas componi; proindeque ideas in specificas, atque genericas primo secerni. Quarum priores in specificas plenas et imperfectas, in specificas abstractas, vel in specificas plenas perfectas partiuntur, prout obiectum vel cum omnibus suis perfectionibus atque imperfectionibus exhibent, vel eius essentiam abstractam tantum, aut eius essentiam omnimode perfectam. Sic idea hominis cuiusdam, puta, Petri, est idea specifica plena imper-

est obiectiva; evolutio vere universalitatis, subiectiva: animus quippe est, qui eam intuens actus cogitationis iterando, multa sibi confingit individua realizzabilia, quae caeteroquin distincte idea ex se et a priori non exhiberet.

fecta; idea hominis, specifica abstracta; idea hominis perfecti, specifica plena perfecta.

Posteriores, idest ideae genericae etiam subdividuntur in alias, quae sunt: ideae genericae realizzabiles, ideae genericae mentales, idea genericae nominales, quatenus earum obiectum vel ex se adhuc realizzabile est, ut animalitas, vel ex se realizzari nequit, ut color; aut nomen tantum est, uti Petrus, quod omnibus hoc nomine praeditis, refertur.

233.° Id cum dignum sit quod attente meditetur, optimum factu erit, aliquo exemplo illustrari, quo et quomodo mens ideas specificas (1) acquirat, atque ex ipsis ad genericas sensim consurgat, evidentius fiat.

234.° Extra aleam dubitationis est, nos tamdiu idea rei cuiusque, pone elephantis, carere, quamdiu eius subsistentiam aut non percepimus, aut utcumque descriptam non accepimus: quod ut primum eveniat, protinus idea eiusdem nobis se prodet, quae specifica-plena-imperfecta nuper appellabatur. Specifica, quippe quae essentiam potius, quam individualitatem exhibeat, cum nedum hunc aut alterum elephantem, sed omnes elephantes revelare nobis deinceps posset. Plena, quia ea omnia quae illius elephantis sunt, sive essentialia, sive accidentalia, ostendit. Imperfecta, cum praeter eius perfectiones, etiam defectus atque imperfectiones comprehendat. Haec idea facultate universalizzationis comparatur, estque prima in ordine chronologico, quam potissimum nostri versant infantes, primis realium perceptionibus detenti.

235.° Postea, elapsa elephantis perceptione, idea eiusdem nuperrime nacta, haud mente dilabitur, sed firma atque integra perstabit, adeo ut, depositis modificationibus accidentalibus, notas tantum essentiales elephantis retineat; quo fit ut evadat idea specifica-abstracta. Specifica, eo quod essentiam vel speciem elephantum perbibeat. Abstracta, utpote quae ab qualitatibus secundariis praescindat, atque id quod intrinsecum est atque constitutivum elephantis conservet. Ideis huiuscemodi homines adulti utuntur, cum secum conferunt, et

(1) Sunt qui praeter ideas specificas, et alias inferiores admittunt individuales, vel concretas nuncupatas, perinde quasi ideae adeo sint individuis connexae, ut extra ipsa nequeant ne per latum quidem unguem patere. Verum, ideae eiusmodi perperam exoptantur, cum idea generatim sit semper essentialiter universalis, idest typus, cui innumera individua exigi possunt. sic, diximus, idea arboris alicuius cum omnibus suis qualitatibus videtur individualis, quia nullus alius forte extat in natura arbor illi similis. Ast, nonne poteris ope istius ideae alios similes arbores tamquam possibiles tibi imaginari? Non ergo ad unicum, sed ad plures arbores haec idea se se porrigit, datis occasionibus, ostendendos.

invicem alloquuntur, quippe qui se in species rerum semper intendant, ut cum sermocinantur de homine, de animantibus, de plantis, de corporibus etc., quorum ideae abstractae dicuntur, idest absque individuali relatione et solum generatim inspectae. Ex quo elucet, hoc in casu abstractionem iam exerceri, atque alias in ordine chronologico subsequi ideas, prioribus excelsiores.

236.° Sin autem ex pluribus elephantibus invicem comparatis, praeclariora eorum excerpes attributa, atque simul in unica idea, quantum fieri potest, apposite et perbelle coniuges, tunc idea specifica-perfecta, vel archetypus (l'ideale) elephantis exurget (1). Specifica, eo quia non elephantem quemdam, sed eius magis pandit essentiam. Perfecta, quia omnibus detractis defectibus, solis perfectionibus splendescit. Mens hanc sibi ideam aquirit per facultatem integrationis; per eam nimirum facultatem, qua quisque adnititur suas saepe imperfectas conceptiones complere ac ferme integrare. Ideae eiusmodi praeminent maxime artibus liberalibus, quorum studia ac labores in id contendunt, ut opus plenam perfectionem (l'ideale), prout licet, attingat.

Atque hinc propterea quantum idea specifica-perfecta, etsi tertia in ordine chronologico, caeteris specificis tamen in ordine logico, seu natura, praestet, nemo non videt. Ipsa enim, praeterquamquod defectus excludit, eas etiam perfectiones comprehendit, quas menti humanae datum est hinc inde colligere, atque ad armonicam unitatem, in qua pulchritudo est componere. Quibus edocemur ordinem logicum idearum in inversa esse ratione ordinis chronologici, sic ut quod ordine temporis praecedit, ordine dignitatis subsit, atque e converso natura prius, sit tempore posterius.

237.° Verum, ideis specificis, v. g. ideae elephantis, aliquid potius subtrahere, quam addere possem, atque loco ideae specificae perfectae, ideam genericam adipisci, quae, sicut innuimus, generica realizzabilis seu substantialis, vel mentalis, aut dialectica vel accidentalis, ac demum nominalis esse poterit. Generica realizzabilis vel substantialis, si aliquid excerpserim subsistendi adhuc aptum, ut natura animalis generatim, quae in individuis animantibus reapse subsistit. Mentalis vel dialectica et accidentalis, cuius obiectum qualitas entis est, seu entitas subsistentiae incapax: uti color, figura, quae subiectum, cui haereant, expostulant, neque alibi quam mente, sic divisim existunt. Huius naturae sunt quoque ideae simplices et abstractae similitudinis, differentiae, quantitatis, iustitiae, bonitatis etc. (2). No-

(1) Idea specifica-perfecta vocari solet idea platonica. Iuxta Platonem siquidem archetypus in idea perfecta constituebatur. Ideae archetypae quantum scientiis artibusque provehendis auxilio sint, non est cur multis probemus.

(2) Non est hic ingens discrimen inter entia idealia et mentalia praetereundum. Idealia dicuntur entium essentiae quatenus mentis intuitioni in aeque

minalis tandem, si nomen rei solum retinerem, aut acciperem, aut recordarer, quo ab aliis rem secernerem. Pone, si scirem ens aliquod vivere, elephantem nuncupatum, quem vel numquam viderim; aut iam visum, plane eius formae ac naturae fuerim oblitus, solo nomine retento, idea elephantis diceretur generica nominalis, qua elephantes, cum sermo de ipsis contigerit, ab aliis entibus distinguo. Hoc etiam ferme modo Deum sola instructi ratione concipimus. Novimus enim praeter creaturas adesse creatorem, ens videlicet absolutum, quamplurimis relationibus entibus creatis connexum; cuius tamen cum imago, aut repraesentatio, aut vestigium expressum in mundo non habeatur et adaequatum, tamquam aliquid nobis ignotum, ac nomine ineffabili tantum signatum, ab mundo discernimus. Hanc autem ideam revelatio plurimum nobis adauxit et perfecit.

258.° Ideae genericae nominales vocantur negativae eo nimirum sensu, quod non exhibeant modos rerum existentiae. Ideae contra specificae et genericae realizzabiles et mentales, positivae dicuntur, ut quae eiusmodi existentiae modos repraesentant. Etenim, cum modi existentiae nonnisi immediata entium in sensus operatione dignoscantur, patet ea, quae solum nomine tenus apprehenduntur, baud nostros in sensus immediate agere, sed ex perceptis inferri, quibuscum essentialem aut arbitrariam habent relationem.

Ideae genericae cuiusque ex praefatis ordinibus, abstractione conficiuntur, qua, propriis rei qualitatibus dimissis, communes tantum considerantur.

259.° Qua in operatione tria animadvertenda sunt: 1.° ideam quamlibet respectu alterius ideae sibi subiectae, genus, respectu autem alterius sublimioris, speciem vocari. Sic idea trianguli est specifica relative ad ideam polygoni; generica respectu ad alias triangulorum species, isoscele, scalenum etc. 2.° quo magis ideam qualitatibus exuitur, eo generaliorem ac ampliorem fieri; vel, prout restringitur eius comprehensio, idest numerus notarum, etiam tantumdem eius extensionem, videlicet numerum obiectorum, ad quae extenditur, crescere, adeo ut comprehensio et extensio sint in ratione inversa ad invicem. 3.° Ideas specificas, et maxime perfectas, ob maiorem perfectionum complexum, genericas antecedere; ideoque ideas in mente divina ex

adstantes, ac realizzabiles; mentalia vero quaedam sunt essentiarum elementa, aut relationes intrinsecae vel extrinsecae, partiali tantum mentis intuitione conspectae, neque realizzabiles. Prioris generis aestimantur ideae plenae, posterioris ideae abstractae, merito propterea idearum fragmenta nuncupatae, ac mentis fictiones. Quod si dicas idealia iis inesse conceptionibus, quae totum etsi non totaliter; ens apprehendunt, uti ideae genericae; mentalia autem iis, quae neutrum praestant, ut idea superficiei relate ad corpus, habes iterum quo idealia ab mentalibus secernas.

specificis esse, tum quia perfectae sunt, atque etiam sine ulla abstractione (Deo plane incongrua) progenitae.

260.° Ex pluribus ideis specificis, si quasdam simul congeris, ac tamquam unam consideras, eas tibi, quas complexas vocant ideas nancisceris. Tales sunt ideae nemoris, exercitus, civitatis, mundi etc. Hisce ideis poetae, pictores, sculptores etc. praecipue delectantur, cum monstra verbis, aut coloribus, aut marmore exprimunt. Huic operi ineptae censentur ideae genericae propter nimiam earum indeterminationem et abstractionem. Revera si quaeras ab pictore, ut tibi animal pingat; tibi protinus percontatur quodnam ex animantibus, seu quam speciem animantium cupias dipingi. Animal enim qua tale picturae non subditur.

261.° Ex hactenus discussis iam liquido deducitur, hierarchiam idearum in varias classes distinctas resolvi, easque potissimum esse ideas specifico-plenas-imperfectas, specifico-abstractas, specifico-plenas-perfectas, ideas genericas realizzabiles, genericas mentales, genericas nominales, et ideas complexas.

262.° Nihilominus philosophi fere omnes censuerunt ideas dividere in *simplices*, *complexas*, *compositas*, *collectivas* et *factitias*. Quae idearum classificatio, etsi nomine differat, re tamen nostrae cohaeret. Ideae enim simplices, v. g. idea iustitiae, pulchritudinis, ad ideas generales reducuntur; complexae, ut Idea leonis fortis, ad ideas specificas abstractas qualificatas; compositae, ut ideae domus, plantae, ideis specificis-abstractis sine qualificatione aequiparantur; collectivae denique, ut idea multitudinis, ideis nostris complexis. Caeterum classificatio idearum, quam dedimus, accuratior nobis videtur, sive quod aptioribus vocabulis enuntietur; sive etiam quod uberior sit, atque secundum originem et naturam idearum procedat; quae profecto in veteri idearum classificatione omnino arbitraria, praetermittebantur.

CONCLUSIO

263.° Eorum, qui hactenus de idearum natura discussa rite noverunt, nemo amplius dubitat, quin idea divinae sit naturae, atque tantum animo cui affulget, antecellat, quantum immutabile mutabili, infinitum finito, obiectivum subiectivo, increatum creato, proindeque tam absit, ut ideas ex sensationibus, vel animi modificationibus, instinctis ac potentiis derivet, ut magis divinae originis eas esse propugnet, ac nobiscum conveniat — nil adeo absurdum, et rationi fideique adversum esse, quam ideas ex animi activitate expromere, nullo obiectivo interposito elemento, cui animus adiungatur, eoque illuminetur —.

PROTOLOGIAE PARS TERTIA

IDEOGONIA

PROLOGUS

IDEOGONIAE NECESSITAS

264.° Ideologia apprime intellecta, superflua forsitan modo ideogonia quibusdam videretur, cum iam facillime ex dictis inferendum sit — ideas divina natura pollentes, desursum a Deo nimirum hominibus difflui —, vel — divinae plane originis eas quoque esse —. Verum hi animadvertant, nobis haud cum solis sensistis et subiectivistis rem esse, quibus profecto profligandis sat superque forent quae in idearum naturam hucusque scripsimus. Hac enim via et ipse Angelicus, sensistas refutans, incessit, dicens: « non multum refert dicere quod ipsa intelligibilia (ideae) participantur a Deo, vel quod lumen (idea entis) faciens intelligibilia » (1). In utroque siquidem casu sensismus aeque refellitur. Ast nobis est etiam cum pantheistis congrediendum, qui originem divinam minime ideis abnuentes, in alios tamen illabuntur errores vel quoad idearum originem, vel quoad earum participationis modum, vel quoad earum ab animo cogitante distinctionem. Hinc necessitas ideogoniae insistendi, ut sciatur quomodo Deus rationem nobis contulerit, quibus mediis, quo ordine, et an singillatim ac distincte, vel implicite in quodam tantum lumine intelligibili, ideas nobis infuderit. Haec tot sunt problemata maximi profecto habenda, in quorum solutionem ordine et integritate operis suscepti ineluctabiliter trahimur, eoque magis quod acerrimae hac de re quaestiones disputentur, ex quarum exitu totius philosophiae atque religionis sors aut miserrima aut felicissima dependet. Compertum quidem est nuperos a fide ac ecclesiastica auctoritate extorres et perduelles, ideo iugum Ecclesiae aut excussisse aut renuisse quia sibi blandiuntur vel immediata Dei Inspiratione animos informari, vel eos sibipsis interiore cognitionis explicatione sufficere, quin necessum habeant aliorum ministerio, quod abundanter supplet sensus quidam mysticus, cui est fidenter ac tutissime in rationis et fidei negotiis acquiescendum. Quae mystica iactantia protinus retunderetur, si men-

(1) S. I. LXXIX.

tis latebras quis sedulo ingrediens, *originem* cognitionis detegeret, et modum et ambitum eiusdem accurate determinaret.

Problema ideogonicum.

265.° Iam est cuique etiam philosophiae imperitissimo evidentissimum tum humanum intellectum ideas rerum acquirere, cum *lumine rationis*, quo ipse ad cognoscendum insignitur, utitur. Hoc itaque sub respectu problema ideogonicum poterit sic enuntiari: — quid est lumen rationis — ? Quod cum iterum nequeat directe et immediate cognosci, atque idcirco ad eius naturam detegendam philosophus cogatur ab eius applicatione et usu, ex quo emergit cognitio, discedere, ideo praedictum problema in hanc etiam formulam resolvitur: — quomodo prima rerum cognitio comparatur —? Atque denuo, cum philosophis constet primitivam rerum cognitionem eo prodire quod realitatem earum intellective percipiamus, vel, iudicemus eas subsistere, nobisque tunc sensus afficere; ideo problema cognitionis primitivae novae formulae sic accommodatur: — quaenam quotque sunt conditiones et elementa iudicii primitivi rerum subsistentiam affirmantis —? Huiusce problematis resolutio in principii formalis cognitionis, idest in luminis rationis naturam nos certe adducet, quo germen vel radix cognitionis absconditur, alias deinceps ideas multimodas, sensuum ministerio, germinatura; cui postremae problematis formulae, utpote clariori, ac philosophicae investigationi aptiori, magis studendum est.

Principia completae problematis solutioni necessario observanda.

266.° Tria in hunc finem ordinantur principia, ut scopuli inter gradiendum devitentur. 1.^m Id tamquam idearum principium statuendum, quod earum naturae conveniat; 2.^m neque aliquid in ipso defectu, aut excessu peccetur; natura enim pondere numero ac mensura mirabili constituitur, ac magna vereque mirifica minimis ac simplicissimis mediis operatur (1): 3.^m omnium idearum cuiuscumque speciei originem nitide explicet. Haec adeo clara et vera sunt, ut nemo audeat in dubium vertere. His igitur utendum est in recta systematum classificatione, ut a proposito quemvis descivisse cognoscamus.

(1) In theologia naturali fortasse nobis veniet occasio disserendi de divino universi regimine, nec non de legibus, quas creator in rebus gerendis sequitur, quarum maxima et suprema est lex minimi medii.

CAPUT PRIMUM

LOGICA SYSTEMATUM IDEOGONIAE CLASSIFICATIO

267.° Classificatio systematum ea est singulorum in suas species divisio, qua invicem sive quo constent, sive quo discrepent, facile quis discernat. Duplex in id operis methodus praesto est; aut enim systematum principia, aut systematizzantium nomina ceu classificationis fundamenta aeque accipi possunt. Si primum, logica, vel intrinseca, si secundum, nominalis vel extrinseca classificatio exurgit. Uterque classificandi modus rectus suo genere est; ast logicus melior atque utilior. Nam haud raro contingit ut philosophi aetate et nomine plurimum differant, neque aliis se adhaerere clamitent, quorum tamen systemata funditus explorata, eodem inveniuntur ac caetera principio constructa, etsi aliter inde deducta. Id sane incommodi non habet classificatio logica, quae principia magis quam philosophos spectans, iuxta diversam principiorum naturam, placita disponit, quin eorum in posterum amplius immineat confusionis periculum. Quapropter, nominali relicta, logicam cogimur classificationem amplecti.

268.° Iamvero principia e quibus philosophi in idearum origine perquirenda profecti sunt, tria numerantur: 1.° alii meram ac nudam potentiam (quidam intellectivam quidam vero sensitivam) cognoscendi absque ullo cognitionis cuiusdam actualis primitivae et ingenitae germine admiserunt, quam pedetentim sensationes externae vel internae evolverent; 2.° alii intimius in hanc cognoscendi potentiam introspicientes, quaedam elementa congenita ceu cogitationis conditiones ipsi indiderunt, sic tamen ut quidam integra ac perfecta, quidam vero inchoativa et imperfecta, ac pene idearum *vestigia* tenuissima, ac rudimentalia, quidam demum ea ad instar quarumdam animae *formarum*, mediorum et instinctuum, quibus cognitio, quasi legibus subiectivis et instinctibus movetur ac agitur, menti indulserunt; 3.° tandem alii praeter potentiam, eiusque ingenita utcumque elementa instinctiva, lucem divinam in auxilium, nonnulli solum tamquam formam, alii ipsum Deum etiam utpote materiam et obiectum cognitionis, advocarunt.

Primae sententiae censentur quavis aetate sensistae, et ex nuperrimis, Lockius praesertim, Condillac, Destutt-Tracy, Laromiguiere, Reid, Galluppi, Mamiani, caeterique subiectivistae vulgares.

Secundae vero Cartesius, Leibnitius, Kant, Fichte etc. aliique subiectivistae transcendentales.

Tertiae denique (quoad secundam partem) Plato, Thomassinus, Malebranche, Schelling, Hegel, Cousin, Gioberti etc.

Haec inter adeo dissidentia systemata, tamquam inter extrema, media sternitur via, quam ss. Patres ingressi sunt, docentes, neque soli potentia cognoscitivae, neque soli lumini divino neque ceu Deo formae simul et materiae vel obiecto mentis, factum cognitionis humanae esse referendum, ast lumine divino et sensationibus simul coniunctis, quorum ultimae materia, primum forma sit. Nam primitiva rerum cognitio, ex qua caeterae dimanant cognitiones, duplici constat elemento, subiectivo (1), et obiectivo, materiali et formali: illud ex animo, istud ex divina luce hauriendum.

CAPUT SECUNDUM

EXPOSITIO AC CONFUTATIO PRAECIPUORUM SYSTEMATUM QUAE IDEARUM GENESIM EX SOLA ATQUE INDETERMINATA AC NUDA POTENTIA COGNOSCITIVA ANIMO INGENITA, DERIVANT

ARTICULUS PRIMUS

LOCKE

269.° Ioannes Locke, natione Anglus, ratus quod si aliquid cognitionis nobiscum ab nativitate gereremus congenitum, id iam profecto tunc temporis novissemus; aliud contra Cartesium ideas quasdam distinctas animo innatas tuentem, systema adstruxit tribus praecipue aristotelicis principiis constitutum, quod membratim hic refertur. 1.° Mens humana, initio sui inspecta, est instar *tabulae rasae*, in qua videlicet nihil, ne vel minima quidem aut levissima idea inscribitur vel pingitur, fere paries alba nullo tincta colore. 2.° Inest tamen ipsi virtus quaedam *incognita* cogitandi, quam Aristoteles intellectum agentem, ipse autem reflexionem nuncupat, quae in advenientes sensationes se torquens, ideas inde, mira quadam abstractione, educit, ac accidentalibus dimissis, in abstracta ac universalia sibi eas convertit. 3.° Propterea bini sunt fontes idearum; 1.° *sensatio*, cui ideae implicantur; 2.° et *reflexio*, quae sensationes veluti enucleat, ac ideas latentes in lucem trahit. Si ex ideis quaedam aderit ex hisce fontibus haud enata, ut spuria et illegitima reiici iussit; quod ipse omnium primus exemplo firmavit, ideam substantiae ceu chimaericam repudiando.

(1) Elemento subiectivo, idest sensatione includitur etiam extra-subiectivum, seu causa extrinseca sensationis, vel materia cognitionis, quae tum percipitur, cum sentitur, vel in subiecto sensitivo eius actio recipitur.

270.° Criticae animadversiones. 1.° Merito est Locke laudandus, quod Cartesium, quoad ideas innatas, erroris redarguerit, cum perspectum sit lumen tantum intelligibile, vel indeterminatam entium cognoscibilitatem seu ideam existentiae, nobis originaliter infixam esse. Nihilominus erroneum est principium conscientiae aut advertentiae, ex quo ipse proficiscitur, ac si omnium, quae in nobis fiunt, conscientiam semper habeamus; plura enim nobis intus accidunt, nulla eorum perhibente conscientia, ut optime Lockio obiecit Leibnitius. 2.° Innatismo cartesiano disiecto absurdum ipse systema suffecit. Nam nulla potest oriri aut agere potentia cognoscitiva, et ne reflexio quidem, quin saltem lumen aliquid intelligibile animo superaddatur, quemadmodum vel ipse Aristoteles postea agnovit, qui ut deficientiae systematis mederetur, lumen intelligibile adiunxit *intellectui agenti* (1). Iam siquidem multis ostendimus, animam naturam tantum sensitivam habere, atque tunc intelligentiam extrinsecus nancisci, cum lumine divino ipsa irradiatur; alioquin aeternitate frueretur idearum, quibuscum connectitur. Quatenus autem euiusmodi lumine divino originali dumtaxat perfunditur, atque nulla adhuc idea determinata fruitur, nihil probibet quominus vocetur tabula rasa propter indeterminationem homogeneitatem et indifferentiam istius luminis, in quo etsi deinceps clare ac distincte rerum ideae cernerentur, tunc temporis tamen nihil determinatum in eo conspiciebatur et delineatum. Atque ideo ss. Patres Thomas et Bonaventura, retenta intelligibili mentis illuminatione, similitudinem *tabulae rasae* peripateticorum minime abiecerunt, cuius potius verum sensum exponere curarunt. 3.° Praeterea quamquam praedicta fateantur, systema adhuc absurdis implicatur tum quoad reflexionem, quae cum sit rei recognitio, nequit in sensationem torqueri, qnin sensatio iam antea cognoscatur (2); tum quoad ideas, vel universalia, quae sensibilibus commisceri inepte prorsus Locke censuit (3). Nonne enim sensibilia et ideae invicem pu-

(1) Aristoteles tradit — experimentum praecedere universale quoddam quiescens in anima — ; quod sane est idea entis ut ipse subobscure innuere videtur. Post. L. 1. Cap. ultim.

(2) Lockio et Cartesio in opposita extrema seu in *sensationem* et *cognitionem reflexam* abeuntibus, cognitio media, vel directa ac simplex elabebatur cui inerat nodus quaestionis solvendus: sicque extra chorum, ut dicitur cecinit uterque.

(3) Forte in hunc errorem dilapsus est Locke duabus circumventus rationibus: 1.° quia ipse etiam cum sensistis opinatus est, ideas primo peculiares, postmodum universales evadere, cum contra certum sit, ideas etiam individuales natura pollere universali, ut in ideologia explicavimus: 2.° quia noverat veteres peripateticos docuisse primam rerum cognitionem ope abstractionis cuiusdam fieri, ut videre est penes s. Thomam. Ast quo sensu sit

gnaut? Nonne alia et plane adversa est eorum natura? Quo ergo pacto simul componi poterunt? Quomodo invicem mentis actione divelli? Numquid rebus non foret aeternitas praedicanda, si ideae aeternae sensibilibus ingerantur?

Urget ergo hoc systema triplex principium, quippe quod 1.° impetat naturam idearum, quas in sensibilia detrudit; 2.° minus necessario admittat, quam quod requiratur, cum reflexio ad sensum lockianum sit omnino insufficiens; 3.° nullius ideae, neque rerum sensibilium (ideam enim substantiae aperte ipse denegavit), quibus forma universalis cognitionis, neque rerum spiritualium, quibus materia sensibilis deest, originem tradat. Quos scopulos declinasset, si menti ideam existentiae impertitus fuisset, vel si solum advertisset perceptionibus intellectivis, vel iudiciis primitivis opus esse idea universali (1). Quam cum invenisset, illico didicisset 1.° ideam entis omnibus iudiciis primitivis utpote praedicatum immisceri; 2.° cognitionem potius a synthesi, quam ab analysi originem ducere, ideoque cum aliquid percipimus, mens nil inde abstrahit, sed potius adiungit, cum addat ideam entis; ideoque perceptionem rei praecurrere sim-

haec abstractio accipienda, et undenam usu venerit, ut cognitionem sensibilium, abstractionem vocaverint, in expositione doctrinae ideogonicae Angelici Doctoris ostendetur, ne idem pluries repetatur. Interim conf. comm. in Lib. de anima. Lect. VII — X.

(1) Monendum hic ducimus, sensismum tum Lockii, tum caeterorum philosophorum, ex eo processisse, quod creditum fuit in sensibilibus perceptis coexistere qualitates tam proprias quam communes, vel, ut ipsi aiunt, particularia et universalia, quae una cum sensatione apprehenduntur, atque deinde, abstractionis auxilio, invicem separata, originem praebent ideis peculiaribus et universalibus; quo absurdius nil profecto dici poterat. Nam coexistentia mutuo adversantium absolute repugnat. Deinde si sensibilibus individuis etiam universale copulatur; sibi ergo sensistae contradicunt, cum doceant, ideas prius dumtaxat peculiares, postea universales fieri. Demum, ideae, quas peculiares ipsi appellant, quid tandem sunt, nisi perceptiones intellectivae rerum, quibus idea universalis individuis adnectitur, ac si dicerem — en equus —? Porro eiusmodi perceptio sine idea universali equi numquam obtinebitur. Cum enim equum percipio, affirmo, ens perceptum ad classem vel speciem equi spectare: ideoquo utor ideae universali classis, vel speciei. Fateantur ergo nobiscum sensistae, elementum universale cognitionis sensibilibus non contineri atque in mente tantum existere utpote iudicii praedicatum universale; itemque insuper sensum neque esse, ut Aristoteli videtur, « parvulum fere intellectum ideis singularibus circumscriptum, qui postmodum in universalia extenditur »; quia vera et proprie dicta cognitio, obiectivitatem expostulat ac universalitatem, uti expresse ac crebro ipse decernit Angelicus.

plicem eius apprehensionem, seu eius ideae specificae, ex perceptione educendae, intuitionem.

ARTICULUS SECUNDUS

CONDILLAC

271.° Stephanus Condillac, Gallus, opus ab Lockio in re ideogonica susceptum, prosecutus est, quaedam in lockianum systema animadvertens, quae ferme totum immutarunt. Etenim 1.° reflexionem ceu supervacaneam reiecit, sola sensatione contentus, quam ceu unicum agnovit idearum ac facultatum intellectualium principium. 2.° Ast, inquit, prae caeteris sensationibus excellunt sensationes tactus, quibus magis eminet elementum extra-subiectivum, iisque, proprie loquendo, competit facultas iudicandi, atque propterea sensationes in ideas transformandi. Hanc tactilem facultatem, necnon eius obiectivitatem reliqui quatuor sensus participant, vix tactui referuntur. 3.° Interea, prosequitur, quamdiu res quocumque organo actu solum sentiuntur, nondum ulla eorum nobis idea illucet, sed sola experitur sensatio, quae ut primum transierit, atque eius solum superfuerit recordatio, tunc ipsa transmutatur in ideam, quae definitur = sensationis recordatio =. 4.° Idea propterea generatim quidam est conceptus repraesentativus rei extrinsecae, qui tum repraesentationis universalitatem assumit, quum alia ac alia obiecta ipsi comparantur ope iudicii, quod alibi — idearum comparationem — etiam appellat. Haec omnia empirice ostendit exemplo statuae cuiusdam insensitivae, quae primo rosae v. g. olfactu quasi excitatur, vitam et sensibilitatem acquirit, deinde sensim etiam intelligentiam, aliasque facultates intellectivas ex variis sensitivitatis transformationibus emanandas uti ex germinibus arbores.

272.° Haec, paucis, summa est systematis Condillac, quod nonnulli, ob illam sensationis transformationem, sensistico — dynamicum dixerunt, quodque alii sectati sunt, ut Destutt — Tracy, Melchior Gioia, Soave, et etiam partim ipse Cousin, cuius est haec sententia — iudicium sensationi insertum esse ut eius elementum intellectuale —.

273.° Animadversiones criticae — 1.° Condillac probe revera perspexit 1.° sensationes fere semper iudicia comitari propter identitatem animae sensitivae simulque intellectivae, atque 2.° iudiciorum virtute primas rerum notiones vel ideas adsequi; verum undenam iudicia eiusmodi? Ex sensatione, inquit, tactili. Praeceps sane et falsa conclusio, quae ut dispellatur haud necesse est multa adversus congerere, cum luce sit clarius, sensationem etiam tactilem (1), quae obscuris

(1) Sensatio quaedam tactilis in omnibus sensibus oritur, qui cum sentiunt aliquid, puta, gustant, vident, audiunt, etc. vi externa corporis semper per-

et prorsus subiectivis, sicut caeterae sensationes, animalitatis limitibus coercetur, plurimum ab iudicio in lumine veritatis prolato, discriminari; alioquin ingens differentia, qua homines a belluis dividuntur, tolleretur sic ut, vel homines brutis aequiparentur animantibus, vel animantia ad hominum attollerentur dignitatem (1).

Quod de iudicio, etiam de reliquis facultatibus intellectivis subintelligatur, quarum sive principium sive agendi modum, sive finem, sive obiectum inspiciens, tot invenies argumenta earum distiuctionis, imo oppositionis maximae respectu sensationis. Sola igitur non sufficit idearum genesi explicandae sensatio, etsi tactilis fuerit, quae aeque ac caeterae, passiva subiectiva, ac plane caeca est; ideoque tam iudicando, quam aliis sensibus potentiae iudicandi communicandae impar. 2.° Atque iterum; iudicia, quibus iuxta Condillachium ideae adipiscuntur, nullam ne expostulant ideam universalem praecedentem, quae ipsis praedicatum sit, atque forma? Iudicare enim, diximus, idem est ac affirmare, ens perceptum in aliqua specie cooptari, vel ipsum classificare; cui operi opus est idea universali speciei. Quod et ipse videtur nobis assentiri, iudicium in idearum comparatione collocando (2). Circulo ergo ipse circumagitur: — iudicia pariunt ideas; ideae autem generant iudicium —. Porro quorumnam ex bis primum? Iudicium an idea? En problema adbuc innodatum, quod tunc solveretur, cum tale ponatur systema, ubi ea ideis et iudiciis origo constituatur, qua iudicium ab ideis emergat, atque ex ideis, illa idea universalissima ingenita, ac ab omni iudicio independens caeteris praemittatur, quae omnibus sit iudiciis praedicatum. Eiusmodi vero est *idea entis* omnibus, ut vidimus, perceptionibus et conceptionibus comprehensa. 3. Inscite proinde Condillac ideam definit — elapsae sensationis recordationem — vel — sensationem revocatam —: sensatio siquidem revocata haudamplius

celluntur, atque eorum particulis tanguntur, et vellicantur. Non video ergo cur ipse aliis sensationibus iudicium abstulerit in quarum fundo, pene dixerim, iacet semper quaedam sensatio tactilis: aut omnibus igitur aut nullis sensationibus est iudicium concedendum: aat omnibus ipse renuat, ergo ne sensationi tactili quidem cum par sit ratio utraque parte.

(1) Forte Condillac Aristotelis sententiae deceptus est, qua etiam sensibus iudicium tribuitur. Verum iudicium sensibus collatum aliud non esse, quam — discretionem (un discernimento) instinctus animalis iucunda sibi ab iniucundis secernentis —, patet ex eo quod Aristoteles itidem docuerit — iudicium sensus sine affirmatione et negatione esse —; ideoque iudicium improprie dictum. Lib. III. de anima.

(2) Hanc tamen iudicii definitionem minime subscribimus, cum quaedam proferantur iudicia unius tantum ideae, quae ceu praedicatum sensationibus tamquam subiecto applicatur, et dicuntur primitiva.

sensatio est, sed sensationis idea, quemadmodum aliud est dolor, aliud idea doloris, secus cum doloris transacti recordamur, eodem iterum torqueremur. Deinde quae recordantur, prius iam noscebantur, idest ideis mediantibus percepta vel apprehensa antea fuerunt; alias haud reminisci, sed percipi vel intueri dicerentur (1). 4.° Ideas neque sensationibus includi, aut inde prodire, neque ex peculiaribus universales fieri, alibi sat fuse demonstravimus, ubi divinam idearum naturam contingentiae sensationis, rerumque externarum adversam declaravimus. Hinc comparatio rerum cum ideis tantum abest ut ideis necessitatem et universalitatem impertiatur, ut potius ostendat, eisque utatur.

274.° Ex quibus eruitur hoc systema tribus etiam praestitutis principiis refragari. Et quidem 1.° reluctatur naturae idearum, quas sensationibus immiscet, iisque nativam universalitatem aufert. 2.° Minus quam quod opus sit genesi idearum explanandae statuit; ex sensatione equidem materia, non forma praebetur cognitionis, in quarum ultima solum moratur idea. 3.° Nullius, ut Lockius, ideae originem exponit, idque notescit per idealismum et scepticismum inde postmodum deductum, quibus sive impediendis, sive refellendis legitimae unius superfuisset ideae origo, quae proculdubio ad veritatem et obiectivitatem cognitionis perduxisset. Atque ideo problema ideogonicum — quomodo fiat iudicium primitivum — implicitum adhuc et insolutum relinquitur.

ARTICULUS TERTIUS

LAROMIGUIERE, GALLUPPI (2)

275.° Petrus Laromiguiere, patria item Gallus, cum sensationem cognitionis germinibus omnino vacuam deprehenderit, lockianam do-

(1) Id insuper habet hoc systema absurdi, quo labefactatur, quod nimirum totum incumbat transformationi sensationis, quae aliunde utpote simplex et indivisibilis nullimode transformari potest. Ea siquidem transformari aestimantur, quorum elementorum forma et status mutatur, ut cum chrysaliis fit papilio. Simplicia contra partium expertia sunt immutabilia, et simplicissima etiam quoad modum existendi.

(2) His connumerari possunt plures alii, puta Mastroffni (L'anima e i suoi stati), Mamiani (Rinnovamento ec.), Vincentius de-Gratia (Prospetto etc) qui in eo unanimes sunt, ut ideas in animae modificationes, configurationes, actus, modosque convertant, easque plane subiectivent. Saepe quidem obiectivitatem ideis adsignant, atque obiectivas vocant, sed eo sensu quod sunt ipsae res externae perceptae: idcirco nonnisi falsam ideis indulgent obiectivitatem, quae verius extra-subiectivitas diceretur. Vid. quae diximus de natura obiecti in gnoseologia, et alibi passim.

ctrinam instaurare rursus aggressus est, ac duos similiter ideis fontes restituit, ita tamen, ut actum mentis se in sensum flectentis potius quam reflexionem, maluerit meditationem nuncupare. Cuius haec forent munera praecipua: 1.° analysim sensationis suscipere, et si quae elementa in ipsa dividenda nancisceretur, secernere, ac singillatim expendere. 2.° Elementa adeo invicem distincta ut ideas spectare, quas definit — sensationem ab aliis sensationibus distinctam —.

Iis consentit Galluppi, qui itidem tenet: 1.° sensationem duplici coalescere elemento, principio sentiente, ac termino sensibili externo, idest ut inquit, obiectivitate gaudere. 2.° Analysis actione bina haec deinceps distingui. 3.° Qua in analytica operatione comparari cognitionem proprii *ego*, atque etiam ideas intuitivas vel obiectivas, quae scilicet obiecta externa includunt, atque apprehendunt; ex quibus iudicium de earum subsistentia profluit. Quapropter si, accepta sensatione, experitur — *ego* modificatum — postea, analysi superveniente, *ego* ab suis modificationibus distinguitur, et infertur extrinseca modificationum caúsa, seu percipitur vel affirmatur agens externum. Iuxta Galluppi igitur testimonium conscientiae referentis me — sensibilium impressione modificari — factum primitivum est, indemonstrabile, et origo omnium cognitionum. Differt tamen Galluppi ab Laromiguiere quoad ideas, ut ipse ait, subiectivas, quales sunt ideae abstractae, quibus deest obiectum reale, ac tuetur contra Laromiguiere eas, nonnisi ope synthesis plures simul ideas iam habitas comparantis, obtineri, iisque pariendis imparem prorsus esse analysim. Ideae ergo obiectivae analysim, subiectivae autem synthesim postulant. Laromiguiere autem analysim utpote unicum idearum acquirendarum medium tantum obtrudit.

276.° Animadversiones criticae 1.° Quibus superius Locke rationibus profligavimus, iisdem et Laromiguiere atque Galluppi possent pariter erroris reprehendi ac refutari. Absque enim lumine intelligibili menti illucente, nulla (ne analysi quidem excepta) intellectiva facultas cuiusque nominis locum habet; imo ne vel ipse quidem intellectus, quem facultatem intuendi lumen rationis alibi definivimus. 2.° Neque propterea regeras ideas ex sensationibus ope analysis prosilire: nam sensatio, quamdiu non adnectitur lumini intelligibili, penitus latet, atque solum exhibet caecam cognoscendi materiam omnimoda intelligibilitate carentem, ex qua propterea numquam poteris analysi, ideam, quae rei intelligibilitas est, educere: — nemo enim dat quod non habet —. 3.° Ast elargiatur etiam ideas quasdam e sensatione fore gignendas, quid tamen inde? Num aliae et propemodum infinitae non habentur ideae abstractae, quibus nullum sensibile suppetit obiectum simile? Earum autem quaenam erit origo? En defectus maximus et irreparabilis. 4.° Qui sane minime suppletur ta-

metsi ad synthesim galluppianam convertamur, quae non posset plura simul complecti, atque eorum relationes attingere, quin termini relationum, atque eorum communis mensura praenoscantur; qua in praenotione iam evidentissime supponuntur adeptae ideae terminorum, eorum mensurae veluti synthesis, vel comparationis fundamenta, quibus pariendis impotens fuisset praevia analysis, uti ostendimus. Iisdem itaque salebris haeret synthesis ac analysis, quousque ab anima quaevis idea innata, omnibusque operationibus mentalibus praemittenda, divellatur. 5.° Demum distinctio idearum in subiectivas et obiectivas adeo Galluppi familiaris, absurda est, ac in scepticismum et in sensismum ineluctabiliter proclivis: in scepticismum, quia si ideae abstractae subiectivae sunt, idest ex ipsa animi substantia, vel potentiis manantes, iis scatent defectibus, seu contingentia, mutabilitate, finitate etc. quibus animus constringitur: ideoque nil certum, necessarium, immutabile menti, scientiaeque erit, sed mutabilitas, incertitudo, fluxusque perennis. In sensismum, quia si ideae subiectivae realitatem physicam continent, ab sensibilibus non secernuntur, quae sensu percipiuntur. Ast circa veram idearum obiectivitatem recolendum est quod alibi diximus de cognitionis obiecto, et de distinctione ideae ab iudicio de rei subsistentia, cui solum, non autem ideis, competit realitatem apprehendere atque involvere.

Cum triplici ergo praefato principio etiam utrumque systema pugnat, utpote idearum naturae indecorum, atque earum origini indigitandae propter mediorum deficientiam incongruum (1).

ARTICULUS QUARTUS

REID

277.° Lockianismo iam, Berkeleio et Hume impellentibus, in idealismum ac scepticismum corruenti, novum Thomas Reid, Scotus, systema sensu communi erectum suffecit, cuius, haec capita sunt praecipua. 1.° Mentis humanae actio, qua primo, directe, ac immediate realia cognoscuntur, haud simplex est lockiana apprehensio, sed, ut sensus communis suadet, iudicium; cuius 2.° tria dumtaxat recensentur elementa, subiectum cognoscitivum, actus cognitionis, et res cognita; 3.° proinde ideae velut cognitionibus minime

(1) Galluppi caeteris profundior interdum suspicatus est iudiciis fortasse necessariam fore, ideoque ingenitam ideam existentiae, tametsi expresse id non declaraverit; imo suorum temporum doctrina irretitus, in sensismum iterum ceciderit, atque cum d'Alembert, Falletti consenserit, ideam eiusmodi per abstractionem fieri (Critic. della conosc. tom. I.).

inservientes, ac plane inutiles, amandande (1). 4.° Cui tamen iudicio tria, priusquam proferatur, praecurrere debent, impressio organica, sensatio et perceptio, invicem prorsus seiuncta, dissimillima, atque opposita, ita ut unum independenter ab altero quadam sibi intrinseca atque singulari virtute singulatim excitetur, etsi ob, fere dixerim, successionem praestabilitam, unum alterum excipiat. 5.° Quibus semel positis, activitate animi naturali, enascitur iudicium de rerum subsistentia, quod ideo arcanam, et quasi ignotam naturae suggestionem, cuius perperam ratio exoptaretur, appellat. 6.° Rebus iudicio perceptis, subsistentia quavis vel praesenti vel praeterita ope abstractionis detracta, iisque in mera idealitate, vel possibilitate conspectis, id exurgit, quod simplex rei apprehensio, aut idea dicitur, imaginationi exhibenda.

278.° Animadversiones criticae — 1.° Indubium est, et quidem sensu communi acceptum, res primo cognosci, cum earum realitas sensu experta, percipitur intellective, vel affirmatur; qua peracta affirmatione, ideam inde earum formari. Ast, iudicium sine ideis confici ne poterit? Quid enim tunc iudicatur? quidve affirmatur? Profecto, rem hoc vel illo modo existere. Ergo saltem idea entis intervenit huiusce iudicii formationi. Neque opponas — iudicium istud arcanum esse — quia arcana, veritates sunt, non absurda; iudicium porro sine ideis absurdum est, et impossibile. 2.° Quamobrem analysis iudicii primitivi imperfecta est, atque tribus memoratis elementis quar-

(1) Reidianam ideophobiam plures subscripsere: Dugald-Stewart, Elvetius, Bonald, Smith, Mamiani; quorum primi haec digna sunt quae notentur. 1.° Obiectum cognitionis aut individuum vel reale, aut universale vel abstractum est: neutro in casu ideis indigemus; non in primo, ubi individuum, non in secundo, ubi simplex nomen vel vocabulum habetur. 2.° Hinc species et genera tot sunt vocabula, quae universalia videntur, cum pluribus individuis comparantur. Quibus respondemus: primo, ideas ab vocabulis distingui iam sat superque probatum fuit contra nominalistas, quorum nunc temporis ipse dux est; secundo, falsum est vocabulorum universalitatem ex eorum consequi applicatione; nam dantur nomina, quae etsi in infinitum applicentur, universalia numquam evadent: eiusmodi sunt nomina propria, uti Petrus. Quaedam contra, licet multis individuis non applicentur, universalitate pollent, ut homo, quae vox tam Adami aetate, quam postmodum semper universalis habita fuit, quia ideam universalem, vel essentiam hominis refert. Rursus, quomodo comparationes, quomodo species et genera fieri possunt, nisi mensura praehabeatur universalis, cui individua exiguntur? Demum, universale id dicitur, quod non equidem collectioni, sed singulis individuis convenit. Quare numerus collectivus, puta 100, peculiaris est, vox autem animal, universalis, quia ille determinatam collectionem ista autem individua animantia indefinite significat. Suis ergo principiis cogitur Dugald-Stewart idearum existentiam agnoscere, aut totum suum evertere systema.

tum est praeterea adiungendum, idest idea entis, tamquam iudicii praedicatum. « Res enim cognoscuntur, inquit Angelicus, ex additione ad ens » (1) « et unumquodque in quantum habet de esse, in tantum est cognoscibile » (2). Hinc: « ad cognitionem duo concurrere oportet, scilicet apprehensionem rei (ideam) et iudicium de re apprehensa (iudicium) » (3). 3.° Errat similiter quum impressionem, sensationem et perceptionem adeo invicem seponit, ut independenter producantur: nam lege commercii, principium sentiens adigitur ad ea sentienda quae organa afficiunt. Ergo impressio organica arctissime cum sensatione, cui occasionem porrigit, unitur. Item tam identitate subiecti cogitantis, sensitivo — intellectivi, quam identitate rei in utraque forma ideali et reali, ratio coacta, non potest sensatione rei extrinsecae perceptionem cohibere, cum ideo lumen rationis, vel ideam entis receperit, ut sensationibus eam applicet, vix organa sensibilibus exstimulantur; atque proinde ipsi molestius est se ab ipsis percipiendis abstinere, quam ea percipere; sed neque item poterit perceptionem recusare, cum haec naturalis sit, ac spontanea.

Quam propensionem ex elemento extra-subiectivo sensationis, vel perceptione sensitiva excitatam, cum minime Reid conspexisset, nimius, quam opus esset, sensationem a perceptione intellectiva diremit. Id sane vidit Galluppi, qui tamen in extremum oppositum deflectens, sensationem cum perceptione miscuit: at utrinque error. Reid enim perceptionem *sensitivam* praeteriit, qua perceptio intellectiva sensationi nectitur; Galluppi contra perceptionem *intellectivam* omisit, vel totam in sensatione conclusit. 4.° Tandem, si ideae non existunt, eccur postea ipse imaginationi entia idealia indulsit?

Hinc infertur Reid neque idearum naturae, neque mediis congruis earum origini sat prospexisse, ideoque triplex pariter principium violasse.

Animadversio generalis in systema hactenus reiecta.

279.° Duplex veluti probatissimum in praedictis systematibus assumitur postulatum caeteroquin data opera probandum; atque hinc eorum gratuitae suppositiones, ex quibus falsitas emergit. Nam 1. postulant, ut statuatur animae potentia cognoscitiva eo modo insita, quo animantibus vis sensitiva, et vegetabilibus, vegetativa, quae intrinseca, ac necessaria activitate posita sensibilium impressione, aut phantasmatum reproductione, cogitet, iudicet resque percipiat. Atque ideo immerito haec thesis tamquam apodictica ipsis permittitur:

(1) De verit. I. art. I.
(2) S. I. XVI, III — S. I. LXXIX, IX, — intellectus respicit rationem entis.
(3) De verit. X, VIII.

— mens sibi ingenita ideas cudit —. Potentia enim cognoscitiva nonne accurato erat prius examini subiicienda, ut innotesceret quae elementa contineret, et an praeter subiectum cognoscitivum, aliquod ipsi adderetur obiectum? Paucis, facultas isthaec numquid magis subiectum non est, quam solutio problematis ideogonici? Hominum etenim, non vero belluarum ideo inquiritur idearum origo, quia profecto primis, non secundis insidet facultas cognoscendi. Ergo facultas eiusmodi initium est, non exitus quaestionis, atque nonnisi per sophisma ignorantiae *elenchi* in quaestionis solutionem convertitur. 2.° Postulant, ut supponatur post sensationem statim perceptionem consequi, atque ideas rerum acquiri, sicque deinceps alias ideas abstractas, adhibitis mentis facultatibus, orituras. Verum hic interponitur saltus maximus. Prae caeteris inquirendum arbitramur, quomodo, accepta sensatione, prima cognitio, seu rei perceptio suboriatur; quaenam sint eius elementa? quae leges? quod obiectum? quae facultas? Quibus praetermissis, numquam sperandum est fore ut quandoque cognitionis essentia, atque idearum origo cognoscantur. Quocirca sensistae qui sensationi, et subiectivistae qui cognitioni reflexae (ego sentio, ego cogito) solum studuerunt, aureum medium quo clavis omnium quaestionum continebatur, scilicet cognitionem simplicem, vel directam ac perceptivam praetergressi sunt, atque in omnes errores praecipites fato miserrimo ruerunt.

CAPUT TERTIUM

SYSTEMATA QUAE POTENTIAM SIMUL ET OBIECTUM COGNITIONIS COMPLECTUNTUR, IN QUIBUS PROINDE MULTA SIVE DEFECTU IN QUALITATE SIVE EXCESSU IN QUANTITATE OBIECTI AFFIXI, PECCANTUR

ARTICULUS PRIMUS

LEIBNITIUS

280.° Godofredus Guillelmus Leibnitius, Germanus, Lockium, qui innixus potissimum silentio conscientiae circa ideas innatas, cartesianum innatismum pessumdederat, impetit, sibi aliisque rei ideogonicae percupidis, quoddam systema concinnando tribus praecipue principiis eductis ex potentia generatim, ex suarum monadum natura, demum ex crebro nostrarum affectionum conscientiae defectu, suffultum, quod sic summatim disponitur. 1.° Potentia cognoscitiva, quemadmodum caeterae cuiusque generis potentiae, haud nuda, inquit, et simplex facultas est actionis penitus expers, sed actus primus, immanens, ac originarius cognitionis, mox in alias cognitiones specia-

les ceu in actus secundarios, datis in adiunctis, egressurus. Potentia enim cognoscitiva, quae nihil plane cognosceret, ac omnium idearum vacua foret, non esset nisi mentis figmentum, abstractio existendi incapax. 2.° Si igitur facultas cognoscitiva actus iam est cognitionis primigenius, ipsi ea sunt omnia obiecta cognitionis, idest ideae infigendae, ad quas postmodum sese porriget, ne ullus actus secundus sine primo oriri videretur (1).

3.° Eiusmodi vero ideae originariae, perfectae non sunt, atque distinctae et undique evolutae, ast ad instar germinis implicatae, et quasi imperfecta lineamenta quaedam, uti venae in marmore hominis figuram describentes, quae propterea rectius virtualitates, dispositiones, vestigia, habitudines, et perceptiones insensibiles, ac pene incospicuae dicerentur. 4.° Quamdiu ideae sic seminaliter menti delitescunt, nulla earum adhuc habita conscientia, inconsciae et obscurae sunt quarum semel conscientia exorta, apperceptiones seu consciae fiunt. 5.° In hanc conscientiae lucem ut tandem adducantur singula idearum germina, vi quadam occulta ac instinctiva agitantur, ac successive sensim evolvuntur, quousque tandem in ideas claras, distinctas, et perfectas non excreverint. 6.° In quam idearum congenitarum sententiam Leibnitius nedum potentiae natura illectus, verum etiam principiis suae monadologiae ducebatur; quippe qui statuerat, mundum ex pene innumeris invicem distinctis monadibus, vel elementis simplicibus componi, quorum cuilibet initialis ac pene rudimentalis inseritur universi repraesentatio, (*schema monadis* nuncupata) per continentem graduum seriem explicanda. Quare anima, quae una ex monadibus est, eodem etiam schemate donatur ex praedictis idearum seminibus contexto.

281.° Animadversiones criticae. 1.° Leibnitius iure cum sanioribus ontologis docuit potentias cuiusque generis, ideoque et psychologicas, non vacuas, inertes, et inanes facultates, sed *actus esse primos*, atque immanentes. Atque idcirco s. Thomas, hoc principio praemisso, quod scilicet « nihil agit, nisi secundum quod est actu » (2) deducit animam sive qua sensitivam, sive qua intellectivam, in quodam semper actu primordiali sensitivo vel intellectivo constitutam esse, cum ipse de sensitivitate loquens saepe dixerit « sensus in actu

(1) Ideo animum vocat — mappam cosmographicam — propter universi in eo infixam repraesentationem. Quoad naturam seminum idealium non sat sibi constat Leibnitius, qui modo obiectiva esse censet, et cum Scaligero semina aeternitatis vel Zoopyra appellat; modo subiectiva, cum alibi virtualitates, et dispositiones vocet. Verum in utroque casu tam qualitate, quam quantitate etiam falleretur.

(2) S. I, LXXVI, I. — S. I, II, II.

est sensibile in actu ». Quod pariter de intelligentia repetit dicens « intellectus in actus est intellectum in actu » (1). Porro si animae tum sensus quum intellectus iugiter, ceu eius vita, insunt; ergo ipsi sensibile et intelligibile quoddam primitivum adhaerent. Eidem consonat Marsilius Ficinus, qui ait « prima vis animae mens est, cuius actus est perpetua (non ergo momentanea et accidentalis) contemplatio veritatis ». Quam tamen veritatem ontologicam cum Leibnitius ratiocinio potius ex altissimis ontologiae principiis deduxerit, animaeque per modum magis consequentiae tantum applicuerit, quam apposita cognitionis analisi invenerit, factum est, ut ipse qualitati, et quantitati obiecti cognitionis male item prospexerit, atque menti ideas plane subiectivas, vel saltem incertae naturae, ac plures quam fuissent necesse constitutioni ac evolutioni facultatis cognoscitivae, indiderit. Analytica quippe observatione compertum est, intellectui unicam sufficere ideam, ceu lumen vel medium universale ac simplicissimum cognoscendi, idque obiectivum, idest menti penitus extraneum, atque oppositum. 2.° Verum iterum est, plura quandoque nobis intus accedere facta, quin ea advertamus; ast etiam post studiosissimam ac intensissimam animadversionem numquam conscientia nobis edidit, illa in animo vigere ac florescere Idearum germina, ut ipse adstruit. Id unum nobis tandem admonet conscientia nos facultatem gerere indefinitam ac pene illimitatam cognoscendi *quod quid ens est*, aut ad ens spectat, quia obiectum mentis est *ens in genere*. 3.° Quoad demum simplicitatem, evolutiones, repraesentationes, perceptiones et schemata monadum, cum omnia gratis conficta sint, gratis respuuntur, eoque magis quod perceptio utpote actus intellectivus non possit (quin ingruat pantheismus et fatalismus) congruere monadibus corporeis, simplicitate et intelligentia, neque monadibus animalibus, mente carentibus, tribui. Triplici ergo principio etiam hoc sistema adversatur.

ARTICULUS SECUNDUS

KANT (2)

282.° Emmanuel Kant de Köenisberga in Prussia opus Ideogonicum ab Reid adversus idealismum Hume, et scepticismum Berkeley,

(1) S. I, LXXVI, IV — S. I, LXXXVII; I, ait: « intellectus humanus fit in actu per speciem rei intelligibilem (ideam) ». Hinc cum ipse doceat — intellectum esse per se cognoscibilem — ly *intellectus* significat obiectum, vel ideam intellectam, non ipsam facultatem intelligendi, quae non equidem per se, sed per eius ideam etiam intelligitur.

(2) Kant adhaesit eius discipulus Fichte, qui a pura animi activitate cognoscitiva omnia traxit, *ego*, *et non ego*, seu mundum et ipsum Deum; ipse

lockianismi surculos, coeptum, enixius prosecutus, novum adornavit systema, quod analogia aristotelica *recipientis*, necnon falsa cuiusdam divi Thomae sententiae (1) interpretatione totum ferme elaboratum videtur. Id nobis, maiori qua fieri potest claritate, est hic summatim afferendum, ut nedum eius elementa, verum etiam principium, quo discessit, ordo quem tenuit, ac finis demum tristissimus, idest rationalismus, in quem tandem erupit, nitide clareque adolescentibus pateant, quibus nil, aevo maxime nostro, utilius est, quam scatebram hanc omnium ferme nunc temporis errorum, dignoscere, quibus eis cavendum est (2).

1.° Kant, controversias ideogonicas lockianos inter et reidianos diremptarus, iudex sedit, atque lockianis concessit omnes cognitiones per experientiam quidem menti illucere, non tamen omnes ab experientia progigni, cum multae sint universales ac necessariae, vel a priori, quae nonnisi ab arcana et complexa mentis activitate iudicante, a reidianis iam adumbrata, prodeunt, quaeque tunc distincte elucent, quum sensibilibus ope activitatis iudicantis adnectuntur. 2.° Quare duplex est in quavis cognitione elementum probe secernendum, *materia* et *forma;* illa mutabilis, contingens, empirica et a posteriori; ista immutabilis, necessaria, rationalis, et a priori. 3.° Quaenam et quot sint elementa eiusmodi a priori, nonnisi recta iudiciorum analysi et classificatione tute deprehendi potest. 4.° Porro iudicia duplicis generis censentur: sunt quae analytica vel a priori, sunt etiam alia, quae synthetica vel a posteriori vocantur. Priora ea appellat, quorum attributum est intrinsece subiecto identificatum, ut si diceretur—Deus est aeternus —. Praedicatum —*aeternus*— subiecto —*Deus*— essentialiter includitur. Posteriora ea aestimantur, quibus attributum accidentaliter unitur subiecto, veluti—corpus est grave—; gravitas haud necessario corpori competit, atque ut, an corpori competat, cogno-

tamen in eo differt, quod Kant mundi realitatem dubiam tantum reliquerit dicens — nos an existant noumena vel entia nescire —; Fichte contra eorum subsistentiam abiecit, atque in purum cognitionis figmentum redegit.

(1) Sententia Doctoris Angelici, qua ipse abutitur, haec est: « tales facit eas (intellectus agens species intelligibiles), qualis est ipse: nam omne agens agit sibi simile ». Contr. Gent. II, LXX, VI.

(2) Rationalismus duplex est, alter philosophicus, alter theologicus. Ille bifariam adhuc dividitur, in dialecticum vel cartesianum, qui assensui ideam claram et evidentem semper exigit; et in metaphysicum, vel hegelianum, qui ideis realia absorbet, atque ideas tantum existere et cognosci docet. Rationalismus autem theologicus ideis nedum contingentia, sed et divina, puta mysteria fidei, subiicit, adeo ut nil praeter ideas mente conspectas, subsistat; ideoque solis ideis est credendum, soli rationi ideis fultae fidendum. Uterque porro rationalismus germanum est Kantismi corollarium.

scatur, necessum est experientiam adire. 5.° Rursus cum synthesis praecedat analysim, consequitur, praeter iudicia synthetica a posteriori, praehaberi quoque iudicia synthetica a priori in quibus praedicatum neque subiecto necessario continetur, neque suffragante experientia ostenditur subiecto utcumque adiungi, cuiusmodi haec sunt ex gr. — 7 + 5 = 12 —, — linea recta est omnium brevissima duo inter puncta decurrentium —; — effectus suam arguit causam —; aliaque id genus perplura, quibus scientiae rationales et naturales abundant. 6.° Positis ergo hisce iudiciis, quorum scilicet praedicata neque analysi subiecti, neque experientia probentur subiectis inclusa aut coniuncta, concludendum venit praedicata eiusmodi a mentis activitate produci, atque, sensationum occasione, suppleri, cum haec iudicia synthetica a priori proferuntur. Hinc quaestio ideogonica tota hic recidit, quomodo, videlicet — explicetur formatio indiciorum syntheticorum a priori —. 7.° In hunc finem collatis viribus, analysim praefatorum iudiciorum instituit, atque, ut sibi visus est, quaedam praedicata a priori adnotavit; quibus peractis, decrevit — septendecim detexisse formas animae congenitas, necessarias et universales, quibus mens in rerum perceptionibus necessario utitur, suntque leges transcendentales, vel elementa activitatis animae cogitantis —. 8.° Earum duae sunt visiones purae sensibilitatis, una, idest tempus, ad sensum internum, altera, seu spatium, ad sensum externum, spectans. Scientia, quae iis studet, vocatur aesthetica transcendentalis. 9.° Ex reliquis formis, duodecim, quas more aristotelico, categorias, vel conceptus universales et fundamentales appellat, intellectui inseruntur, quibus semper, cum aliquid cognoscitur, utendum est; atque in primis ipsarum quatuor primariae sunt, idest qualitas, quantitas, relatio et modalitas, quarum singulae in tres subdividuntur formas secundarias, quae pro qualitate sunt realitas, negatio, limitatio; pro quantitate, unitas, pluralitas totalitas; pro relatione substantia, causa, actio cum eorum correlativis; pro modalitate, possibilitas, existentia, necessitas. Quamobrem aliquid cognoscere aliud tandem non est, quam id in data qualitate, quantitate, relatione et modalitate considerare, vel classificare. Scientia de locis formis nomen analyticae transcendentalis obtinuit. 10.° Demum tres ultimae veniunt, formae absoluti nuncupatae, quas Kant rationi, utpote facultati *absoluti*, vel ex principiis certis consequentias inconcussas deducenti, indulsit, atque sunt *to ego, mundus, Deus;* harum doctrinam vocavit — dialecticam transcendentalem —. 11.° Hisce porro categoriis universalibus intellectus cum forma temporis, ope phantasiae transcendentalis, coniunctis, *schematismus* conficitur, aut *schema* seu imago generalis, quae medium inter categorias puras, et obiecta concreta experientiae, locum tenet, indeque paulatim, per phantasiam empiricam, magis magisque determinatur,

donec sensationis interventu, ad singularem et plenam rei *sensibilizzationem*, ut ait, vel individuationem non perveniat (1). Sic, primo formatur triangulum genericum (schema primitivum); postea triangulum specificum (imago); tandem triangulum individuale (sensibilizzatio). Atque hinc propterea experientia et mundus externus a spiritu humano categorias intellectivas cum formis subiectivis sensitivitatis copulante, procreantur. 12.° Quapropter mundus pront nobis obversatur non est nisi apparens vel phaenomenicus, ut qui in sensus externos, quasi in quaedam specula, reflectens, trans organa, veluti obiecta post speculum, conspicitur, quamquam reapse illic non existat. 13.° Quem tamen idealismum horrescere videtur Kant, subiungens, nos quidem mundum, prout nobis apparet, seu in quantum phaenomenicum, cognoscere; an autem ipse existat reipsa, necne, nobis incompertum esse, cum non liceat limites subiectivos cognitionis, vel formas intellectus et sensus transilire. 14.° Tandem, si qua nobis est virtus realitatem vel noumena pertingens, haec ad rationem pertinet, non quidem theoreticam, quae phaenomenis etiam volvitur, sed ad rationem practicam, qua ineluctabiliter credimus aliquid deforis existere, quamquam id firmiter probare nequeamus per argumenta. Hoc est systematis Kantiani compendium (2).

283.° Animadversiones criticae — 1.° Quoad ea, quae ex Lockii et Reid penu depromta sunt, rationibus iam adversus eos congestis est etiam hoc systema convellendum. 2.° Ut autem propius accedamus, cuique notum est, Kantismum totum suppositione iudiciorum syntheticorum a priori laborare, atque eo tantummodo contendere, ut eorum comperiat originem. Ast haec suppositio gratuita sane est, imo et absurda. Neque proinde quae ipse protulit in medium, iudicia, syntheticis a priori cooptantur, sed analyticis. Manifestum est enim, in linea recta (subiectum) maiorem iam includi brevitatem (praedi-

(1) Animadverte sensationem, quae iuxta Kant rem *individuat*, extra animae limites sese minime porrigere, ac prorsus subiectivam esse, idest ineptam rei externae attingendae. Hinc cohaerenter Kant tuetur — noumena ignorari propter impotentiam sensationis foras exiliendi, ideoque individuationem praedictam phaenomenalem esse —. Scepticismum ergo olet, quamquam inter dogmatismum et scepticismum se consistere posse stultissime rebatur.

(2) Hoc systema variis nominibus solet nuncupari, formalismi videlicet, transcendentalismi, criticismi, et rationalismi germanici. Dicitur *formalismus* propter allatas formas; *transcendentalismus*, quia hasce formas a priori esse tuetur; *criticismus*, quia rationem humanam ad examen, vel ad censuram revocare praesumit, quasi ipsi, praeter lumen rationis, aliud affulgeat lumen naturale certius ac evidentius; *rationalismus germanicus*, quia revelationem divinam tam externam quam internam tollit, atque spem, ac fidem in sola caeca ratione esse ponendam Germanicus iste tuetur.

catum); in effectu (subiectum) causam implicari; in binis summae *factoribus* (subiectum) eorum summam (praedicatum) coexistere; et ita porro de aliis iudiciis, quae ipse syntheticis a priori accensuit, atque omnibus fere scientiis inserta evulgavit. Quae cum ita facillime basis suffodiatur systematis, totum et superaedificatum aedificium suo pondere premitur et dilabitur. 3.° Nihilominus ex tot supposititiis iudiciis unum erat veri nominis syntheticum a priori, atque illud, quo rei subsistentia percipitur vel affirmatur bis fere verbis — aliquid existit hoc vel illo modo —. Quod utique iudicium prae caeteris notatu dignum fuisset, quippe quod primas rerum generet cognitiones. 4.° Non tamen ad sensum Kant est syntheticum dicendum, sive quod eius praedicatum unicum est, simplicissimum, obiectivum, a priori, idest idea existentiae, vel entis, sive quod etiam praedicatum non identificatur subiectis vel rebus sensu perceptis, tamquam pars subiecti indivisa et integralis, sed ipsis unitur eo modo, quo idea adiungitur, vel potius refertur realibus, vel lux visibilibus, aut exemplar eius imitationibus; quia quod homo sentit vel experitur realiter in sensu, contemplatur item in idea, adeo ut sub duplici distincto et incommunicabili modo eamdem rem attingat, idealiter et realiter, atque secum ipse dicat — quod mente tantum virtualiter et implicite cognoscebam qua ideale, modo id sentio realiter et actu existere —. Cuius rei identitatis in utroque statu, ideali et reali, cognitionem, iam probavimus provenire ab unitate animae sensitivo-intellectivae, quae eodem tempore sentit et intelligit. 5.° Iudiciis syntheticis ad unicum obiectivum, et a priori redactis, eorum quoque praedicata vel formae subiectivae ad unicam formam obiectivam restringi debent, cuiusmodi foret idea entis, omnium simplicissima, immutabilis, universalis, obiectiva, a priori, omnibus iudiciis necessaria, ut alibi clarius etiam ostendetur. Nam intellectus unicus et simplicissimus est; ergo et unica, eaque simplicissima eius sit forma opus est. « Impossibile est, inquit s. Thomas, simul multa primo et per se intelligere: una enim operatio non potest simul multis terminis terminari » (1). 6.° Id quam verum sit, levi in humanam cognitionem observatione colligitur. Enimvero ut aliquid evadat obiectum cognitionis, necessum non est ipsum sub data quantitate, qualitate relatione (2), et modalitate

(1) Contr. Gent. L. XLVIII.

(2) Aliae sunt conditiones rerum subsistentiae, aliae earum perceptionis. Res contingentes equidem, ut subsistant, debent determinatam gerere qualitatem, quantitatem, relationem, modalitatem, non tamen cogimur eas cum hisce proprietatibus semper et ubique, et necessario percipere, cum quisque possit concipere eas in genere absque ulla peculiari qualificatione. Ergo datur cognitio sine hisce formis, quas aliunde Kant vellet necessario atque essen-

concipi, sed sub ratione entis, vel existentiae, quo semel ita concepto, concipiuntur simul eius proprietates quantitatis etc. si aliquas earum tamen habet. Diximus, si aliquas habet, quia neque verum est, neque a Kant ullatenus est probatum, quodlibet ens (quod caeteroquin in mentem incidere poterit) iisdem dotibus semper insigniri, cum Deus, ens utique perfectissimum, iis non donetur. Ergo categoriae quantitatis, qualitatis et relationis originariae non sunt, sed derivatae, atque procedentes a secunda modalitatis forma, idest ab existentia. 7.° Verum existentia eiusmodi debetne concipi ut realis et subsistens, an utpote tantum idealis et possibilis? Responsio illico in promptu est, dummodo attendatur mentem indigere notione originali entis in genere, non autem notione entis realis necessarii aut contingentis; tum quia perceptio divinitatis non est elementum intrinsecum cognitionis humanae, tum quia realitas contingens nil adiungit operis vel perfectionis intellectui, qui sive idealitatem rei, sive etiam realitatem cognoscat, idem semper est; ut si librum realem perciperem, putasne ideam libri quadantenus immutari, augeri, minui? Sola itaque notio entis universalis forma est mentis originaria, ac essentialis, qua sublata nulla oritur cognitio. Porro notio eiusmodi quid tandem est, nisi possibilitas, vel ens ut possibile? Ergo in primam categoriam modalitatis, idest in possibilitatem, omnes duodecim formae Kantianae resolvuntur, tamquam in earum originem atque radicem primitivam. Quod insuper luculentius colligitur ex universalitate formarum qualitatis etc. quae nonnisi procedit ex possibilitate ipsis adnexa, qua fit, ut nedum qualitas etc. determinata, et peculiaris, sed indeterminata plane, et indefinite iterabilis et applicabilis concipiatur.

8.° Quoad autem ideas absoluti rationi concreditas utpote ingenitas, animadvertimus, *to ego*, vel animam et mundum, immerito vocari absoluta, cum talia non sint nisi relative. Unicum tantum est ens absolutum, nempe Deus. Ergo ex tribus, iam unica remaneret

tialiter menti, ut formas primitivas, adscribendas, ut ipsa valeat cogitare: idcirco eiusmodi formae gratuito confictae fuerunt, neque ab indiciorum natura, ut ipse sibi blanditur, deductae. Item perceptio intellectiva, de qua apparsim locuti sumus, solam rei subsistentiam considerat, sicque fieri potest sine explicita cognitione eius proprietatum, quae paullatim distincte postea inquiruntur, ut perfectior enitescat cognitio. Rursus, Kant minime animadvertens differentiam inter ideam qualitatis, quantitatis etc., et quantitatem, qualitatem etc. in rebus existentes, constituit eas unicas esse, ac tantum mentales, subiectivas, atque tamen necessarias existentiae rerum, quae, ut primum iis vestiuntur, tunc existere et creari videntur. Quod est absurdissimum. Nam allatae proprietates plane invicem discrepant, cum in mente ideales et universales sint, in rebus, reales et singulares.

forma rationis. Atqui Deus nequit in praesentiarum nobis esse forma elementaris et originalis rationis, sive quod hoc in casu esset etiam materia cognitionis, sive quod forma rationis universalis sit oportet, ac omnibus cognitionis obiectis applicabilis, cuius certe naturae non est idea Dei; tum demum quod Deus non cognoscatur per quamdam naturalem intuitionem, sed per demonstrationem innixam principio causalitatis, proindeque mentem iam constitutam et ratiocinantem supponat. Nulla ergo est rationi ex tribus memoratis ingenita forma. 9.° Ad formas sensuum, temporis nimirum, et spatii quod attinet, parum negotii nobis facessunt, cum ipsae sensibilitate tantum contineantur, neque propterea in censum rerum intelligibilium reduci possint. Quod si, non de tempore et spatio sensibili, sed de idea temporis et spatii agatur, tunc quidquid in eorum notionibus formalis et intelligibilis occurrerit, totum est ex *idea entis*, vel possibilitate derivandum, uti ex eorum indeterminatione ac universalitate constat, quae solum ex sola idea entis indeterminati oriri possunt, uti inferius videbimus.

10.° Quibus igitur discussis concludendum — unicam esse menti infixam formam originariam, primitivam, immutabilem, universalem, obiectivam, nempe ideam entis universalis non animi activitate partam, sed divinitus nobis collatam primo creationis nostrae instanti —: quod est maxime notandum, ut ingens, imo infinitum discrimen inter hanc nostram ideam et Kantii formas internoscatur. Formae enim Kantianae, utpote subiectivae, fatales, nequeunt entia prout se habent ostendere, neque ad rerum veritatem perducunt, atque solis phaenomenis circumcinguntur. Hinc accidit, ut ipse in scepticismum et idealismum teterrimum inciderit, Dei existentiam nullimode posse demonstrari docuerit; cui si practice tamen creditur, id instinctive et caeco fato praestamus, cum penes ipsum receptum sit, — hominem phaenomena, non noumena apprehendere, atque duplicem ordinem adeo oppositum realem et idealem in unicum et indivisibilem coire —. Quo sane nil absurdius, nihilque perniciosius (1).

284.° Triplex ergo principium et ipse infregit, 1.° ideis obiectivitatem denegando, 2.° superflua admittendo, 3.° nullius ideae genesim explicando, quippe qui imperite problema ideogonicum proposuerit, cum non — quomodo fiant iudicia synthetica a priori, quae deerant —, sed, — quomodo fiat iudicium primitivum de rei subsistentia — inquirendum erat.

(1) Tria sunt in Kantismo spectanda; 1.° distinctio cognitionis a priori, et a posteriori; 2.° distinctio formae cognitionis ab eius materia; 3.° essentia cognitionis in iudicio constituta, quo fit ut cognoscere id sit quod iudicare. Nil tamen eorum recte ipse prosecutus est, ac funditus perscrutatus.

Animadversio generalis in reiecta systemata.

285.° Propterea praefatis systematibus irrepsit error, quod falso creditum est — obiectum cognitionis ex animi visceribus eductum iri —, cum contra altius sit repetendum, ut possit esse medium universale cognitionis, atque veritatem ostendere. Hinc monita D. Augustini, qui omnes admonet, ne temere quis dicat, « sibi lucem et veritatem esse, aut in semetipso res cognoscere » (1). Idem repetit Doctor Seraphicus, qui nos omnia docet conspicere in veritate, quae ut candelabrum lucet mentibus humanis (2). Idem Doctor Angelicus, cui familiares sententiae sunt: « animam eodem modo se cognoscere ac caetera idest in specie intelligibili: eam intelligibilem esse per participationem luminis a veritate divina fluentis; atque solius Dei esse naturam habere intelligibilem, quae nimirum sibi lux, atque intelligibilitas sit » (3). Qui ergo animae intrinsecam, atque essentialem impertiuntur intelligibilitatem, qua sibi in cognoscendo sufficiat, eam deificant, quemadmodum iam alibi ostendimus contigisse formalismo transcendentali, qui tandem in anthropolatriam degeneravit. Quod, etsi saepe alibi dictum, numquam est sat perpensum, cum ibi vigeant radices infectae errorum neotericorum, quae si foveantur virescent, atque alios etiam funestiores germinabunt errores.

CAPUT QUARTUM

SYSTEMATA QUAE ETIAMSI POTENTIAE COGNOSCITIVAE OBIECTUM DIVINUM COPULENT, EIUSDEM TAMEN OBIECTI SIVE QUANTITATE SIVE QUALITATE EXCEDUNT

ARTICULUS PRIMUS

PLATO

286.° Plato, Athenis ortus, propter ingenii nobilitatem divinus cognomento, a quo philosophia italica suum nomen accepit, caeteris perfectius naturam perspexit idearum, quamquam vulgaribus superstitionibus imbutus, eas deificaverit. Hisce minime immorans, originem praeterea idearum inquirere sibi in animum induxit. Ad id operis animadvertit 1.° effraenem nobis insidere veri inquirendi cu-

(1) In Psalm. — Serm. VII de verb. Dom — Lib. 83 qq. LXI.
(2) Itin. ment. in Deum etc. — S. I, LXXVII, J.
(3) Contr. Gent. L. III. C. XIV. — S. I. LXXXVII, I.

piditatem, qua perpetim in abdita atque impervia naturae provehimur. 2.° Quo firmiter constituto, percontatur, quînam veritatis adhuc ignotae inquisitio institui queat. Vel enim veritas inquisita iam ante investigationem cognoscebatur, vel non: si prius cognoscebatur, eccur igitur in eius inquisitione fatigamur: praesentia vel possessa contemplantur, non inquiruntur. Sin autem nondum noscebatur, cuius ductu in eam movemur? qua norma eam reipsa esse, discernimus? 3.° Quod ut explicaret, in medium quamdam attulit cognitionem neutram, vel mixtam, adeo nimirum claram itemque obscuram, quae obscuritate ad verum inquirendum, sua vero claritate ad ipsum internoscendum nos impelleret, sic ut, qua obscura, cognitionem, qua clara, recognitionem veri pareret. Huiusce mediae cognitionis exempla sunt notiones oblitae, quae ad reminiscendum, atque ad revocata recognoscenda ut iam habita, mentem disponunt. 4.° Quapropter cum sciendi cupido sit universalis et indefinita, statuit omnes ideas animo ingenitas, ac secum e regionibus supernis, in quibus animae corpore solutae praeexistebant corporibus, delatas, quarum cum tenebricosum corpus animae ingrediuntur, fuerint ferme oblitae. 5.° Atque hinc cognoscere idem ac dixit ac meminisse. Id exemplo cuiusdam pueri confirmabat, qui licet nil unquam didicisset, ordinate tamen ac sensim interrogatus, etiam de difficillimis problematibus, protinus respondebat et quidem recte. Ergo, intulerat Plato, puer iste iampridem ideis donabatur, quibus in recte iudicando, dirigebatur, dummodo concinnis ac aptis interrogationibus excitaretur.

287.° Animadversiones criticae — 1.° Principio, duplex elementum iam alibi notatum, est iterum in Platone accurate secernendum, videlicet 1.um traditionale vel fabulosum, cuiusmodi est praeexistentia animarum, ac idearum deificatio, 2.um et rationale vel philosophicum, uti origo idearum; primum auctoritate, secundum rationibus refellendum. 2.° Quoad porro idearum ortum idem ac nos vidit, ac proposuit problema ideogonicum, hac formula expressum — quînam fieri potest ut ignota quaeramus, vel iudicium de eorum veritate aut falsitate primo promamus, absque idea praeexistente, quae nobis quaerentibus vel iudicantibus regula sit —? Hoc ut solveret tot ingenitos typos, vel ideas admisit, quot veritates speciales inquiruntur, vel quot proferuntur iudicia: atque hinc error eius maximus et radicalis. Ideae siquidem, ideoque et iudicia, quae ideis componuntur, sunt adeo indivulse arcteque connexa, ut primitivis cognitionibus vel iudiciis explicatis, sponte veluti sua et caetera inde manantia explicentur. Difficultas ergo explicandae originis omnium idearum tota versatur in adsignanda origine ideae primae; vel primo iudicio, quo res percipiuntur. Vix enim haec cognitio primitiva declaratur, illico patet origo aliarum idearum, quae non sunt nisi totidem, pene dixerim, relatio-

nes vel fragmenta, aut partes cognitionis primae ope abstractionis, analysis etc. excerptae. Explicationi autem cognitionis primitivae sat superque est idea entis, qua affirmatur — subsistere ens aliquod sensibus expertum —. 3.° Neque aliud innuit factum pueri, nisi quod, ait s. Augustinus (1); ipse habet naturale iudicatorium, vel potentiam iudicandi, aut discernendi verum a falso in genere, cui muneri sat est regula pariter generalis, vel idea entis, qua dignoscitur id quod est, aut non est, idest verum et falsum. Id scite revera vel ipse viderat Aristoteles (2), qui adversus Platonem docuit, haud oportere puero omnes veritates esse originarias atque innatas, quippe quae ex principiis evidentibus ac indemonstrabilibus deriventur, quorum primum est principium contradictionis: porro principium contradictionis, idea entis, ceu seminario scientiarum contineri ostendunt prae caeteris Alexander Alensis, et s. Thomas (3). 4.° Demum Plato ad animarum praeexistentiam convolans, nondum problema ideogonicum solvebat, sed ex hac in alteram vitam transferebat, cum item redeat quaestio: — quomodo anima in altera vita suas fuerit ideas adsecuta? — Hisce simul collectis perspicuum fit, Platonem in tria principia etiam offendisse, propterea que deserendum.

ARTICULUS SECUNDUS

MALEBRANCHIUS (4)

288.° Nicolaus Malebranchius, praesbyter Oratorii, probe considerans corpora intrinseca intelligibilitate carere, ac ideis ceu mediis intelligibilibus cognitionis egere, itemque ex Patribus accipiens, ideas aeterna esse exemplaria rerum, vel rationes divinas Deo congenitas, sanxit: 1.° *theoriam visionis idealis*, qua corpora in Deo, tamquam in medio universali cognitionis, cernerentur. 2.° Cui tamen visioni

(1) De lib. arbit — L. I. C. VIII Retract. exemplum pueri allati attingens, ait: « fieri potest, ut hoc ideo possit (interrogatis respondere) quia natura intelligibilis (intellectiva) est, propterea quia praesens est ei, quantum capere potest, lumen rationis aeternae, ubi haec incommutabilia vera conspicit, non quia ea noverat aliquando, et oblitus est, quod Platoni vel talibus visum est ». Ibid. C. IV. — S. Thomas quemadmodum saepe de idearum deificatione, ita de animarum praeexistentia in suis operibus loquitur, atque utramque reiicit.

(2) Metaph. IV.

(3) S. I, II, XCIV, II.

(4) Ipsi fere cohaerent Marsilius Ficinus, Thomasalni, Vico, Gerdil, aliique neo-platonici, quos aeque ac Malebranchum confutamus.

ideali essentia vel subsistentia divina nobis subtrahitur, cuius, is qua nobis idea enitescit, haec idea ex quadam divinitatis actione in anima facta, eruitur. 3.° Qua visione ideali neque idearum, neque animae cognitionem acquirimus. Sive enim ideae, sive anima, propria splendescunt intelligibilitate, qua directe, et immediate, sine ullo videlicet divinitatis intuitu, apprehenduntur. 4.° Altera demum ratio visionis idealis petitur ex eo quod homo nequeat species vel genera entium attingere, quin confuse saltem omnia individua vel species praenoverit, quod numquam assequetur, nisi Deum conspiciens.

289.° Animadversiones criticae — 1.° Ultro concedimus corpora haud intrinseca enitere intelligibilitate, ideoque ideis uniri, quibus intelligibilia fiunt, expostulare. Damus etiam similiter, ideas esse aeterna exemplaria rerum, quae tamen non intuitione, sed demonstratione eorum characteribus logicis suffulta, novimus Deo contineri, quin quomodo contineantur, intueamur. Sed neque hac visione necesse habemus, cum lumen, divinae utique originis, nobis participetur, huiusmodi est idea entis, in qua entia sive spiritualia, sive corporalia, sensationum occasione, percipiuntur; quemadmodum et ipse Malebranche fassus est, qui aperte docuit — ideam entis semper nobis adesse, omnibus cognitionibus immisceri, neque procul ab intellectu posse repelli, eamque esse ideam vagam, ens commune, indeterminatum et, genericum — (1). Quae omnia Deo, eiusque ideae directe repugnant, quia neque Deo, neque eius ideae inest indeterminatio, aliaeque dotes entis communissimi, generici etc. 2.° Atque etiam tantum abest, ut nobis datum sit corpora in divinitatis splendoribus intueri, ut ipse Malebranche ab hac hipermystica iactantia abhorrere videatur. Etenim eccur, nobis corpora in Deo cernentibus, visionem ipse detrectat ipsius Dei, in quo caeteroquin complectuntur ideae corporum, atque in ipso apprehenduntur? Eccur nobis vetat pariter ideas et animum nostrum contueri, cum in substantia divina aeque habean-

(1) Lib. III. C. VIII —. Idem tradiderunt Thomassini, Marsilius Ficinus, etsi tamen imaginationis aestu abrepti, limites logicos transilierint, atque metaphysicam ingressi, ens istud commune et ideale substantificaverint, quasi sit ipse Deus mente intuitus. Eos iamdiu explosit s. Thomas distinctione entis in potentia ab ente in actu: illud, idea entis, istud Deus ipse est. Primum perenni mentis intuitione cernitur, estque notissimum omnium: secundum sola evincitur demonstratione, neque rebus notissimis cooptatur. S. I, II, I. — SS. Patres quandoque dixerunt — res in Deo videri, non utique tamquam in obiecto cognito, sed utpote in principio cognitionis, sicuti dicuntur res in sole videri, quatenus in eius luce conspiciuntur: participatio autem luminis divini est lumen rationis, vel idea entis, quae est forma universalis cognitionis. Ast haec alibi inferius.

tur? Aut enim omnia, aut nulla in Deo videnda sunt. Cuius incohaerentiae ipsum etiam redarguit Vico, qui ait — dixisse potius oportere omnia, ne ideis, vel animabus quidem exceptis, in Deo videri — (1). 3.° Praeterea corpora in Deo equidem continentur non materialiter, vel formaliter, sed exemplariter et eminenter (2). Porro cum agimus de corporum perceptionibus, loquimur de modo, quo corpora uti realia, sensibilia, atque in nobis activa in praesentiarum percipiuntur; quae sane perceptio numquam sola visione ideali explicatur, eo quod corpora qua talia in Deo non sunt, neque, sine nota pantheismi, de quo Malebranche haud immerito suspicatur, admitti possunt. 4.° Item undenam ipse accepit animas per seipsas intelligi, cum contrarium testetur experientia, atque obsistant ss. Patres (3)? 5.° Demum quomodo probat, ad specierum, generumque cognitionem, omnia individua vel species praenoscendas esse? Quaevis enim idea specifica, vel generica est, etsi pauca individua, et quaedam tantum species cognoscantur veluti possibiles. Sic idea hominis tam specifica fuit tempore Adami, quam modo, etsi tunc unum, nunc innumera extent individua humana. Eodem modo idea animalitatis generica fuit sive post unam vel alteram speciem animalium conditam, quam post omnes. Naturam ergo idearum, atque simplicissimam earum originem ignorat Malebranche, neque propterea alicuius ideae genesim clare declarat, proindeque trina constituta principia labefactat.

ARTICULUS TERTIUS

SCHELLING

290.° Kant principia philosophiae transcendentalis iecerat in quibusdam animi legibus vel formis subiectivis, quae sensationibus coniunctae, subiectivam pariter generant cognitionem, idest mera phaenomena seu apparentias, non noumena vel realitates exhibentem; quin tamen ipse noumena sustulerit, sed tantum inter impervia, ac plane

(1) Dell' antic. sap. C. VI.

(2) S. Thomas S. I, III VIII.

(3) S. Thomas observat, quod si anima per seipsam directe et immediate cognosceretur, foret quoque per se notissima, neque ullus circa eius naturam falleretur, sicuti nullus unquam erravit quoad principia vel veritates indemonstrabiles ac evidentissimas, quas etiam sceptici, licet secum ipsis pugnantes, confitentur. Ast quid non dictum est contra animi naturam, ac proprietates? Vid. Lib. III contr. Gent. C. XLVI. — Aristot. Lib. III de anima. Quare Angelicus concludit « animam in sua specie intelligibili, sicuti caetera, cognosci ».

ignota ablegavit. Fichte eius discipulus ingenio audaciori, caeptum perfecit, ac nedum noumena censuit incomperta esse; ast penitus abstulit, docens — res eatenus existere, quatenus cognoscuntur; noumena autem cum lateant, minime subsistere —. Verum inter tantam noumenorum cladem unico noumeno pepercit, atque id est proprium *ego*, videlicet spiritus sui conscius, qui cum conscientiam sui acquirit, *ego* evadit, itemque ponit, seu creat eodem actu *non ego* vel mundum, quo undique circumscribitur. Ex hac circumscriptione Fridericus Schelling exorsus est. Si enim, inquit, *ego* a *non ego* limitatur; ergo illud est isto debilius, atque ideo non absolutum. Deinde *non ego* perlustrans, invenit tandem *ens absolutum* seu *unicum noumenon*, a quo ego et non ego profluunt, quod *indifferentiam puram* omnibus rebus conflatam, vel *identitatem absolutam, radicem supremam*, et *vitam dynamicam rerum* appellat, quae duplicem ordinem rerum et cognitionum simul emanat. Quocirca spiritus *Absoluti videndi* cupidus, debet se omnibus obiectis expoliare, atque in Absolutum iugiter suspicere, ac defigi, eoque magis, quod mutabile, finitum et contingens absque ratione immutabili, infinita, necessaria cognosci nequeat (1).

291.° Animadversiones criticae — 1.° Praeter validas rationes paullo ante Malebranchio obiectas, duo sunt in schellingiano systemate absurda, quibus totum concutitur: eorum unum est natura Absoluti, alterum eius intuitio. Quoad primum, ecquis rationis compos credet, Absolutum, nempe Deum, omnibus rebus cuiusque naturae indifferenter coalescere, easque extra se tamquam sui ipsius particulas paullatim effundere? Aut Absolutum ita esse constitutum, ut ante rerum emanationem, etsi omnibus constet, neque subiectum tamen, neque obiectum sit, neque reale, neque ideale, cum nullus alius supersit existendi modus? Commentitium est igitur, vereque absurdum Schellingianum Absolutum. Quoad secundum, nemo pariter, dummodo inops mentis non sit, concedit, huiusce Absoluti chimaerici, aut etiam divinitatis rite intellectae, nobis iugem ac naturalem fulgere intuitionem, tum quia Deus super ambitum rationis est, ac invisibilis, tum etiam quia bini ordines adeo disparati, supernaturalis videlicet, et naturalis hac intuitione miscerentur; quod nefas est (2). Id ipsemet

(1) Iis adde quae de Schelling scripsimus in gnoseologia, ubi de elementis cognitionis disserebatur. Si quae adhuc dictu remanent, in psychologia discutientur.

(2) Bouterweck probe in Schelling animadverterat, non posse absoluti intuitionem demonstrari, quin prius probetur contra Kant nobis revera adesse potentiam apprehensivam realium, quorum primum est absolutum. Id ipse praestitit, statuens in anima absolutam facultatem cognoscendi, seu factum

Schelling suadere videtur, cum non directa mentis intuitione, sed sedula atque longa analysi in *non ego*, solum Deum comperierit. Rursus singularis ac reipsa ridicula est conditio animae sese in Absolutum elevantis. Ipsa enim, inculcat Schelling, ut in Absolutum consurgat, debet se omnibus obiectis vel ideis exuere. Porro, nonne potius anima elevatur, cum ideis haeret, deprimitur, cum ideis relictis, secum ipsa colligitur? Ideae quippe divinae sunt naturae, ipsa mente excellentiores, quae propterea sursum debent animam attollere, cum ab ipsa intuentur. Decidit ergo mens ideis spoliata, non elevatur (1). Insuper etsi anima vellet omnes ideas repellere, non tamen unquam posset; nam ideis abiectis remaneret adhuc lumen rationis, vel *idea entis*, quae independenter ab hominis arbitrio, menti affulget, quippe quae a Deo animo indita fuerit, secus in hominis arbitrio esset, seipsum creare et annihilare. Denique si ideae tot sunt Absoluti emanationes, non video quomodo impediant intuitionem Absoluti. 3.° Ens mutabile, contingens etc. nequit utique sine ente immutabili, necessario concipi; verum duplex est ens immutabile, etc. logicum vel ideale, et metaphysicum vel subsistens: primum est ens in gene-

primum et fundamentale totius philosophiae, quae facultas non est — nisi perceptio existentiae absolutae —. Hoc pacto iam correptum Schellingium iterum amplexus est: gratis enim et ipse cum Schelling facultatem perceptivam Absoluti asseruit, licet id inter ipsos differentiae, intersit, quod Schelling intuitionem, Bouterwech vero perceptionem appellaverit. Item aeque ac Schelling tuetur obiectum istius perceptionis, esse absolutum, vel quod idem est, absolutam existentiam: unus est ergo utriusque exitus, videlicet pantheismus. Verbis pariter, non rebus differt Bardilli, qui, expulso ab anima eiusmodi Absoluto, retinuit solum cognitionem puram, idest sibi finxit cognitionem subiecto et obiecto destitutam, quam modo rerum possibilitatem nuncupat hac formula negativa exprimendam B — B; modo etiam absolutum vel Deum. Hoc est certe simillimum nihilo budhistico, vel hegeliano figmento. At id multum fuit iam solum retulisse.

(1) S. Thomas saepe probat obiectorum praesentiam mentem magis creare et perficere. « Species intelligibilis (obiectum) principium formale (constitutivum) est intellectualis operationis, sicuti forma cuiuslibet agentis principium est propriae operationis ». Contr. Gent. I, XLVI — et C. XLVIII subdit « intellectum (res intellecta vel obiectum) est perfectio intelligentis ». Quam haec a Schellingianis placitis discrepant! Ast hic iuverit insuper adnotasse philosophiae germanicae a Kant usque ad Hegel, nisum, pene dixerim, contumque inesse sese ad puram cogitationem obiectis vacuam erigendi, quin unquam ostendat — an haec cogitatio detur reapse —. Eam in absurdis habendam fore, iam probavimus lege synthesismi intellectivi, quia licet cogitatio omnibus exueretur obiectis determinatis, ipsi remanet adhuc obiectum indeterminatum. vel idea entis, alias sensatio potius, quam cognitio esset, et qui eam tuerentur, in sensismum, quem tantopere horrent, ruerent.

re, universale, commune: secundum est Deus. Iamvero primo tantum mentem egere mutabilibus cognoscendis, iam alibi probatum fuit, ubi de natura idearum. Revera quid sit immutabile, necessarium etc. prius noscitur, quam sciatur quid sit Deus, aut idea Dei comparetur, quae magis per accumulationem immutabilium cognitionum, idest idearum, a nobis fit, et clarior redditur. Si percontant — quid sit immutabilitas, necessitas etc. —, respondemus — sunt entis alicuius (*d'una cosa in genere*) proprietates, quibus idem semper est quod est, quin ullam faciamus mentionem de Deo —, de quo si quaeratur — quid sit —, respondemus — ipsum esse ens perfectissimum, et reale, in quo ens abstractum et commune, ceu eius participatio recipitur —. Ex quibus patet, primo ens in genere, immutabile etc. concipi, deinde adepta per ratiocinium idea Dei, inveniri ens illud in Deo resolvi, atque prout in Deo est, Deum esse, quamquam cum omnibus perfectionibus divinis nobis non emicet: alias non utique ens in genere, sed ipse Deus intueretur. 4.° Neque dicas, Deum esse omnium rerum principium, ideoque primo omnium cognosci. Deus etenim primus est in ordine ontologico, non vero in ordine logico. Ita in ordine ontologico causa praecedit effectum, ast quoties in ordine logico effectus ante causam concipitur? imo semper, cum nonnisi per effectum liceat in notitiam causae devenire. Similiter etsi Deus sit ens primum, ens entium, concipitur tamen post notitiam principiorum, ac rerum mundanarum perceptionem, quarum ipse est causa creatrix. Hac ratione conficiuntur demonstrationes divinae existentiae adeo usitatae, quibus duplex requiritur elementum, formale et materiale, principia logicalia et creaturae (1). Constat ergo evidentissime, etiam Schelling nullis ex dictis principiis adhaesisse.

ARTICULUS QUARTUS

COUSIN

292.° Victor Cousin, natione Gallus, germanicis doctrinis plurimum inhaerens, systema sibi compegit, quod quamquam ipse *eclecticismum* maluerit appellare, syncretismi, idest pugnantium congeriei, potius nomen mereretur. Nam 1.° triplicem in homine statum primitivum distinguit, physiologicum, (sensitivo), intellectualem, et reflexum, successive se proditurum. 2.° In statu primitivo physiologico neque sensu, neque intellectu, sed pura vita physiologica vel

(1) Vid. Perrone Praelect. theolog. Tract. de loc. theolog., et de Deo. S. Thomas saepe monet « Deum non esse per se notum quoad nos » ut inferius videbimus.

materiali plantarum homo potiebatur, in qua cum per multum temporis exagitaretur, tandem aliquando surrexit cum universa natura colluctaturus, quam cum vicerit, ab illa se exsolvit et liberavit, gradum fecit, atque ex illa pugna sensitivitatem et intelligentiam nactum se expertus est. 3.° Hic alter status vere primitivus dicitur sensitivo-intellectivus, vel spontaneus, et sibi conscius. Vocatur sensitivo-intellectivus, quia penes Cousin sensatio et intelligentia sunt plane synonima: spontaneus, quia tunc homo propria virtute primo movetur, sentit et intelligit, quarum actionum unicum ipsi est principium, spontaneitas videlicet: sibi conscius, quia, ipse ait, conscientia idem est ac intelligentia, quae necessario in seipsam redit. 4.° Intelligentiae vix ortae, trina statim ipsi exhibentur obiecta tam in ordine logico, quam in ordine ontologico adeo indivisibilia, ut sicuti ontologice unum sine altero existere nequit, sic neque sensim concipi. Eiusmodi obiecta sunt, *ego*, *non-ego* vel mundus, et Deus, quorum triplex animae extemplo simul enascitur perceptio (1). 5.° Haec omnia ad statum spontaneitatis spectantia, per coscientiam secundam et reflexam (status primitivus in ordine advertentiae) deprehenduntur, ex qua philosopho est discedendum, cum ad primum philosophicum atque ad basim humanae cognitionis pertingendam in animum sibi inducit. Conscientia reflexa enim super statum primitivum regreditur, eius elementa exacte considerat, et declarat. Recte igitur hoc systema *syncretismus* dictum est: ex materialistis quippe vita materialis, mutuatur, ex sensistis vita intellectiva, ex subiectivistis, maxime Cartesio et Ficthe, vita reflexa, et ex pantheistis germanicis absolutum.

293.° Animadversiones criticae 1.° Status physiologicus hominis adhuc naturae cosmicae subiecti, a qua ipse nititur sese emancipari, ut sensum et intelligentiam adipiscatur, commentum est putidissimum risu excipiendum si enim tunc tantummodo vita agebatur materiali et vegetativa, deerat ergo per id temporis homo, qui proinde neque torqueri neque commoveri, neque sentire, neque intelligere poterat, sed neque agere violenter, ni velimus dicere, illam excogitationem materialem esse, ac mechanicam, aut chymicam, sicut illam molecularum corporum. 2.° Quinam fieri potuit ille hominis transitus ex vegetante in sentientem ac intelligentem? Estne aliquid in vegetatione, quod vel seminaliter sensum et intelligentiam contineat? Eccur igitur plantae in homines numquam modo transformantur? Fictitia et plane absurda anthropogonia. Homo siquidem vix existere caepit sensum et intelligentiam (sensum fundamentalem, et intuitionem primi-

(1) Consequenter docuit — creationem necessariam fuisse —. Dicunt tamen hoc absurdo commotum, palinodiam cecinisse.

geniam entis) tamquam bina sibi essentialia eo ipso simul accepit, iisque protinus usus est, etsi non adverterit.

3.° Falsum propterea est sensum intelligentiae, vel intelligentiam conscientiae identificari; adeo enim haec tria distinguuntur, ut ne vulgus quidem indoctus ea umquam permiscuerit. De qua sensus ab intelligentia distinctione iam abunde alibi dictum est. Conscientiam autem etiam ab intelligentia discriminari patet ex conscientiae definitione ipsius, Cousin, qui eam vocat — conversionem vitae intellectivae in semetipsam —. Necesse est ergo ad conscientiam consequendam, ut spiritus novum eliciat actum reflexum, quo in cognitionem praeeuntem et directam inflectatur; eo vel maxime quod omnis actus cognoscitivus inconscius, sibique incognitus latet. Duplex itaque est actus, unus ab altero distinctus, alioquin eorum quae nobiscum sunt, ac fiunt semper notitia gauderemus, cum contra, teste experientia, nil sit ita reconditum et impervium, quam homo sibimetipsi, cui praecipitur, ut ipse — noscat tandem seipsum —. 4. Hinc non duae enumerantur conscientiae, spontanea una, seu directa, libera vel reflexu altera, cum unica sit, eaque libera et semper reflexa, quae scientia nostrum dicitur, ex qua incipit philosophus, cum ad summum principium philosophiae contendit. 5.° Qua conscientia ducti minime invenimus intelligentiam triplici simultanea et originali perceptione, *ego, non ego*, et *Dei* constitutam, adeo ut actus fundamentalis, vel forma intelligentiae sit trina haec perceptio, in qua omnia intueantur; sed potius compertum est hominem qua animal sensu fundamentali corporeo animali, qua intellectivam intuitione luminis cuiusdam divini essentiam entis in genere referentis institui, ac prorsus radicitus constitui, ut a sensu materiam, et a lumine intelligibili formam mutuetur cognitionis. 6.° Confictum itidem est nos nequire conscientiam adipisci, quin *non-ego*, a quo per conscientiam secernimur, simul cogitemus, vel non posse finitum sine infinito, et vicissim percipere. Nam, oriente conscientia, haud ab *non-ego* proprie distinguimur (quo in casu certe cognitio *non-ego* ceu alterius distinctionis termini requiritur) sed separamur, cui separationi sat est animum in seipsum colligere (1). Ad perceptionem autem simultaneam finiti et infiniti quod attinet animadvertimus, nos interventu ideae entis et sensationis res uti entia vel existentias primo percipere; deinde ope reflexionis, eiusque facultatum, et praesertim ratio-

(1) Eodem modo exploditur Fichte, qui doctrinis cousinianis partim praelusit. Perceptio sensitiva includit equidem elementum extra-subiectivum, seu causam sensationis; ast haec perceptio neque intellectiva est neque conscientia, sed sensatio. En aliud sensismi cousiniani argumentum.

cinii, ea uti finita cognoscere, quibuscum infinitum ceu correlativum comperimus (1).

Duo ergo inscite confundit Cousin: 1.° perceptionem cum ratiocinio, huic tribuens quod illius est: 2.° ordinem ontologicum cum logico, perinde quasi Deus, qui cuncta in ordine ontologico antevertit, eumdem teneat locum respectu mentis in ordine logico, seu cognitionis, quod profecto refragatur experientiae testanti prius et quidem clarius sensibilia percipi, atque postmodum ex ipsis Deum inferri.

Haec sufficiant, ut firmissime quisque sibi persuadeat, quantum Cousin ab praestitutis principiis ideogonicis abscesserit, cuius systema partim qua gratuitum, partim qua commentitium, atque fere totum qua sensisticum reiecimus (2).

ARTICULUS QUARTUS

GIOBERTI

294.° Scioli propemodum innumeri paucis ab hinc annis, et etiamnum pervicaciores ingenium tamquam eminenter philosophicum Vincentii Gioberti, Taurini, summis extulerunt praeconiis, ac si ipse systema concinnaverit in annalibus philosophicis plane inauditum, admirabile, ac tanta veritatum subtilitate sublimitate et nobilitate effulgens, ut, sicuti in conviviis italicae libertatis circumferebatur, ipsi munus et auctoritas legislativa mentium humanarum concredita fuerit. Rerum philosophicarum periti tam reboantes audientes clamores, quidam ne audierunt quidem, quidam vero obstupuerunt, propter quod doctrinam minime novam vel laudabilem, sed perantiquam millies diverso modo recusam ac reproductam, milliesque proscriptam adeo immerito cernerent iterum celebratam. Id quam verum sit patebit ubi una cum giobertiano systemate illi conferantur scriptores, iam refutati, ex quibus plus minusve noster excerpsit, quosque in eius sy-

(1) Schelling, qui hanc absoluti perceptionem Cousinio suggessit, itidem improbatur.

(2) Sensatio numquid ipsa est organica impressio? Nonne elementum intellectivum etiam comprehendit? (cinquieme leçon). Ibidem etiam docet — sentire, cognoscere et iudicare idem esse —, necnon iudicium sensationibus inseri tamquam earum elementum intellectuale. Hinc triplex ostenditur apud Cousin ratio loquendi; 1.ª materialistarum quoad statum psychologicum spontaneitati praeeuntem; 2.ª sensistarum quoad statum spontaneum; 3.ª psychologorum, et ontologorum quoad statum reflexivum, et ultimum, quo demum homo perficitur. Haec tam adversantia ex eius syncretismo fluunt.

stematis expositione incidenter afferendos duximus, ne calumnias in ipsum adornare videamur, quem caeteroquin propter copiam eruditionis, dicendi elegantiam, styli amoenitatem ac magnae eloquentiae splendorem roburque invictissimum summopere demiramur; eosque insuper qui in ipsum livore tabescunt adhortamur ut odium tam nefarium, tamque crudele tandem deponant, neque ipsi solum sed sibimetipsis et quidem primo crimini vertant quod incauto quidem, ast provvido calamo ipse conscripserat.

293.° 1.° Veluti principium, cui totus noster atque iugiter incumbit, constituit identitatem absolutam, perfectam, et inviolabilem ordinis ontologici cum ordine psychologico (logico) (1), qua fit ut ideae eodem ordine, quo res, prodeant ac disponantur, atque ideo primum ontologicum perfecte cum primo psychologico (logico) unificetur. Imo ideae sint eaedem res conceptae; alioquin binis hisce ordinibus inversis vel distinctis, amplius cognitionibus fidendum non esset, quod sane ad scepticismum impelleret. (En identitas Parmenidis, Spinozae, Fichte, Schelling, Hegel, aliorumque veterum, recentiorumque pantheistarum).

2.° Quamobrem, Deus, qui ordine ontologico omnibus praeeminet, ut primus omnium quoque in ordine logico nobis est mente intuendus, cum aeque ordinis ontologici ac logici sit ipse fons atque principium (en intuitio *absoluti* Schelling, *idea* Hegel, *absolutum* Boutervvek, *visio* Mallebranche, et *perceptio Dei* Cousin). 3.° Sed nondum hic subsistendum. Intuitio insuper divinitatis, qualis penes ss. Patres (2), Malebranche et germanicos insinuatur, scilicet absque creationis adiuncto, pantheismum sapit (3), ut quae Deum tamquam rebus commixtum nobis ostenderet, cui defectui optime subvenitur per intuitum Dei non prout in se existentis vel omnia continentis, sed quatenus res creantis, quem quidem intuitum proinde hisce sacris formulis saepissime exprimit: — contemplatio entis existentias

(1) Ferme ubique ordinem logicum cum psychologico insulse confundit: psychologia siquidem est — scientia de anima —; logica vero — scientia artis recte cogitandi, vel veritatis adsequendae —. Numquid autem anima et veritas idem sunt?

(2) Quoad Patres gratis asserit quidem, non autem demonstrat ipsos naturalem contuitum divinitatis defendisse. Verum, quomodo id adstruere potuisset, si talem contuitum utpote ordinis supernaturalis subversivum et haeresibus faventem in platonicis, aliisque visionariis, et pseudomysticis illi semper adorti fuerunt, atque pessumdederunt?

(3) Primum sibi de Patrum suffragio blanditur: deinde eos tamquam pantheistas cavendos impugnat! Hoc unum adnotent asseclae, qui cum urgentur in patristicis arcibus se se recipiunt, ut paradoxa magistri pallio tegant virorum sanctitate venerandorum.

creantis — vel intuitio creationis — aut synthesis primitiva tribus elementis Deo videlicet, eius actu creativo et existentiis conflata —. (1) (En iterum Malebranche, cuius visio idealis corporum in ideis divinis conspectorum aequivalet intuitioni giobertianae actus creativi, cum actus istiusmodi, iuxta Theologos, ab ideis divinis realiter non distinguatur). 4.° Quae intuitus formulae nedum rationales, sed et biblicae et catholicae sunt (2), cum ipsis nedum philosophiae, verum etiam eiusdem scripturae, ac religionis initia enuntientur, adeo ut enciclopaedia haud immerito dici possit — religio quaedam intelligentiae creatrici inhaerens — (en commenta Weishaupt, Saint-Simon, Enfantin, qui scientias et artes ad religionem redegerunt). 5.° Ut autem terminus intuitionis Deus ipse sit, non ideo in essentia sua contemplatus, sed in natura, et quidem in actu creationis (effugium Malebranche essentiam a natura in divinis distinguentis, ne cum ideis etiam essentia Dei diceretur intueri), tamen ut nomine magis mentis naturae apto designetur, Deum conspectum, non subsistentiam, neque absulutum, sed ideam, appellandum censet, atque eius intuitum — visionem idealem — consequenter vocat (en rursus Enfantin et Hegel (3) ideas creantes tuentes). 6.° Nondum arbitreris verumtamen, cum Deum, ideam, aut axioma primum, aut veritatem intuitivam dici audieris, nos clare evidenterque Deum creantem contueri, ast, inquit, tam obscure et imperfecte Deum videmus, ut illa primigenia intuitio idealis sit prorsus vaga, confusa, incerta, ac magis cognitionis initium, quam vera determinata cognitio (4). 7.° Huiu-

(1) Saepe monet, — fore a synthesi in philosophicis inchoandum —: utique; non tamen a synthesi elementis pugnantibus confecta, quam ipse obtrudit, cui aliam substituendam putamus, nempe synthesim primitivam perceptionis intellectivae.

(2) Iucundum revera philosopho foret, si, unde Biblia et catechismus incipiunt, liceuerit suam etiam philosophiam auspicari, quia a multis, iisque difficillibus disquisitionibus, in quibus sua philosophi torserunt ingenia, supersederet, atque intuitu divinitatis filum statim veritatum demonstrandarum arriperet. Verum hoc non est nisi in votis, ac alia, nobis invitis, nihilominus adhuc ineunda est via.

(3) Opinioni de ideis creantibus praelusit iam antiquitus Plato, qui ideis vim productivam interdum tribuit.

(4) Exempla eiusmodi contradictionum fere ubique atque saepe in iisdem periodis, penes Gioberti occurrunt; quibus clarum fit, ipsum aestu imaginationis magis, quam logica cohaerentia, atque solidis ratiociniis libros de rebus philosophicis scripsisse. Haec profecto non est vera philosophandi ratio, quae sedulo, patienter, et quidem pedetentim fere in abditis naturae rimandis incedere debet, nihil a priori effingens, nihil exaggerans, nihil gratis asserens, sed submisse in omnibus se gerens, ut nullum factum admittat nisi exploratum et probatum.

scemodi autem obscuritas confestim depellitur vix mens, verbo (dalla parola) admonita, excitatur tum ad repetendam vocem divinam his iudiciis in intuitu resonantem — ego existo — ego creo existentias —, tum ad reflectendum super obiectum intuitus, quae reflexio utpote in obiectum intuitionis dilucidandum conversa, ontologica appellatur, cuius munus est — obiectum intuitus admodum impletum, vel synthesim primitivam enucleare, secernere, et clarificare (identitas absoluta Schelling) — . Quare, ait, creatio opus est reflexionis analyticae et syntheticae obiectum intuitus resolventis, atque iterum componentis, vel, ut ipse etiam ait, — elaboratio philosophica mentis — aut — rerum revelatio — aut — idearum generalium individuatio — (en Guillelmus de Champeaux, Kant, Fichte etc.) 8.° Quod si mens, prosequitur, in semetipsam tantum convertitur, tunc conspicit solum imaginem vel similitudinem entis, seu ens ideale et possibile, qua in operatione reflexiva mens primum ideam sibi efformat entis universalis, comunissimi, abstracti et possibilis, quod proinde est mentis modificatio, vel possibile humanum distinctum a possibili divino, aeterno, concreto, atque divinae essentiae infixo (1). 9.° Haec autem mentis in seipsam conversio dicitur *reflexio psychologica*, cuius ope ideae humanae, abstractae, genericae, et subiectivae procreantur (2). Utraque tamen reflexio in modo cognitionis, non autem in obiecto cognito invicem differt.

296.° Animadversiones criticae —. Systema nuper expositum, detractis eloquentiae vel potius facundiae pompis ad fucum magis faciendum insertis, tribus praecipue regitur gratuitis principiis, quibus semel concussis, totum suffoditur et corruit. 1.° Innititur identitati duplicis ordinis, ontologici videlicet, atque psychologici (logici); veretur enim ne scientiae certitudo periclitetur, si vel minima distinctio, aut diversitas inter ordines praefatos interponeretur. Ast nullam inde video scepticismi speciem scientiis pertimescendam: nam licet v. g. effectus, qui revera in ordine ontologico est causa posterior, ante causam tamen in ordine logico concipiatur, fietne propterea, ut effectus aut vertatur in causam, aut causam produxerit? ut creatura in creatorem, et filius convertatur in patrem? Nonne adhuc unumquodque percipitur sicuti est, suoque ponitur loco? vix factum aliquod tamquam effectus concipitur, consequenter idea causae, imo simul aquiritur; correlativa etenim neque existere, neque percipi seor-

(1) Ergo iuxta Gioberti idea existentiae, uti docent sensistae, ex rebus sensibilibus, per abstractionem cuditur. Quorsum ergo visio idealis?

(2) Res mira! ad ravim usque nedum obiectivitatem, sed et idearum divinam realitatem inculcat, et tamen ideas nunc subiectivas nuncupat!

sim possunt (1). Accedit error pantheismi ex haec duorum ordinum tam invicem discrepantium identitate, uti contra Schelling, et Cousin innuimus; quod, etiam caeteris missis, iam sufficeret suppositiae identitati ceu absurdae refellendae, quemadmodum sensus communis aeque ac experientia semper ut absurdum reprehenderunt, ut ipse animadvertit Mamiani.

2.° Hinc, (en secundum principium), cum in ordine ontologico cuncta — a Deo creatore — oriantur, sic et in ordine logico omnes cognitiones — ab intuitione creatoris — procedunt; quam illationem ultro consentiremus, posita principii veritate, idest admissa identitate duorum ordinum. Atqui identitas eiusmodi nulla ratione obfirmata fuit, imo reiecta; ergo neque illatio aliquid negotii nobis facessit. Praeterea quibusnam rationibus ipse statuit — nos naturalem perpetim gerere divinitatis creantis intuitum —? Non certe testimonio conscientiae haud sane id nobis referentis; non philosophorum, aut Patrum auctoritate, quos inscite interpretatur, ac pessime saepe temerat, non demum necessitate rationis humanae, cui rebus percipiendis sufficit idea entis in genere. Numquid, quaeso, ut arborem percipiam, necesse habeo intuitione Dei ceu elemento formali istius perceptionis, ut adblaterat Gioberti, qui docet — extra intuitum creationis nil amplius percipi —? Haud profecto (2). Neque est quod dicas — arbo-

(1) Ad rem s. Thomas « non est necesse quod omne quod est principium cognoscendi (ordo logicus) sit principium essendi (ordo ontologicus) ut Plato existimavit (et post ipsum Gioberti), cum quandoque cognoscamus causam per effectum, et subsistentiam per accidentia » S. I, LXXXV, III. — Immerito ergo binos ordines ipse permiscet, atque eos arguit *psychologismi*, ut ipse ait, qui philosophiam incipiunt ab idea entis comunissimi. Psychologismus quidem adfuisset, si ipsi ens ideale et comunissimum etiam protulissent uti — mentis abstractionem et modificationem —; at illi contra, — ens universale, aeternum immutabile mentis obiectum dixerunt, et probaverunt —; duplex simul discernentes principium ontologicum, unum determinatum et concretum, cuiusmodi esset, ens absolutum reale et subsistens, quod nobis in caelis reservatur; alterum indeterminatum, ut est — ens ideale — a quo nobis, velimus nolimus, in cognoscendo et philosophando discedendum est, quia ita sumus natura comparati.

(2) Quemvis lacessimus ut, post accuratam analysim perceptionis intellectivae qua sensibilium existentiam cognoscimus, nobis hoc divinitatis elementum formale ex ipsa erutum, ostendat. Si quid enim in ipsa divini splendescit, id est idea entis tantum, quae, quomodo nos in Deum perducat alibi ex-professo domonstrabitur. Formale, diximus, quia ex rebus arguitur quidem creator, quatenus res sensibiles, ad mensuram ideae entis exactae, primo uti entia percipiuntur, deinceps vero et sero nimis, (nisi aliunde auctoritas nos doceret) ope reflexionis, advertimus eas totam ideam entis non exhaurire, idcirco non esse ens (l'ente che si pensa nell'idea d'esistenza), sed de ente

rem sine actu creativo minime extitisse; ergo neque sine illo percipi —. Verum antecedens, et tamen falsum consequens, quia enthimema ab ordine ontologico in logicum digreditur, atque sophisma evadit. Item, cum primo arborem percipio, noudum in hac perceptione cognosco unde venerit, sed tantum quid sit. Unde enim provenerit sciam postmodum ope reflexionis arborem cum idea entis comparantis, qua contingentem eius naturam percipiam, atque exinde creatum. Verum, neque Deum, fortasse subiungeris, poteris hinc inferre, quia fortior praemissis esset conclusio; haudquaquam: etenim demonstratio existentiae creatoris ducitur a principio causalitatis abstracto, evidentissimo, aeterno, universali, et necessario, quod latius, quam conclusio, patet.

Insuper praeter allata, intrinseca adest etiam ratio impossibilitatis actum creativum intuendi. Siquidem actus creativus in Deo divinae identificatur essentiae, « creatio active significata, inquit s. Thomas, significat actionem divinam, quae est eius essentia cum relatione ad creaturam » (1). Ergo quoties actus creationis cernitur, simul Dei essentia foret intuenda, cuius visionem certe nullibi Gioberti admittit, quippe qui tueatur — una cum actu creativo et divinam quidem substantiam, non tamen essentiam conspici — (2). Ex quibus

participare, (enti imperfetti); uti cum ideae pulchritudinis freti, dicimus v. g picturam Raphaelis pulchram quidem esse (participare della bellezza) non autem ipsam totamque esse pulchritudinem (essere la bellezza stessa). Quod cum detectum fuerit, arguimus — aliquod esse ens perfectum quod ideam entis complet adaequate —, si enim ens eiusmodi est pensabile, ergo et reale, quia pensabilitas est actus primus entis in realitate, ceu in actu secundo complendi, vel completi.

(1) S. I, XIV, III ad I —. Deinde ipse Gioberti cum cogitur aliquod argumentum adducere pro tuenda formula creationis, putasne eum aliquid novi moliri et excogitare? Nequaquam, sed veterum vestigiis insistens ex creatoris ratione propriae existentiae destitutis deducit creatorem. Fortasse ipse deceptus est, loco actus creativi terminum externum eiusdem, ideat mundum accipiendo, quem, cum iam pridem sive ratiocinio, sive traditione, sive fide edoctus sciverit esse creatum, atque veluti habitualiter prae oculis haberet hanc veritatem de mundi creatione, ratus est ipsam esse veritatem intuitivam, primigeniam, evidentissimam, non minus quam principia logicalia in dubium vocandam. Id sane non docuisset, si attente perpendisset cognitionem creationis — esse veritatem ultimam completivam scientiarum, non vero primam, initialem, quae origo sit philosophiae —.

(2) Ast quomodo, per Iunonem haec tam absurda abstractio, essentiae nempe Dei, ab eius natura fieri potest? Fit quidem a nobis, vel, putamus saltem fieri, quia identitatem utriusque nunc non cernimus, atque nostro concipiendi modo loquimur etiam de Deo; secus autem contingeret iis quibus Deum videre datum foret.

verbis colligitur ipsum ex una parte visionem essentia divinae spiritui auferre, ex altera autem iterum in errorem impingere, essentiam Dei ab eius subsistentia dividendo, cum vel infimis theologie tyrunculis constet, essentiam et subsistentiam in divinis idem plane esse, ideoque unam, non sine altera intueri nullatenus posse. Demum menti revera actum creativum latere etiam eruitur ex ipsis ambiguitatibus et haesitationibus, quibus haeret Gioberti, cui formula idealis modo est — primum axioma — veritas evidentissima —, modo — mysterium obscurissimum —, cuius ne cognitio quidem, sed umbra et rudimentum cognitionis solum illucet. Dicatur itaque atque firmiter retineatur terminum extrinsecum creationis, vel mundum nos tantum contemplari, atque ex visibilibus invisibilem arguere conditorem, ut docent Scripturae Sacrae, ac ratio confirmat.

3.° Tandem (en tertium principium) tuetur realitatem antevertere possibilitatem quae in illa insidet, atque ex ea educitur. Verum aut ipse de realitate divina, aut de creata loquitur si de prima certum est, nullam ipsi praeeuntem esse possibilitatem, nisi saltem mentalem, cum Deus semper ab aeterno realiter extiterit. Quapropter inquiri nequit an realitas Dei praecesserit, aut fuerit eius possibilitatem subsecuta. Sin vero de creata et contingenti realitate sermo est, dicendum, ante entium realitatem solum initio temporis caeptam, eorum praeextitisse possibilitatem, alioquin numquam tempore condi potuissent, cum luce clarius sit id creari posse, quod ab aeterno in sua semper fulsit possibilitate. Realitas itaque creata in ordine ontologico consequitur possibilitatem, atque ab ipsa possibilitate, quae utique aeterna est, Deoque infixa, distinguitur. Ast posterior quoque nobis est in ordine logico, vel cognitionis humanae, quae nisi prius concipiat aliquid posse existere, numquam quae actu subsistunt perciperet; vel nisi possibilitatem rerum prius intueatur, nullimode poterit earum realitatem deinceps percipere. Ergo etiam logica possibilitas rerum praecurrit realitati, eaque utimur ad sensibilia percipienda. Quocirca falsum est possibilitatem logicam e realibus educi, quibus caeteroquin cognoscendis praevia est conditio. Dices fortasse — possibilitatem ab intuitione realitatis divinae abstrahi —, minime; nam qui directo mentis obtutu Deum conspiceret, ut beati, non posset amplius se ita ab eius intuitione subtrahere, ut realitate dimissa, solum eius retineat possibilitatem, quia in Deo possibilitas rerum aliud non est quam actus creativus, qui, ut vidimus, ab essentia divina, realissima et aeterna nequit ullo mentis nisu abscindi (1). En ergo tria adeo solemnia principia ut absurda, gratuita, ac ruinosa demolita.

(1) Sin ens possibile et ideale ipsa progigneretur tantum mentis reflexione abstrahente, id recte consequeretur, nempe, quod ordo rationalis in idea

297.° Caetera quae ex systemate giobertiano supersunt tot sunt consequentiae erroneae principiorum, quae vix auditae, aspernuntur. Hinc 1.° ubi creationem vocat — synthesim vel, opus reflexionis, vel, revelationem rerum, vel, axioma —, de pantheismo merito suspicatur, quia hae voces emanationem realium vel phaenomenalium videntur exprimere. 2.° Similiter ubi Deum creantem saepe ideam appellat, communi sensu refutatur; Deus quippe tam quoad se, quam quoad nos realissimus est; idea autem prout nobis innotescit, realitate omnino destituitur, atque solam rei possibilitatem ostendit. 3.° Itidem dicendum de duplici reflexione, scilicet ontologica, quae in obiectum intuitus, vel Deum creantem tantum inflectitur, et psychologica, quae in mentis intuitionem exclusive torquetur. Utraque enim reflexio, ipsa systematis natura, respuitur. Enimvero si omnia in actu creativo contemplantur, etiam in eodem actu animus intuens conspiciendus est; ergo reflexio ontologica in obiectum intuitus, seu in Deum creantem inflexa debet simul animi intuitionem deprehendere: idcirco verum haudamplius est reflexionem ontologicam in Deum directam, spiritum intuentem non attingere. Itidem reflexio psychologica spiritum intuentem unice considerat; atqui spiritus, sicut caetera, non apprenditur, nisi in actu creationis; ergo reflexio psychologica praeter spiritum etiam Deum creantem complectitur, ideoque binae reflexiones apprime propter terminorum identitatem unificantur. Tutius est igitur ut, duplici hac reflexione depulsa, unica ponatur reflexio, quae modo super obiecta, modo super mentem ipsam redit, atque nedum formulam idealem intuitionis, ut ipse ait, illustrat, verum etiam novas producit cognitiones (1). 4.° Immerito statuit, quod ver-

ontis vel in ente ideali, velint nolint adversarii, constitutus, non fuerit a Deo creatus, non nobis impositus, non propriis firmisque, ac ontologicis legibus munitus, sed opus humanum, vi animae fabricatum legibus plane subiectivis et arbitrariis fultum ideoque, ab homine uti creari, item destrui possit. Ineptiora adhuc hisce habentur? et tamen inter plausus fuere iam excepta?! Vid. op. praestantissimum — Vincenzo Gioberti ed il Panteismo — ed. Luc. in quo solum completa, radicalis et vere philosophica legitur Giobertianismi confutatio, quae in aliorum scriptis, ob veri systematis philosophici defectum, perperam desideratur.

(1) Pantheismo valde affinem esse ex eo etiam ostenditur, quod ipse dixerit, binas praedictas reflexiones potius ratione cognitionis, quam ratione obiecti cogniti invicem discriminari. Haec propositio praeterquamquod evertit hoc ipso, quod de reflexionum distinctione praecipue obiectorum diversitate innixa, dixit, redolet et indubitanter pantheismum, quippe quae spiritum (obiectum reflexionis psychologicae) cum Deo (obiecto reflexionis ontologicae) identificet, dicens ipse, unicum esse ambabus obiectum, atque earum discrimen in modo tantum cognitionis existere.

bum (la parola) utpote res sensibilis formulam vel obiectum intuitus magis, magisque declarat: siquidem verbum, utpote quidpiam creatum eadem formula creationis pariter continetur: diallelo ergo ipse volvitur. Deinde posito quod omnia nullibi intelligantur, nisi in Deo, et per Deum creatorem, nil igitur extra Deum haberi poterit intelligibilis, quod intuitionem ipsius entis creatoris clarificet, et explicet; secus daretur aliquid magis notum et perspicuum minime in Deo comprehensum, quod revera theoriae visionis idealis adversatur. Reflexio enim esset ipse intuitu clarior, utpote quae foret illuminatrix intuitus, iste autem illuminatus, quod profecto theoricae intuitus repugnat. Deinde reflexio nequit, uti par ipsi est, ad cognitiones perlustrandas simulque conferendas se extendere nisi prae oculis quandam mensuram communem, et universalissimam habeat cui cognitiones examinandae conferantur. Huiusmodi autem mensura communis mentique semper praesens tam praeteritis quam praesentibus et futuris cognitionibus applicabilis ideoque simplicissima et aeterna quaenam tandem erit nisi idea entis? Tantum ergo abest ut reflexio ideam entis universalis efformet, ut potius ab ipsa, idea entis dependeat tam in existendo quam in operando. 5.° Neque dici potest quod Deus sit obiectum universale scientiarum, aut forma mentis; nam scientiae propria sua habere obiecta distincta et alterius plane naturae, quae absque ulla divinitatis intuitione agnosci et percipi possunt, certum est. Numquid logicus, psychologus, physicus, mathematicus cum scientias suas elucubrantur Dei indigent notione tamquam primo scientiarum principio formali? Nonne apud ethnicos plurimi de divinitatis notione ignari, optime tamen in disciplinis philosophicis excelluerunt? Solius propterea pantheistae est, ideam Dei adeo extendere, ut omnia complectatur, quia ipsi, Dei et rerum unica est natura. Quare s. Thomas, ne Deus vocetur forma mentis, expresse negat Deum modo intueri, « eo quod Deus non veniat in compositionem ullius entis ». Atque ideo pariter docet, Deum haud vocari particularem vel universalem posse, ut vellet ipse Gioberti. « In divinis, inquit Angelicus non potest esse universale vel particulare » (1). 6.° Denique iudicium divinum — ego creo — ore ideae prolatum, atque mentis intuitione auditum; duplex possibile, divinum et humanum, ideae subiectivae et contingentes, atque etiam id genus plura; quae passim in eius operibus recurrunt, tot sunt vel gratuitae sententiae, vel absurda evidentissima risu excipienda (2).

(1) In L. Sent. dist. XIX, IV, III.

(2) « Quamdiu a domino peregrinamur, s. Paulus docet, nos Deum videre in specie et in aenigmate ». Species autem quid est aliud latinis, et graecis quam idea, uti ex Cicerone, et ex s. Augustino atque Angelico constat? Por-

Animadversio generalis in systemata exposita.

298.° Melius caeteris animae insufficientiam ideis pariendis certe perspexerunt nuper refutati philosophi, qui non utique inter spiritus latebras, aut leges subiectivas principium inquisiverunt idearum, sed altius consurgentes ad obiectum aeternum perrexerunt, a quo lucem penitus divinam mentibus humanis rutilare conspexerunt, cuius fulgores in tot ideas convertuntur. Id autem, quod penes ipsos arguendum venit, ad huiusce obiecti naturam spectat, quod, nimio imaginationis aestu elati, Deum ipsum intuitui mentali splendescentem esse propugnarunt, cum contra non sit aliud, quam, tenuissima eius intelligibilitatis scintilla, essentiam entis in genere dumtaxat praeseferentis. Quapropter, ut paucis concludamus, decepti sunt eo quod, naturae entis idealis et indeterminati sat non studuerunt, neque proinde problema ideogonicum solvere potuerunt.

CAPUT QUINTUM

SANCTI PATRES PROBLEMA IDEOGONICUM IAM PRIDEM RECTE NOVERUNT, AC INCONCUSSIS RATIONIS, FIDEIQUE DOCUMENTIS PENITUS RESOLVERUNT.

299.° Saepe sane numero ss. Patres, vel circa animi naturam vel circa Verbi divinitatem philosophos, praesertim platonicos, increpantes, spartam hanc de idearum origine ingressi sunt. Primi ferme Ecclesiae Patres adversus platonicos alexandrinos, deinceps s. Augustinus contra academicos, platonicos et arianos, s. Anselmus in nominalistas et realistas strictiores, s. Thomas et s. Bonaventura contra ultimos platonicos ac sensistas hac de re acriter, strenueque sua aetate pugnarunt. Quibus omnibus una eademque semper infuit sententia, nimirum — ideas divina pollentes natura, haud aliunde promanare, quam a Verbo divino, — *quod est lux vera illuminans omnes homines in hunc mundum venientes* —, quin de huiusce idearum partecipationis modo data opera numquam fere disputaverint. Non enim quaestio movebatur de modo divinae originis idearum, sed tantum de earum origine et natura generatim, quae tamen sat ipsis

ro, si Deus directe in propria substantia cerneretur, non equidem idea vel species divinitatis haberetur, sed perceptio intellectiva, qua realia cognoscuntur, eaque in caelis utuntur beati. qui gloriam Dei immediate speculantur. Insuper species isthaec in qua Deum cognoscimus, aliud non putamus esse, quam ideam entis, quae, ut diximus, est species specierum.

erant, ut inde evincerent divinitatem Verbi, cuius lumine intelligentes efficimur et ratiocinantes. Quo lumine et ipsi haeretici uti debebant, quamquam in suam perniciem, atque in offensam Verbi, cuius lucem adhibebant, ut eum inficiarentur, vel contemnerent. Sero postmodum, aetate nempe Scholasticorum, quaestio ideogonica fuit identidem saepta, cum de concilianda philosophia cum theologia tunc temporis maxime ageretur, eiusque vestigia penes ss. Thomam et Bonaventuram potissimum occurrunt. Eos ergo nos debemus adire, et praecipue s. Thomam, qui tam ingenii subtilitate, quam rationum pondere ac analysis vi caeteris fortasse accuratius, et etiam fusius id expressit ac solvit cohaerenter ad effata catholica, in hanc rem iam ab antiquis Patribus tradita, ac rel ideogonicae, prout illis dabatur, applicita. Quocirca non tam sententiae privatae, quam oracula totius traditionis ecclesiasticae accipienda sunt si quae recta, si quae rationabilia, si quae probatissima apud Doctorem Angelicum reperiuntur. Ast priusquam id suscipiatur discutiendum, praestat praemonere, Angelicum posse ab Augustino in eo discrepantem inveniri, quod Angelicus quandoque lumen mentis — creatum, aut veritatem creatam — nuncupat, — increatam — autem Augustinus. Verum, praeterquamquod Angelicus saepissime lumen mentis increatum quoque appellat, uti videbimus, consuescit pariter creatum dicere, non quasi sit creatum in se, sed quatenus, licet increatum, creatis panditur intellectis quibus semel infusum, videtur pene ipsis accommodari ac determinari; alioquin dicendum foret, stultissime Angelicum sibi ipsi contradixisse, unum idemque lumen, modo creatum, modo increatum dictitans, perinde ac si non novisset, creatum ab increato infinite distare, quod certe de tam grandi semper sibique consono Aquinatis ingenio dici nefas est. Increatum igitur ac divinum est lumen mentis, creati contra, vel concreati limites subiectivi, quibus mentibus humanis rutilat (1). Qua peracta conciliatione, iam nobis licet fidenter ac tutissime doctrinas Angelici in medium proferre (2).

(1) Vid. s. Aug. De v. relig. cap. XXXIV — XXXVI — S. Thom. S. I, XVI — de ver. XI, I. — S. I, LXXXIV, V, atque alibi, ubi docet — lumen mentis aeternum et increatum esse — atque S. I, XVI, VII, VIII., ubi disces, quo sensu creatum dixerit.

(2) Curandum est ne in interpretatione Angelici quibusdam mos geratur, qui, nescio an ignorantia ducti, an livore in eos qui omnium primi aevo nostro philosophiam Doctoris Angelici erigere tentarunt, videntur omnes ingenii vires intendere ad quaeque ex Angelico absurda eruenda philosophorum etiam ineptissimis indigna, quae proinde s. Doctor numquam subintellexit, neque docuit. Ad nostram expositionem quoad spectat, sagacibus et sinceris Doctoris discipulis eam exhibemus, ut nostris et alienis auditis, iudicium liberrime ferant.

ARTICULUS UNICUS

IDEOGONIA S. THOMAE AQUINATIS

300.° Peracutus Doctor duas oppositas semper sibi proposuit sectas refellendas, platonicorum videlicet, et sensistarum. Priores redarguit, eo quod visionem propugnaverint divinitatis, quibus, duplici tantum praemissa Dei visione, nempe per essentiam, et per creaturarum contemplationem, respondit multis rationibus et absurdis inde secuturis, primum divinitatis videndae modum nobis in caelis ultimo reservari, ac propterea alterum solum in praesentiarum nobis elargiri, cui cognitioni, lumen rationis contemplationi universi applicitum, sufficit. Posteriores autem, idest sensistas contrariis perstringit argumentis, statuens, sensationes cognitionibus gignendis ineptas esse, iisque fore insuper lumen divinum intellectus adnectendum, quo, ceu medio cognitionis, sensibilia intellective percipiantur. Quamobrem ipse mediam inter visionarios platonicos, et obcaecatos sensistas viam ingreditur, ex intellectu, elementum intelligibile vel ideale, et ex sensibus, elementum sensibile pro cognitionis formatione, depromens. Verum iam ipsum adeamus.

§. 1. — *Iuxta s. Thomam potentia intellectiva lumine divino orbata sibi non sufficit ideis pariendis, intuendisque*

301.° Quotiescumque s. Doctor loquitur de potentia intellectiva, quoddam lumen ei infixum semper memorat, quo ipsa, veluti medio cognitionis utatur, atque semetipsam perficiat. « Lumen intellectuale in aliquo existens per modum formae permanentis et perfectae, perficit intellectum principaliter ad cognoscendum principium illorum, quae per illud lumen manifestantur » (1). Habes hic notitiam principiorum derivatam a lumine intellectus, ceu forma intellectui haerente. Item: « in omnibus substantiis intellectivis invenitur virtus intellectiva per influentiam divini luminis » (2). Non itaque ab animae visceribus ac medullis, ut sic dicam, sed ab extrinseco influxu *luminis divini* originem cognitionis humanae Angelicus expresse deducit. Alibi item probat: « illud quod habet in nobis esse intelligibile non pertinere ad naturam nostram » (3). Pertineret autem indubitanter, si ens intelligibile (idea entis) esset naturalis activitatis

(1) S. II, II, CLXXI, II.
(2) S. I, LXXXIX, I.
(3) S. I, XXXIV, II.

cogitantis effectus. Pluries rursus sparsim docet: « nos res intelligere in luce divina, in veritate incommutabili et aeterna, in rationibus aeternis (1), in specie intelligibili (idea), quacum mens strictissime unitur (2), veluti principio quo, aut medio cognitionis, aut forma faciente intellectum in actu, idest intelligentem ».

Demum attente art. IV, q. LXXXV S. 1, legatur; ibi enim dum contendit « intellectum agentem esse aliquid animae, statim simul ab intellectu lumen eius distinguit, solvens sibi difficultatem obiectam, quod videlicet intellectu agente animae semel identificato, fortasse oporteat, ipsi animae etiam identificare » lumen intellectus, cuius est illuminare ad intelligendum, quodqne caeteroquin notum est altius esse anima secundum illud — erat lux quae illuminat etc. cui sic respondit: « dicendum qnod illa lux vera illuminat sicut causa universalis, qua anima humana participat quamdam particularem virtutem » vel, ut paullo ante dixerat « participat lumen intellectuale secundum illud Psalmi — signatum est etc. » Duo ergo ibi probe distinguuntur, lumen et intellectus, qui est facultas receptiva luminis praedicti.

§. 2. — *Quid sit apud s. Thomam lumen intellectus agentis*

302.° Naturam luminis intellectualis ab intellectu iam dictis clare distincti, ulterius Angelicus vestigans, sic se habet: « dicendum quod in luce primae veritatis omnia intelligimus et iudicamus, in quantum ipsum lumen intellectus nostri nihil aliud est, quam quaedam impressio veritatis primae » (3). Ast quid iuxta s. Thomam, nomine huiusce veritatis primae intelligendum venit? Veritas prima, respondet « illud est per se et omnino notum, imo notissimum, circa

(1) S. I, XII, XI. et alibi saepe de veritate X, de mente art. XI. — S. I, LXXXIV, V; ubi explanat visionem D. Aug. in ideis, vel rationibus aeternis, et quo sensu sit accipienda.

(2) C. Gent. LIX — S. I, XV, II — ubi de influentia speciei intelligibilis super intellectum. S. I, LXXXVIII, III, I, ubi de lumine rationis utpote *principium quo*, et inde occasionem arripit rursus refellendi visionem Dei, qui, si intueretur, esset potius *principium quod*, idest obiectum determinatum cognitum. Interdum etiam lumen rationis vocat *principium quod*, sed in quantum est obiectum indeterminatum. His accedunt loca iam alibi memorata, ubi probat « neque angelorum neque mentium humanarum, sed Dei solius esse per semetipsum, nullo adhibito extrinseco lumine, intelligere, quia eius essentia sibi lux est, veritas ac rerum exemplar ». Aliud videant si possunt, qui pantheismo glorientur, et qui etiam inter sensistas et subiectivistas angelicum impudenter et calumniose recensent eius doctrinas crudeliter dilacerantes.

(3) S. I, LXXXVIII, III, ad I.

quod numquam mens errat (1), seu ens in commune quod incognitum esse non potest (2), quia obiectum mentis est ens vel verum commune (3). Enimvero, illud quod primo intellectus concipit quasi notissimum, et in quo omnes conceptiones resolvit (vide iam ex uno lumine omnium idearum originem) est ens » (4) —; eoque magis, quod iuxta Scholasticos — ens et verum convertuntur — (5). At veritas, vel ens in genere estne Deus ipse intellectui agenti inhaerens instar formae vel obiecti primigenii? minime: prosequitur enim Angelicus: « ipsum lumen intellectus nostri non se habet ad intellectum nostrum sicut quod intelligitur (obiectum determinatum), sed quo intelligitur (medium universale cognitionis) »: quia alibi subdit: « illa lux vera illuminat sicut causa universalis (6); ideoque multo minus Deus est id quod primo a nostro intellectu cognoscitur » (7). Lumen ergo intellectus agentis non est Deus, qui revera ens universale, vel commune vocari nequit; uti ex professo docet Angelicus duplicem discernens veritatem, alteram communem, universalem, abstractam, alteram personalem, realem; ex quibus prior *idea entis*, posterior Deus est. Item: « cognoscere Deum in aliquo communi (in idea entis universalis) non est simpliciter Deum cognoscere, sicuti cognoscere venientem non est cognoscere Petrum, quamvis sit Petrus veniens » (8). Neque regeras — lumen intellectus subiectivum esse —; nam expresse Doctor profitetur « id nobis esse a Deo immediate impressum » (9). Ex quibus itaque evidenter infertur, lumen intellectus tametsi divinae originis, atque ab intellectu humano

(1) S. I, XVII, III ad 2.
(2) De verit. XXII, ad X.
(3) S. I, LV, I.
(4) De verit. I, I.
(5) Ibid. cui consonat s. Bonaventura: « nisi cognoscatur quid est ens per se, non potest plene sciri definitio alicuius specialis substantiae; esse est id, quod primo cadit in intellectum ». Itin. etc.
(6) S. I, LXXIX, IV ad I. — Hinc etiam expresse dicit: « obiectum intellectus est ens universale » S. I, CV, IV.
(7) S. I. LXXXVIII, III, ad I. — De verit. X. XI. Quid regerunt Giobertiani?
(8) S. I. II, I. — S. I, LXXIX, VII « intellectus respicit suum obiectum secundum communem rationem entis » et: « intellectus habet operationem circa eos in universali ». S. I, LXXIX, II, quo sane modo Deus neque est, neque proprie intueri potest. Pseudomysticis et neoplatonicis plura sunt hic verbera, quam verba.
(9) De creat. spirit. art. X. — de verit. XI, I. — S. I, XVI, V ad 3. ait « omnis apprehensio intellectus a Deo est ». S. I, LXXXIX, IV declarat divinam praedicti luminis participationem secundum fidei documenta. Idem de verit. X, VI — S. I, LXXXIV, IV ad I.

diversum, nondum Deum esse, cum non omnia referat quae Dei sunt. non sapientiam, non bonitatem, non omnipotentiam, non iustitiam, non eius integram naturam unam et trinam, aliaque infinita, sed de ipso solum participat quod idealem immutabilitatem, intelligibilitatem, aeternitatem, necessitatem etc. quibus logicis characteribus nedum lumen istud, verum quoque omnes ideas luminis praefati influxu enitescere cernimus. Ecquis ergo immutabilitatem, necessitatem, aeternitatem principiorum rationalium considerans, putat haec Deum esse, aut Dei attributa quaedam mentis intuitu inspecta? Ex Deo utique sunt, et divina, non tamen Deus ipse conspectus. Id eruitur etiam ex Sacra Scriptura, ubi dicitur equidem — Deum esse veritatem —, nullibi tamen e converso — veritatem esse Deum —, quia non tota divinitas veritatis notione continetur, et expromitur, quia nunc veritas mentibus humanis manifestatur alio prorsus modo, ac in Deo invenitur, atque Deus est. Nam veritas nobis idealis et abstracta videtur, in Deo autem realissima est, atque completa. Cum itaque repugnet lumen intellectus agentis ens reale et completum, nempe Deum esse et appellari, satius est cum D. Thoma concludere — nil aliud esse, quam ens commune, universale, indeterminatum, obiectivum et aeternum — (1).

§. 3. — *Expositio originis idearum ad mentem s. Thomae.*

303.° Principio nobis est probe considerandum, Doctorem Angelicum neque in sensistarum, neque in platonicorum ideogonias consensisse, quod perspicuum fit ex theoria de intellectu agente, ideo invecta, ut utrasque exploderet. Porro in theoria thomistica de intellectu agente septem sunt sedulo secernenda, 1.° intellectus agens, 2.° lumen eius, 3.° phantasma sensus, 4.° conversio intellectus lumine perfusi super phantasmata, 5.° illuminatio phantasmatum; 6.° species intelligibilis, 7.° intellectus possibilis, vel patiens, quo species intelligibiles recipiuntur (2). Intellectus agens est rationis facultas, quae lumen sibi infixum rebus cognoscendis adhibet. Lumen intellectus agentis appellatur causa prima, vel agens primum et principale

(1) Attente opera D. Thomae perlegentibus duo invicem distincta fere ubique notatu dignissima obveniunt, 1.° intellectum agentem coniunctum iri lumini naturae et originis divinae; 2.° atque hoc lumen nondum Deum esse, alias ipsius Dei iam nunc intueretur essentia, quod dictu impium est.

(2) In quorum intelligentiam digni sunt qui attente legantur art. III, IV q. LXXIX S. I. necnon art. III, IV q. LXXXIV, et art. I, II, q. LXXXV eiusdem partis summae, ubi iterum atque iterum, semperque iisdem fere verbis ac consueta claritate modum agendi intellectus agentis exponit; nos enim haud decet hic integra loca referre, ne nimii videamur.

cognitionis; phantasmata contra agens instrumentale et secundarium (1), aut etiam materia causae intellectivae (2). Quae bina elementa vi intellectus agentis, quam alibi etiam vocat « virtutem quamdam animae nostrae (3), ad phantasma sese convertentis », simul uniuntur: hac unione fit, ut phantasmata lumini intellectus sic adiuncta, illuminentur ac intelligibilia reddantur, idest in lumine intellectus agentis conspiciantur. Atque inde, dimissis conditionibus individualibus, seu realitate rerum perceptarum, exurgit species intelligibilis immaterialis, vel universalis, vel conceptus rei tamquam possibilis intellectui possibili praesentis. Hic intellectualis conversionis ordo aliis verbis sic exprimi potest. Hominis natura utpote simplex, atque sub omnibus potentiis sensitivis et intellectivis una semper ac identica, acceptis sensationibus, ope facultatis synthesis primitivae, vel rationis (4) (intellectus agentis) lumen intellectus sensationibus coniungit, (en synthesis primitiva vel conversio intellectus), phantasmata illustrat (intellective percipit), atque species intelligibiles, vel ideas rerum acquirit. Hac ratione sensibilia in specie intelligibili, vel in idea apprehensa universalizzari dicuntur, quia eorum tantum mente retinetur essentia, aut possibilitas contuenda in aliis atque aliis individuis etiam realizzabilis. Sic, ut mens post v. g. floris perceptionem intellectivam, poterit flores sibi exhibere innumeros, atque, prout occurrerit, flores reales in eadem idea floris conspicere. Hinc mens dicitur adepta speciem, vel ideam specificam universalem, et singulis individuis eiusdem naturae applicabilem.

Atque hinc colligitur 1.° intellectum agentem solo nativo lumine instructum adhuc non esse, ut ait Angelicus (5), nisi in potentia

(1) De verit. X, VI ad 7. Idem affirmat s. Bonav. Itin. etc.

(2) S. I, LXXXIV, IV.

(3) S. I, LXXXIX, IV.

(4) Non ergo, ut non ita pridem in diariis vulgabatur, natura animae per se, et immediate, sed per facultatem rationis copulat lumen intellectus sensationibus. Id enim clare insinuat s. Thomas: « mens (purus intellectus) regit inferiores vires, et sic singularibus (phantasmatibus vel sensationibus) se immiscet movente ratione particulari (non igitur ipsa natura animae) quae est potentia quaedam (non iterum tota natura animae) individualis, quae alio nomine dicitur cogitativa ». De verit. X, V —. Vel rectius etiam, non animae natura, sed hominis, in rationalitate fundata, ipsa est quae bina cognitionis elementa connectit. Fraudolenter ergo censorea nostri naturam animae in naturam hominis immutant. S. Thomas autem, quem allegant, de natura potius animae (mentis) quam hominis loquitur.

— Vid. S. I, LXXXIV — ibid. LVII, I. — LXXVI, II. — Cont. gent. II, LXVII — S. I, LXXIX, IV — quibus in locis sensuum rebus percipiendis impotentiae medetur per conversionem intellectus agentis et applicationem eius luminis.

(5) C. Gent. II. LXXVII — S. I, LXXIX, IV ad 4.

ad determinatas species, vel ideas rerum quae universaliter iam continentur in lumine intellectus, vel in idea entis, quam merito nuncupat — speciem specierum, aut rerum possibilitatem —. 2.° Has species determinatas praesentari a phantasmatibus, vel in communi rerum possibilitate (idea entis), occasione phantasmatum, determinari. 3.° Item, species intelligibiles universales esse, seu immateriales. Obiectum enim intellectus est ens universale, possibile, aut ideale; quo fit ut ideae, vel species intelligibiles in ipso, ut ita dicam, descriptae, nihil etiam exhibeant rerum individualitatis, aut realitatis, et subsistentiae; sed magis earum essentiam communem, specificam, immutabilem, et universalem, indefinite individuis percipiendis aptam. 4.° Phantasmata, aut sensationes eatenus intelligi, quatenus super ipsa intellectus agens sese convertens, applicat species intelligibiles, vel ideas specificas, aut lumen, vel ideam entis indeterminati, prout secunda aut prima vice res percipit. 5.° Nil propterea obstare, quominus haec intellectus conversio appelletur iudicium, aut perceptio intellectiva (1).

304.° Ast duos hic offendimus scopulos: etenim iudicium nuper expositum repugnare videtur, tum 1.° quia praedicatum, seu idea entis est universalis, subiectum autem peculiare; tum 2.° quia cum subiectum, idest sensatio, ante applicationem luminis lateat, videtur ipsi non posse lumen intellectus applicari.

Quibus difficultatibus respondet ipse Angelicus, et quidem primae « ens quod est primum per communitatem (ens universale vel commune) cum sit idea per essentiam rei cuilibet (en identitas rerum in idea entis, quae aequationem gignit iudicio primitivo adeo necessariam) nullius proportionem excedit (revera omnia aeque entia sunt), et in cognitione cuiuslibet rei ipsum cognoscitur (quia sine idea entis nullum ens percipitur) (2) ».

Hinc quemadmodum tam parva gutta aquae, quam omnes aquae marium in una atque eadem idea aquae percipiuntur; sic tam entia quatenus singularia, quam omnia entia indiscriminatim in eadem idea entis universalis concipiuntur, quia elementum formale cognitionis unum idemque semper est, nimirum essentia rei, quae, sicuti in allato exemplo, sive in unius guttulae, sive in omnium aquarum cognitione interest; sic et idea entis, vel essentia entis, quae pariter in singulis cuiusque generis cognitionibus invenitur. In nulla tamen earum idea entis, utpote indeterminata, exhauritur, vel completur, et ideo dicitur quod aequatio inter ideam entis, et entia cognita non sit perfecta, sed imperfecta et partialis, idest tanta est, quantam identitas inter subiectum et praedicatum iudicii requirit, cuius praedica-

(1) De verit. X, VIII.
(2) Ibid. art. XI.

tum plus semper quam subiectum extenditur. Paucis, non universalitas, sed essentia entis rebus sensibilibus adnectitur, et quidem in ea mensura et modo, quem sensationes praescribunt.

Ad alteram difficultatem idem Doctor respondet: « prima actio intellectus per speciem est formatio sui obiecti, quo formato, intelligit, simul tamen ipso tempore format et formatum est, et simul intelligit » (1). Primum ergo iudicium ex s. Thoma sibi procreat et parit subiectum per speciem intelligibilem, quae tamquam praedicatum copulatur sensationi cognoscendae. Hoc pacto iudicium primitivum a caeteris iudiciis secundariis distinguitur, quae voluntate intelligente fiunt: contra, iudicium primitivum fit *virtute intellectus agentis*, vel ut diximus, synthesi rationis, quae in simplici atque identica hominis natura radicata, sensationibus illico formas adnectit intellectus, et affirmat adesse ens quoddam reale. Neque nos aliter primam rerum cognitionem explicamus, ut ex dictis, atque etiam ex dicendis magis patebit.

§. 4. — *Cur iudicium primitivum dicatur a s. Thoma — abstractio specierum intelligibilium a phantasmatibus —.*

305.° Quidam ex nuperrimis D. Thomae commentatoribus, ac praecipue Mamiani, de Gratia, aliique huius scholae, licet eos maxime pudeat Angelicum sensistis expresse accensere, tacite tamen ipsis adsociant, cum talia ipsi appingant, quae nonnisi ex sensistarum penu defluunt. Atque inter alia propugnant Angelicum *species intelligibiles* (ideas) phantasmatibus fudisse, atque ex ipsis ope abstractionis cuiusdam educi, et intellectui possibili contemplandas offerri. Id quoad Aristotelem, Lockium, Condillacum, aliosque sensistas compertum est. At s. Thomas nobis videtur contraria prorsus docuisse, ac solum calumniose tantae absurditatis posse insimulari, quod clarius ostendendum suscipimus, sensum genuinum adductae abstractionis declarantes (2).

306.° Atque in primis apud s. Thomam nil tam saepius invenitur, quam quod phantasmata debeant prius illustrari, aut super ipsa lu-

(1) De natur. verb. intell. — de verit. X, VIII.

(2) Interea iam consule S. I, LXXXIV, VI — ubi studiose decernit species intelligibiles haud a rebus sensibilibus proficisci. — De verit. X, VI — infiniti propemodum essemus si omnes hic adducerentur Angelici doctoris sententiae, quibus haud subobscure, sed manifeste declaratur, species intelligibiles (ideas) a sensibus non provenire, atque ipsis tantum applicari ab intellectu cui praesentes sunt atque conspectae. Dementia ergo eos caepit, qui in tanta luce adhuc caecutiunt, et audent putidum sensismum menti angelicae s. Thomae inferre.

men intellectus agentis fere effundi; deinde species intelligibiles abstrahi. Illustrantur ut alibi, ex *additione ad ens* (1), quod est obiectum intellectus: cum autem quidquid in ente universali intuetur, universale sit, etiam sensibilia in ente percepta, universalia evadunt, vel, ut ipse loquitur, immaterialia. Attamen eiusmodi universalitas post elapsam perceptionem intellectivam dignoscitur, quia tunc, dimissa realitate, vel individualitate sensibili, pura ac communis rei perceptae essentia menti relinquitur, quae prima fronte a sensibilibus quodammodo abstracta videtur; non quasi ex sensibilibus fuerit proprie ac realiter extracta, atque intellectui immissa eo ferme modo, quo corpus ab uno in alterum transfertur locum, sed eo sensu quod species intelligibilis prius realitati perceptae unitur, postea autem inde soluta concipitur. Primo casu veluti coarctari, secundo autem magis dilatari, fere cernitur, etsi tam in primo, quam in secundo universalis semper extiterit. Huiusmodi apparentis abstractionis naturam magis explicat Angelicus ostendens; « ideam idem esse, ac universalitatem, vel intentionem universalitatis, quae in intellectu est, atque ab intellectu rebus adnectitur sensu expertis ». « Hoc ipsum, inquit, quod est intelligi, vel abstrahi, vel intentio universalitatis (sunt ergo tria plane synonima) est in intellectu » (2). Quae cum ita sint, patet in abstractione praefata nihil ex phantasmatibus distillare, nil dividi, nil avelli, quinimo ipsi adiungi et apponi universalitatem in intellectu constitutam. Sicut enim absurdum foret singularibus universalia commisceri, ita absurdum pariter est ex singularibus universalia eruere, vel abstrahere. Porro id absurdi ipse procul a se repellit, cum adhibitae scholarum loquendi formae rationem adiungit,

(1) Phantasmata illustrare idem est ac ea additione entis universalis universalizzare. « Illuminantur quidem phantasmata, quia phantasmata ex virtute intellectus agentis redduntur habilia, ut ab eis intentiones intelligibiles abstrahantur ». S. I, LXXXV; I. ad 4. Quod ita accipiendum est: ante sensationem mens intuetur ideam entis indeterminati, quae est in potentia ad quaslibet ideas determinatas. Hinc, ortis sensationibus, applicatur idea entis, quae, mediante hac applicatione peculiari, determinari videtur ad indicandas causas sensationis, in quantum ideae earum, quae virtualiter idea entis involvebantur, exprimuntur, vel explicitae et distinctae fiunt; quae cum post sensationes remaneant in mente, dicuntur abstractae a sensibilibus, quia occasione sensationum fuerunt excitatae. Item S. I, LXXXV, I ad I. docet « post conversionem intellectus super phantasmata remanere in intellectu similitudinem, quae est repraesentativa eorum, quorum sunt phantasmata solum quantum ad naturam speciei ». Habes enim ibi ideam puram, vel specificam rei non equidem a phantasmatibus deductam, sed occasione eorum in intellectu resultantem; neque phantasmata, sed ens externum repraesentantem.

(2) S. I, LXXXV, II.

duplicem abstractionis speciem distinguens (1), alteram per modum compositionis et divisionis, cuiusmodi est abstractio proprie dicta, quae dividit ac discernit copulata; alteram per modum simplicitatis, quae rerum naturas vel essentias seorsim sine materialibus vel individualibus conditionibus considerat, quaeque propterea quaedam peculiaris non est animi facultas, sed ipsa lex ontologica intellectus, cuius obiecta, ideae semper sunt simplicem rerum essentiam vel possibilitatem, vel speciem pluribus individuis realizzabilem, et communem referentes (2). Ex eo ergo processit Doctoris interpretatio nonnullorum, quod isti unam tantum et quidem communiter acceptam agnoverint abstractionem, cuius profecto munus, est obiecta composita dispescere, atque, etiam in eorum hypothesi, in phantasmatibus species intelligibiles secernere. Insuper etiamsi id, ut optant, totum daretur, pateret ne iam origo idearum, sicut ipsi contendunt? Minime: nam cum abstractio super ideas exerceatur, ideas iam praecedentes supponit. Porro undenam ideae ortae fuerunt? En a capite difficultas. Demum, nonne Angelicus rotundis verbis docet (S. I CV, III) « Deum imprimere intellectui species intelligibiles »? Et quando? Infundendo lumen intellectus agentis, in quo virtualiter continentur, ut ipse ait in qq. de veritate et alibi passim. Quantum ergo ab Aquinatis mente abscedunt, qui species intelligibiles a phantasmatibus abstrahi tuentur.

§. 5. — *Anne sit Angelici doctrina, quod sensus directe, intellectus autem reflexive sensibilia cognoscat.*

307.° Quidam nuperrimi sensismo aristotelico (3) adhuc inquinati, hanc in Angelico doctrinam invenisse aestimarunt, quod vide-

(1) S I, LXXXV, art. I.

(2) Iam advertimus Scholasticos perceptionem intellectivam sensibilium nuncupasse abstractionem eo quod idea quamdiu per perceptionem remanet sensibilibus unita, puta quamdiu idea v. g. topatii applicatur alicui topatio reali, videtur particularia, ac tota realitati circumscripta: postmodum autem in se absque ulla applicatione perspecta, universalis apparet, idest omnibus topatiis communis: quocirca haec distinctio vel seiunctio, abstractio quidem dicta fuit a scholasticis; ast immerito, quia idea nil passa est, neque crevit, neque diminuta est, atque eadem semper remansit sive in perceptione, sive post ipsam. Si quid autem circa ipsam factum est in tota seiunctione consistit, quia ipsi subtracta est materia cui referebatur nempe realitas externa. Quae propterea mentis operatio, dici debet magis universalizzatio, quam abstractio.

(3) Aristotelea considerat sensum sicut parvum intellectum cognoscentem singularia, ex quibus deinceps universalia fiunt vel abstrahuntur. En ratio

licet ipse docuerit sensum directe et immediate sensibilia cognoscere, intellectum vero reflexive, reflectendo nimirum super phantasmata (en vera reflexio). Cuius interpretationis ratio haec est: sensus ideo, iuxta s. Thomam, directe sensibilia cognoscit, quia terminus sensus est quidpiam essentialiter singulare: intellectus vero reflexive ex phantasmatibus cognoscit, quippe qui potitur obiecto universali. Qua interpretatione nil stultius esse potest.

308.° Enimvero cognitio dupliciter sumi solet, latiori et stricto sensu. Priori sensu nihil vetat, ut sensui quandoque tribuatur, quemadmodum etiam verbum — sentire — identidem — pro cognoscere — accipitur. Ast neutro in casu vera cognitio et sensatio habetur, quia sensatio et cognitio duo sunt adeo secum ipsa pugnantia, et adversa, ut ubi una ponitur, altera inde sit necessario auferenda (1). Probavimus enim in gnoseologia haec duo infinite differre. Posteriori autem sensu vera utique est cognitio; ast sensui denegata: de ipsa quippe quoties Angelicus loquitur semper inculcat eam idem esse ac universale vel in se, vel comitatum sensationibus apprehendere, aut *species intelligibiles* abstrahere, vel intentionem universalitatis addere. Quas operationes universalia intuendi, abstrahendi, addendi intellectui exclusive adscribit (2).

309.° Atque hinc factum est, ut ipse Angelicus, ubi de vera cognitione agit, moneat eam in solo intellectu locum habere, quem ideo dividit a sensu, atque metaphoricam tantum cognitionem sensui confert. Ad rem Cl. Rosminius. « Il comune degli uomini inclina a rallargare cotanto il senso di queste due parole, *cognizione* e *volontà* per l'inclinazione che hanno d'attribuire agli oggetti esterni ciò che sperimentano in se stessi. Come le nazioni ancor rozze attribuiscono un'anima a tutti gli oggetti della natura, perchè non possono intendere come si muovono gli oggetti naturali senza uno spirito che abbiano dentro, e ragionano forse meglio dei filosofi; così una vol-

praecipua, cur scholastici, plurimum formulis peripateticis inhaerentes, nomen abstractionis specierum tenuerint.

(1) Quomodo iudicium sensibus concessum fuerit etiam innotescit ex Aristotele, qui ab hoc iudicio sensuum excludit affirmationem et negationem, sine quibus, ut patet, iudicium improprie dicitur.

(2) S. Thomas in Lib. III. metaph. « Scientia de rebus singularibus non habetur nisi in quantum sciuntur universalia » — S. 1. LXXXVI « Singulare non repugnat intelligenti in quantum est singulare, sed in quantum est materiale (subsistens, reale) quia nihil intelligitur nisi immaterialiter (vel per ideam, vel possibilitatem) ». Si ergo nil absque idea cognoscitur, quid est amplius cognitio sensus, quae iuxta ipsos idea careret? eoque magis quod ipse Angelicus docet « cognitionem regulam esse vel mensuram, ad quam res mensurandae sunt ut cognoscatur »? Vid. de verit. X. 1.

» gare filosofia, per spiegare i fenomeni degli animali bruti, ricorre » all'analogia di ciò che s'osserva avvenire nell'uomo, e attribuisce » loro *cognizione* e *volontà* unicamente perchè vede che nell'uomo » dalla cognizione e dalla volontà provengono degli effetti somiglianti, » e ragionano certamente assai male. Laonde non fa meraviglia, che » questa inesattezza di parlare, per la quale si dà nome di *cognizione* » alla *sensazione*, e di *volontà* all'*istinto*, si scontri negli autori » antichissimi, quando la filosofia era ancora in fasce: piuttosto fa » meraviglia, che duri tuttavia » (1).

310.° Deinde quoad cognitionem reflexam sensibilium ex parte intellectus dicendum, nullis rationibus eiusmodi interpretationem comprobari. Nam 1.° Intellectus in hypothesi debet saltem phantasmata rerum directe percipere. Atqui phantasmata aeque singularia sunt ac res externae, quarum tot sunt signa distincta imaginatione instaurata. Ergo corruit, quo innitebantur, scilicet in tantum intellectum reflexive, non vero directe sensibilia percipere, in quantum singularia sunt obiectum intellectus.

2.° Reflexio cum quaedam sit mentis recogitatio, qua res cognitae recognoscuntur, iam cognitionem directam supponit praeeuntem. Eiusmodi autem cognitio undenam effluxit? non quidem a sensibus quibus nullum verae cognitionis genus, uti probavimus; neque etiam ab intellectu, qui, non directe, sed reflexive tantum incipit sensibilia cognoscere. Quocunque ergo te verteris, nancisceris quo erroris isti commentatores Aquinatis revincantur.

3.° Item: reflexio duplici sensu accipi hac in re potest, 1.° vel prout est actus animi, seu spiritus humani, 2.° vel prout est actus potentiae intellectivae tantum. Primo in sensu perceptio intellectiva sensibilium, dici quodammodo potest (etsi cognitio directa est) etiam reflexa, quia spiritus humanus, cui tam sensus, quam intellectus inest cum sensationes sibi adhaerentes percipit, in seipsum veluti inflectitur; ob quam propterea spiritus in semetipsum inflexionem, dicitur, quod sensibilia reflexive perspiciat; ast haec reflexio non ab obiecto recognito, sed ab ipso actu psychologico inflexionis nomen sortitur; et ideo apte vocari posset — reflexio psychica —. Non autem, ut sic dicam, ideologica, quae obiecta iam cognita maioris cognitionis causa, recogitat. Quoad enim cognitionem, haec reflexio psychica est tantum

(1) Anthropologia etc. — S. Thomas: « impossibile est quod intellectus intelligat per organum corporeum, quia natura determinata (singularis) illius organi corporei (in quo tamen sentitur) prohiberet cognitionem omnium corporum ». S. I, LXXV, II. Alibi declarat « sensum ad scientiam convenire in quantum suppeditat phantasmata, quae sunt materia cognitionis, formam autem semper ab intellectu repetit ». De verit. XVI.

directa; quia spiritus suum, ut sic loquar, in sensationes torquens intellectum, primo et directe eas cognoscit.

Reflexio autem in secundo sensu usurpata, idest quatenus est actus ipsius potentiae intellectivae, ea est, quae proprie reflexio nuncupari a philosophis solet, quae communitur definitur = mentis ad iam habitas cognitiones, atque nunc ipsi praesentes conversio eo fine ut magis intelligantur =. Quae certe reflexio non in animi actum, sed in obiectum mentis se colligit, atque toties potest multiplicari, quot sunt ideae reflexioni subiiciendae. Error ergo scholasticorum in eo est, quod ipsi hanc ad sensibilia, vel ad sensationes couversionem, reflexionem potius intellectus vocaverint, quam spiritus humani, quo in ultimo sensu nos eam amplectimur libenter (1).

4.° Hac ratione praefatam scholasticorum reflexionem fore intelligendam confirmant absurda inde recte consecutura. Nam 1.° sequeretur inter principium sensitivum et intellectivum arctam, ut par est, non intercedere unitatem, adeo ut non liceat intellectui, id directe cernere quod in sensu accidit. 2.° Sequeretur, solius cognitionis reflexae, quoad sensibilia, intellectum esse idoneum, ideoque semper suarum cognitionum conscium, atque in errorem proclivem, quia, ut diximus superius, cognitio reflexa parit conscientiam, atque est in errorem praeceps: quod tam contra animi naturam, quam contra sensum communem est, utpote idealismum et scepticismum redolens.

5.° Demum ratio, quae ad eiusmodi falsam interpretationem adducitur roborandam, nullius nobis momenti videtur. Etsi enim obiectum intellectus sit universale, atque in omnibus universale semper intellectus respiciat, non sequitur adhuc, quod intellectus directe sensibilia cognoscens, elementum universale dimittat: imo universali utitur etiam, cum perceptio intellectiva sit — applicatio elementi universalis ad singulare —, vel, — applicatio ideae entis ad sensibilia experta —. Iam ergo ante perceptionem, quam post ipsam, atque in ipsa intellectus semper retinet obiectum universale, quod modo in seipso simpliciter intuetur modo in eius applicatione ad sensibilia percipit. Certe cum canem individuum percipio nonne idea specifica canis utor? idest universale nonne adhibeo ad singulare percipiendum? Rursus, si etiam rectius loqui malumus, sensatio, tantum abest ut intellectum ab contemplatione universalis removeat, ut potius ipsum excitet ad videndum in obiecto universali aliquod ens peculiare: adeo ut intellectus ante sensationes obiectum universale intuebatur, sed uniforme, in-

(1) Excusandos tamen scholasticos arbitramur, quia, ut monet s. Thomas (de verit. X, IX) penes ipsos saepe contingebat, ut intellectus pro toto spiritu sumeretur, atque promiscue de utroque loquerentur; sic uti etiam intellectum (obiectum) pro intellectu (subiecto) interdum usurpantur.

determinatum, postea vero sensationibus accedentibus, conspicit in ipso ideas quasdam peculiares, quae ex fundo veluti obiecti universalis erumpunt; ideoque omnes ideae singulares vocari merito possent, — tot visiones intellectuales in luce universali factae — vel, — relationes peculiares ideae entis cum rebus sensu perceptis, quae naturam entis determinati habent —. Idea autem utpote obiectiva, universalis, nullo loco aut tempore coercetur, atque omnibus rebus indiscriminatim potest nullo negotio applicari; vel, ut ait Aligherius, referri potest « a ogni ubi e a ogni quando ».

Atque haec hactenus. Id solum nostris s. Thomae commentatoribus imperitis consulimus, nimirum, quod officium interpretum Aquinatis deponant, atque si eius veras doctrinas explanatas cupiunt, adeant et ipsi opera Cl. Rosmini, philosophi acerrimo ingenio, qui multorum annorum studio, atque mira eruditione, mentisque acumine, non minus docte et praeclare quam subtiliter, copiose et vere doctrinas Angelici discussit, perpolivit, faecundavit, atque in unum atque totale redegit systema aliorum ss. Patrum et philosophorum auctum sententiis et doctrinis. Inepte enim quisquis minervam doceret (1).

§. 6. — *S. Thomas expresse statuit lumen intellectus agentis vel ens universale tamquam principium formale omnium cognitionum.*

311.° Ait enim: « Deus animam intellectuali lumine insignivit et notitiam principiorum ei impressit, quae sunt quasi quaedam seminaria scientiarum » et: « in eo qui docetur scientia praeexistit non quidem in actu completo, sed quasi in rationibus seminalibus etc. » (2). Porro principia scientiarum ab ente derivat. Nam loquens de principio contradictionis dicit: « quod ipsum fundetur super ratione entis et non entis, et super hoc principio omnia alia fundantur » (3). Rursus: « in lumine intellectus nobis est quodammodo omnis scientia naturaliter indita, mediantibus universalibus conceptionibus, quae statim lumine intellectus agentis cognoscuntur » (4). « Dicendum quod

(1) Neque ipse Rosmini eiusmodi reflexionem scholasticorum praeteriit, imo, quasi praescius huius erroneae interpretationis, quo sensu ipsa foret intelligenda iam pridem explicavit. Caeterum, nullam hactenus unquam vidimus difficultatem postmodum obiectam, quam ipse non praevidisset, et non solvisset; atque haec est ratio, cur aut numquam aut raro adversariis respondit.

(2) De verit. XI, III ad I.

(3) De verit. X. VI.

(4) S. I, II, XLIV, II.

in luce primae veritatis omnia intelligimus et iudicamus (1). Dicendum quod species intelligibiles (ideae) quas participat noster intellectus reducantur sicut in primam causam in aliquod principium per suam essentiam intelligibile » (2). Haec animadvertant qui Angelicum sensistis cooptant, quasi ex phantasmatibus obscuris (sensationibus) species intelligibiles (ideas) eduxerit.

§. 7. *Lumen intellectus agentis, ens universale, iuxta s. Thomam est nobis divinitus inditum.*

312.° « Deus, inquit, Angelicus; nobis lumen rationis indidit, per quod principia cognoscimus, ex quibus oritur scientiae certitudo (3). Huiusmodi rationis lumen, quo principia eiusmodi sunt nobis nota, est nobis a Deo inditum quasi quaedam similitudo increatae veritatis in nobis resultantis (4). Lumen intellectus agentis, est nobis immediate impressum a Deo » (5).

313.° Ast quia sat non fuit Angelico id asseruisse, conatur triplici ratione confirmare 1.° ex universalitate entis, vel luminis intellectus (6): 2.° ex unitate et identitate cognitionis in singulis mentibus (7): 3.° ex impotentia sensus et intellectus sibi species intelligibiles (ideas) formandi (8). Etenim quodvis ens reale tum materiale, quum intellectuale singulare est, ab aliis numero distinctum, et ex

(1) S. I, LXXXVIII, III ad I.

(2) S. I. LXXXIV, IV ad I.

(3) De verit. XI, 1. ad 17.

(4) Ibid.

(5) De spirit. creat. art. X: id quod antea s. Thomas vocaverat — lumen rationis —, postea — lumen intellectus agentis — appellat; ergo ratio idem est ac intellectus agens, uti suo loco iam interpretabamur.

(6) Si lumen intellectus ab anima gigneretur, dicendum foret, infert Angelicus « animam esse similitudinem omnium rerum, quod solius Dei est, cuius intelligere est mensura et causa omnis alterius esse et omnis alterius intelligere » S. I, XVI, V — LXXIX, IV —. Conf. etiam S. I, LXXXIV, II, et S. I. LI, 1. ad 2. ubi evidentissime nedum hominis, sed et Angelorum exponit impotentiam ideis ex se gignendis.

(7) Ex eo quod homines easdem ideas intueantur, adeo ut v. g. idea solis tam mihi, quam caeteris hominibus splendeat, concludit eam in rationibus aeternis conspici, ut docent s. Aug. Confes. XII, XXV, et Bonav. itin. etc. aliique Patres, qui modo a necessitate, modo ab universalitate, ab aeternitate, ab impassibilitate arguunt originem divinam luminis rationis.

(8) S. I. LXXXIV ad I. Non a sensu, sed a Deo similiter derivat species intelligibiles —. S. I, CV, III. Alibi ait: « Deus imprimit ei (intellectui) species intelligibiles ».

se inintelligibile, et sensibile aut sensitivum tantum. Atque haec quidem sufficit haetenus meminisse; postmodum suis locis, si quae sunt rationes afferendae, dabuntur. Interim tam praeclaris Aquinatis vestigiis insistendum ducimus, cuius propterea satagemus, ut eius doctrinae philosophicae aliis formis clarioribus, ac progressui scientiarum aptioribus nitidius producantur. Notum quippe est phrases scholasticas interdum obscuras esse, ac plura exposcere glossemata, atque commentaria, ut germana significata innotescant.

CAPUT SEXTUM

IDEOGONIA SS. PATRUM NOVIS AC NITIDIORIBUS FORMULIS ACCOMMODATA, AC IN SCIENTIFICUM SYSTEMA REDACTA

ARTICULUS PRIMUS

REPRAESENTATUR STATUS QUAESTIONIS

314.° In re tam magni facienda, supervacaneum certe non erit statum revocare quaestionis solvendae, ut eius solutionem recte quisque perspiciat. Quaeritur igitur — quo pacto primum iudicium de rei subsistentia conficiatur —, vel alias, — undenam oriatur elementum universale (idea entis vel existentiae), sive praedicatum istius iudicii —, vel denique, — quomodo primae rerum ideae acquirantur —. Tres hic habes eiusdem problematis formulas.

ARTICULUS SECUNDUS

SENTENTIARUM SYNOPSIS

315.° Duplex in id negotii fuit philosophorum sententia. Altera quae omnes ideas factitias vel adventitias, altera quae innatas esse defendit. In prima hypothesi inquirendum est quaenam sit prima facultas, seu operatio animae ideas gignentis. Num simplex rei apprehensio vel idea, an iudicium? Lochius, Condillac, eorumque sectatores, licet laudandi sint quia cognoverunt plurima iudicia semper sensationibus commisceri, atque etiam ulterius progressi, dixerint nullam cognitionem posse sine iudicio fieri, ac proinde ex iudiciis ideas profluere, tamen id non impedit quominus, iudicio relicto, ab ideis non inceperint. Esto, sed ideae iudicium postulant. Ergo sensistae quaestionem non solvunt, et circulo, ut aiunt, vitioso circumaguntur. Quod perspiciens Reid, ideis dimissis, maluit ab iudicio exordiri. Verum iudicium quomodo absque ideis proferri possit non video.

Etenim iudicium importat semper praedicatum, quod cum ante iudicii efformationem sit exanimandum an subiecto dato, vel aliis potius rebus congruat, necne, patet istud praedicatum universale iudicium antecedere, idest ideam iam esse. Quaenam ergo fuit huiusmodi praedicati vel ideae origo? iudicium, inquit Reid, instinctivum talem sibi ideam procreat. Iamvero instinctus movere equidem, non autem creare potest facultatem iudicandi: iudicans enim praeviam iam debet inspicere ideam, eamque aliquo modo subiecto conferre. Circulo ergo circum volvuntur qui uno, aut altero modo omnes ideas factitias statuunt.

316.° In hypothesi autem idearum innatarum, contra docetur: — quin concedatur spiritui humano elementum aliquod intelligibile, eique ingenitum, ac omnino obiectivum, nihil cognitionis unquam enascitur —. Quo ceu principio unanimiter praemisso, docent cordatiores — huiusmodi elementum intelligibile propter sapientissimam naturae oeconomiam, omnium minimum esse, seu neque plus neque minus esse quam quod cognitionibus explicandis sufficit —. Atque id quoque verissimum. Sed iam incipiunt errores. Plato sibi visus est hoc minimum elementum reperiisse in reminiscentia idearum, quas animus ex altera vita coelesti secum ferme oblitas duxit. Leibnitius in initiis tantum, vel rudimentis, ac *virtualitatibus* elementa omnia idearum constituit. Kant vero duplex in cognitione distinguens elementum, materiam et formam, hanc ultimam seu elementum formale adeo ingenitum dixit, ut ideae neque absolute innatae, sed neque absolute acquisitae dicuntur: non primum propter deficientiam materiae cognitionis; non secundum propter formam, quae ingenita est. Demum quia pars formalis cognitionis in septemdecim formas subiectivas resoluta, nimis etiam simplicitati minime mediis adversabatur; hinc studia caeperunt recentiorum, qui iunctis viribus adnisi sunt — determinare istud elementum minimum, eiusque naturam — quod ultimo visum est aliud non esse, quam parumper luminis divini ictu oculi ab ipso sole divinae intelligibilitatis sublati, idque proprie recteque cum ss. Patribus vocari — *ens universale* —, cuius, primo nostrae creationis instanti, ideam protinus accepimus, eumque directa ac constanti mentis intuitione contemplamur. Quod nobis est hic clarius, fusiusque explicandum.

ARTICULUS TERTIUS

METHODUS PROBLEMATI SOLVENDO ADHIBENDA

317.° Quia agitur de re facti, nulla aptior habetur methodus, quam observationis diligentissimae, qua freti, quid intellectus, quidve

afferat sensus idearum origini internoscere possumus. Enimvero nonne philosophia est naturae indagatrix? Nonne cognitionum obiecta aut foris, aut nobis intus existunt? Ea ergo tantum sunt ut vera et indubia tenenda, quae vigilis et sagax observatio suppeditat. Quibus sedulo observatis, poterit postmodum quisquis facile alias mentis facultates exercere tum ad observata magis magisque declaranda, tum ad nova inde corollaria inferenda. Quapropter nobis non est hinc recedendum, neque contumaciter denegandum quidquid praeconceptis opinionibus, praeiudiciis et systematibus fortasse adversum comperiemus, sed prono animo veridica sedulae observationis responsa excipienda. Nomine siquidem viri philosophi indigni plane aestimantur, qui post inventa ac prorsus inconcussa et evidentissima sciscitantur adhuc et quidem saepissime clamantes qua ratione id fieri potest? nonne inveteratis afficit doctrinis? sicque duobus verbis, et quasi iocose refellunt quae tantis studiis, tantisque laboribus elucubratum, detectum, aut explicatum fuit. Hoc erat praemittendum, ne quis, philosophorum adhuc ignarus, ab veritate capessenda irridentium laevitate, ac vaferitie abducatur.

ARTICULUS QUARTUS

EXPOSITIO ANALYTICA COGNITIONIS PRIMITIVAE

318.° Cognitio *primitiva* ea dicitur, qua res antea omnino ignota primo percipitur: pone te platanum numquam visum modo cognoscere, dices, profecto nunc primitivam platani cognitionem adipisci. Vocatur itaque primitiva, quia antecedit omnes alias cognitiones vel ideas abstractas, genericas et specificas etc., quae possent utcumque platanum spectare, quaeque facili negotio obtinentur, cognitione primitiva praesupposita, cuius sunt veluti partes, vel elementa aut relationes facultatibus mentis distinctae. Quare solutio problematis ideogonici tota ex analysi cognitionis primitivae dependet, qua rite soluta iam via aperitur ad originem idearum pertingendam. Iuvat ergo quam maxime cognitionem primitivam *analizzare*.

319.° Iam vero in prima platani perceptione (idem de quavis alterius rei perceptione dicatur) perspicuum est me uti idea platani veluti iudicii praedicato, quam sic exprimo: — en platanus —. Ast fac me nullum unquam platanum conspexisse, neque de ipso aliquid graphice legisse, adeo ut ignorem — quid sit platanus —, vel, — nullam unquam mihi affulsisse platani ideam —, quid, cum platanus quidam mihi advenerit primo percipiendus, quid, inquam, mecum

ipse dicerem? Quid affirmarem? num illico — en platanus —? sed quomodo hoc proferrem, si nullum quidem platanum conspexi? (1).

Dicerem ergo potius — en ens talibus ornatum entitatibus, vel proprietatibus —. Ex his elucet in hoc iudicio adhiberi tantum ideam entis universalis, quia ea deficiente numquam dixissem: — en ens aliquod —, quemadmodum sine idea platani numquam postea proferrem: — en platanus —. Praeterea in hac entis idea proprietates vel entitates peculiares cuiusque entis peculiaris, ideoque et platani, virtualiter et indistincte continentur, enimvero qui ens universale concipit, concipit etiam implicite omnia entia singularia, ideoque et, ens-homo, ens-animal, ens-planta, ens-lapis etc.; ea ferme ratione, qua in idea generica platani caeterae species platani includuntur. Adveniente autem sensatione platani tunc omnes platani proprietates, quae veluti indistinctae in fundo ideae entis universalis latitabant, per applicationem ideae entis ad sensationem platani, foras, ut sic dicam, educuntur, atque clarae et distinctae apparent, sicque idea platani efformatur, quae tandem non est aliud quam eadem idea entis perceptioni platani adhibita, in qua perceptione quae ad ens-platanum spectabat, edidit. Id clarius etiam constat ex eo quod unaquaeque res duplicem habet modum existentiae, ut etiam s. Augustinus, et s. Thomas animadvertunt, idealem et realem, ita tamen, ut existentia sensibilis et realis, respectu nostri, inserviat ad ideas distinguendas in ordine ideali, qui in idea entis unica atque identica ceu in communi rerum intelligibilitate constituitur. Constat ergo primitivam rerum cognitionem sub idea entis contineri, atque simplicem esse eiusdem entis applicationem sensationibus factam.

320.° Quae de cognitione primitiva platani hactenus dicta sunt, applicentur omnibus aliis cognitionibus primitivis, quae eodem modo fiunt, ac semper exigunt ideam entis quocumque tempore formentur. Ergo idea entis est universalis, utpote omnibus cognitionibus communis; ingenita, quia nullo tempore acquisita fuit, semperque usa, atque nedum cognitionem, sed ipsam cognoscendi facultatem constituit, quae in potentia iudicandi sitam esse iam alibi ostensum est.

321.° Intellectus itaque ideam entis ceu formam cognitionis, sensus autem sensationes veluti materiam cognitionis conferunt in elaboratione cognitionis primitivae.

322.° Neque forte suspiceris ideam hanc chimericam esse: eius enim existentia hoc simplicissimo facto convincitur, etenim cum dicitur rationem hominibus competere, animalibus sensitivitatem, exi-

(1) Perbelle Rosmini: « È vano il credere che la cognizione stia tutta nell'idealità. Anzi la cognizione sta nell'unione dell'idealità colla realtà, che sono due forme categoricamente distinte dell'identico essere ».

stentiam autem omnibus rebus, nonne ens in genere vel universale reapse concipimus? Verum si ratio et sensibilitas generice conceptae aliquid sunt, cur etiam quidpiam non erit existentia universalis? Exploratum est igitur — mentibus humanis ideam entis enitere. Ast duo adhuc remanent de idea entis uberius inquirenda, natura videlicet, et origo.

ARTICULUS QUINTUS

DE NATURA ENTIS IDEALIS, VEL UNIVERSALIS ET COMUNISSIMI

323.° Idea entis universalis humano intellectui collata eo ipso creat essentiam, et vitam intellectivam, quae in immediata et perenni entis idealis intuitione sita est. Qua posita primigenia intuitione, intellectus sciens quid sit ens, vel essentia aut quidditas rerum, poterit cum entia ei exhibentur cognoscenda, ea illico dignoscere ac dicere — en ens quoddam — sicuti sciens quid sit equus in genere, viso equo aliquo, dicet — en equus —. Porro quemadmodum habenti ideam equi in genere nondum datur hunc aut illum equum realem sola mente concipere, sed insuper opus est sensibus, qui ei equos individuos perhibeant; sic sola idea entis instructo neque similiter fas est entia realia, individua et determinata percipere, quin sensus succurrant, atque determinatam materiam, cui ens ideale refertur, praebeant. Quapropter intellectus in suo statu primitivo, planeque, ut sic loquar, virginali, et absque ulla ad sensus relatione, solaque idea entis universalis instructus, novit equidem generatim aliquid possibile esse, seu fieri posse subsistens, quin tamen aliquid ut reale percipiat, aut aliquam ideam determinatam; ipse enim fruitur, in hac conditione, simplici intuitione entis in genere, seu notione entis idealis, possibilis, initialis, indeterminati, ac universalis, in quo nihil proinde determinatum sed indeterminatam rerum omnium possibilitatem apprehendit. Ex primitiva igitur intellectus cognitione iam liquido colligitur ens sic ab intellectu conspectum ipsi apparere tamquam 1.° possibile, 2.° ideale, 3.° initiale, 4.° indeterminatum, 5.° universale, 6.° infinitum, 7.° unicum et simplicissimum, 8.° necessarium, 9.° aeternum et immutabile. Quibus characteribus tota completatur entis idealis natura, que ideis inde manantibus etiam communicatur; vidimus enim ideas totidem esse determinationes, ac veluti *specificationes* eiusdem ideae entis, atque ipsi ceu cum substrato aut fundo communi haerere; seu tot esse visiones intellectuales in luce eiusdem ideae entis factas. Quamobrem tutissime asseri potest — in tantum ideas hisce donari characteribus, in quantum in idea entis, quasi dicam, inscribuntur, ac insident —. Fallitur igitur Kant,

qui distinctas formas vel ideas admittens, posuit necessitatem et universalitatem ipsis distincte et singulariter inesse, cum contra unicum sit principium necessitatis et universalitatis ideologicae, quae ex idea entis aliis ideis derivantur. Ab his ergo singillatim explicandis nobis supersedendum est, cum iam sat dicta sint in ideogonia, ubi agebatur de idearum natura, quae eadem est ac natura entis in genere. Attamen ne erroris suspicio subrepat, pauca subiicimus, et maxime quoad characterem possibilitatis, ex quo caeteri ceu a fonte profluunt.

ARTICULUS SEXTUS

QUA RATIONE ENS IN GENERE DICATUR POSSIBILE, ET QUOMODO EX EIUS POSSIBILITATE CAETERI PROFLUUNT CHARACTERES LAUDATI

324.° Diximus, quod intellectus solam intuens ideam entis, nihil determinati aut subsistentis percipiat, sed tantum cognoscat — aliquid posse subsistere —. Cognoscere autem aliquid posse subsistere idem est ac possibilitatem rerum, vel non-repugnantiam, quod aliquid existat, cernere. Quo sensu intellectus vocatur = facultas possibilium, vel, intuens possibilitatem =. Etenim in idea entis concipitur solum aliquid in genere, vel ens generatim, quod propter suam universalitatem cum reale esse nequeat, consequitur ut ideale solummodo contemplari: atqui quod in ordine tantum ideali continetur, puram non excedit possibilitatem, estque revera aliquid possibile. Ergo ens universale sola pollet possibitate.

325.° Ad hoc duplex praeterea status intellectus est accurate distinguendus, originalis et actualis. Intellectus in statu suo originali, ubi nondum aliquid extra se conspicit, nequit sibi aut aliis expresse dicere — obiectum suae intellectionis esse ens uti possibile — vel — possibilitatem rerum, sed se intueri ens, vel habere ideam entis — nulla facta mentione de eiusdem entis formis et characteribus, ideoque neque de eius possibilitate. Postmodum autem, rebus externis visis atque perceptis, mens primo advertit ens iugi intuitione apprehensum, quo in rebus percipiendis usa est, nihil realitatis, et subsistentiae rerum perceptarum includere, sed solum vagam, confusam, indistinctam et uniformem rerum idealitatem vel pensabilitatem et possibilitatem, idest eius ope nedum unum aut alterum, verum etiam omnia entia posse cogitari et concipi, quo fit ut homo ideam entis tamquam possibilitatem, et idealitatem rerum recognoscat. Haec autem entis possibilitas distincte concepta et sic expressa, veluti quaedam entitas mentalis educta ab idea entis videtur, quemadmodum, ex uno unitas, ex necessario necessitas oritur. Huius abstractae notionis ductu postea cognoscimus, nobisque dicimus — ens aliquod possibile

esse —, vel — nullam esse repugnantiam inter ideam entis indeterminati, et eius extrinsecas determinationes, vel realizzationes —. Quod certe expostulat relationem inter ens universale, et externas determinationes, quae in statu originali mentis adhuc ignorabatur. Quare haec propositio — potest aliquid existere —, vel, — idea possibilitatis — eo sensu accepta quo significet statum primordialem intellectus, vel obiectum primigenium mentis, falsa est, cum tunc solum ens absque ulla ad suos characteres advertentia concipiatur. Pro statu autem mentis actuali potentiae reflectendi atque advertendi iam instructae, vera est, quia revera idea clara et distincta possibilitatis, auxilio reflexionis adepta, potimur. Idea igitur possibilitatis, uti entitas mentalis verbis expressa, processu temporis acquisita fuit; ens contra qua tale, in quo nimirum nulla adhuc distinguitur proprietas vel character, idest quod intellectui ingenitum dicitur, quodque statum ipsius primitivum constituit.

326.° Atque iterum colligitur, possibilitatem nil aliud esse, quam relationem inter ideam entis et eius realizzationes, vel facta externa, quae esse aut non esse possunt. Hallucinantur ergo certe, qui obiiciunt, nos admittere ideam possibilem entis, aut possibilitatem ipsum ens universale afficiens perinde quasi idea entis nondum existat neque intueatur, sed possit tantum existere et intueri. Ens enim universale ad modum equidem idearum mente existit semperque intuetur, et eatenus possibilis dicitur, quatenus in ipsum respicientes, realizzationes externas ut actu possibiles, cernimus. Neque regerant, non ens ad solam possibilitatem reducendo annihilare; nam possibilitas est nobilior, firmioremque habet existendi modum, quam realitas contingens, quia haec creata est, illa autem increata, et idealitatem aeternam efformat rerum creandarum.

§. 1. *Ens possibile est ideale.*

327.° Enimvero possibilia ea sunt, quae etsi non existant, aut fingantur non esse, menti tamen exhibentur. Porro mens domicilium est idearum. Ergo ens possibile est ideale; ideoque et omnibus nobilibus dotibus idearum, universalitatis nimirum, necessitatis, aeternitatis, immutabilitatis, et unitatis, pollet; quinimo cum ens possibile sit omnium idearum mater, est eo ipso earum proprietatum principium (1).

His adiungendum est monitum datum in ideologia, ubi loquentes de idealitate et possibilitate obiecti cognitionis purae, et de natura

(1) Huc revocanda sunt in ideologia fusius probata, ubi de idearum natura tractabatur.

idearum, excepimus notitiam Dei, quae praeter possibilitatem et idealitatem includit etiam ipsam subsistentiam, vel necessitatem eius existentiae, quae ad essentiam Dei spectat. Ideae enim sive negativae sive positivae sint, rerum tamen essentiam suo modo exhibent. Hinc quemadmodum in idea circuli conspicitur necessitas eius sphaericitatis, etsi sphaericitas realis ibi non sit; sic et in idea Dei apprehenditur necessitas eius subsistentiae aeternae, licet haec subsistentia realis in idea Dei non contineatur.

§. 2. *Ens possibile est initiale et indeterminatum.*

328.° Intuens ens possibile nihil determinatum mens ibi ostendere valet, in quo ens conceptum absolvatur et terminet, sed totam contemplatur rationem communem omnium rerum divinarum et contingentium, quae in ente, vel in existentia conveniunt; seu conspicit puram entis *essentiam*, quae radix est, vel actus primus rerum, vel, ut ait s. Iustinus, — semen entium —. Ideo dicitur initiale, quia videtur sine suis terminis determinatis, quibus videndis impares sumus. Videtur, dixi, quia respectu mentis intuentis initiale, idest sine terminis manifestatur, tametsi in se completum et perfectum undequaque sit. Quare dicitur etiam indeterminatum, quippe quod cum nullum ens peculiare revelet, sed sit omnibus entibus percipiendis aeque applicabile et idoneum, merito appellatur indeterminatum, tamen in se determinatum et singulare est, nobis vero sub forma indeterminationis effulget. Quare s. Thomas loquens de intellectu in ens possibile defixo, luculentissime docet « ex hoc (ente) non habet (intellectus) quod assimiletur huic vel illi rei determinatae ». Remanet ergo ipsa anima in potentia ad determinatas similitudines rerum (ideas) » (1).

Atque hinc ss. Patres tabulam rasam Aristotelis, in qua nil est scriptum, pro indeterminatione ideae entis interpretantur (2); quam

(1) Contr. Gent. II. LXXVII.

(2) Res sane mira! Nil tam crebro auditur sive in circulis, sive in scholis, sive in sacris concionibus, in operibus litterariis, poeticis, hystoricis, inexplebilem esse humanam cognitionem, mentem scientiarum semper percupidam, inextinguibilem pariter scientiae ardorem alere, fovere, atque cor tantis affectionibus commoveri, ut numquam satisfactum quiescat. Verumtamen si quis rationem istius tam mentis, quam cordis infinitae cupiditatis sciendi et amandi, quaeriturus, exurgat, atque dicat: ideo tanta amplitudine hominem dilatari, quia obiectum eius intellectus et cordis est ens universale, et bonum universale, multi quasi blasphemaverit, scandalizzantur. Vide quae diximus de infinitate cognitionis. Unum nunc addimus s. Thomam, qui indubitanter hanc illimitatam cognoscendi potentiam deducit ex eo quod intellectus universale vel indeterminatum cognoscat. Contr. gent. II. LXXXVI, II. Angelico igitur crede.

recte exprimit Doctor Seraphicus dicens: — ideam entis esse extra omnes genus —, idest nulla determinatione aut particularitate signatam.

§. 5. — *Corollaria.*

329.° Corollarium primum — Ens ideale vel possibile ut ut divinis, uti vidimus, eniteat characteribus aeternitatis videlicet, immutabilitatis etc. neque Deus est, neque dici potest. Logici enim magis quam metaphisici sunt characteres recensiti, idest nondum Dei ostendunt subsistentiam, aut realitatem, eiusque infinita attributa omnipotentiae, bonitatis, sapientiae etc. Ecquis serio lumen rationis, licet sit divinae originis, appellabit sanctissimum, sapientissimum, omnipotens etc.? Id tamen non impedit, quominus aliquid divinitatis (un' appartenenza divina) nuncupetur. Eiusmodi entis appellatio familiaris est D. Thomae, cui ens ideale, vel lumen rationis est — participatio luminis aeterni, vel veritatis primae —. Quapropter, sicuti Deus in caelis sese beatis participat per lumen gloriae, iustis autem adhuc viatoribus per lumen gratiae de seipso elargitur, sic omnibus hominibus puris in naturalibus constitutis unitur per lumen tantum rationis vel per ideam existentiae, aut entis, quae mentibus humanis abunde sufficit ad vitam intellectivam nobis alendam, atque proinde ad creatas res cognoscendas, necnon ex visibilibus cognitis invisibilia inferenda (1).

330.° Corollarium secundum — Neque itidem ens ideale potest merito tota intelligibilitas Dei vocari, ut quidam insipientes blasphemant. Nam plena Dei intelligibilitas haudamplius ab eius realitate distinguitur, cum sit eadem realitas divina intrinseca luce emicans, ideoqne absque realitate, cui insidet, nequit mentibus illucere. Tutius est ergo, ut ens ideale nuncupemus — limitatam quamdam ac imperfectissimam participationem intelligibilitatis Dei, quae ob tantam eius tenuitatem nonnisi essentiam entis in genere vel intelligibilitatem rerum nobis refert —. Quo sensu sumitur illud s. Thomae dictum « intelligere Dei causam esse nostrae intelligentiae » quatenus nimirum de Dei intelligibilitate, quae nobis in cognoscendo lux est et medium, mutuamur.

331.° Corollarium tertium — Tametsi vero ens ideale exilissima

(1) Ens ideale potest vel in Deo, vel in humano intellectu considerari. Si in Deo consideretur, poterit utique Deum dici, quum quidquid in Deo est, Deus sit. In intellectu autem humano propter nimiam participationis imperfectionem, aliquid divini solum dicendum est. Primo modo ipsum acceperunt quidam ex ss. Patribus, qui Deum esse docuerunt: secundo autem modo caeteri, qui divinum tantum esse aestimarunt.

quaedam sit participatio divinitatis, non ideo illico est inferendum — ipsum quodammodo a Deo realiter discerpi, aut utcumque reipsa dividi —, quia hoc ipso aliquid creatum evaderet, atque divinis haudamplius gauderet characteribus. Hinc quemadmodum radius a sole avulsus potius obtenebresceret, sic etiam ens ideale vix a Deo eriperetur, naturam immutabilem statim deperderet, atque annihilaretur. Igitur si qua inter Deum et ens ideale distinctio videtur, haec mentatis est et prorsus subiectiva, quia mens debiliter irradiata nequit usque ad eius fontem et principium conscendere; quod principium ratiocinio freti Deo inesse invenimus. Iamvero haec logica argumentatio non concluderet, si vel minima inter ens ideale intuitum, et Deum intercederet interruptio vel divisio.

332.° Corollarium quartum — Huiusmodi idea entis, aut ens ideale seu possibile tantae est necessitatis, ut unica censeatur forma obiectiva universalis, et primigenia humanae intelligentiae, cum, ea sublata, incunctanter intelligentia nobis elaberetur; quia — sigillatione, inquit s. Thomas, divini luminis hoc ipso destitueretur —. Atque ideo ipse Cl. Antonius Cesari exponens initium evangelii s. Ioannis, super illa verba — *erat lux, quae illuminat* — ait: « questa luce può an» che intendersi per *lo lume dell'intelletto,* che è la vita degli spi» riti ragionevoli, il cui vitale atto (en originalis constitutio intelli» gentiae humanae in idea entis solidata) è l'intendere. Or questa » luce è un raggio della luce eterna che è il Verbo stesso, diffuso » nelle menti conoscitrici, che per lui conoscono, per lui ragionano, » cercano e trovano la verità » (1). Optimum et minime sane suspectum testimonium, cui quisque acquiescere debet.

333.° Corollarium quintum — Quocirca intellectus humanus quatenus huic luci divinae vel ideae entis defixus immutabiliter haeret, nomen obtinuit intellectus-elementi, propterea quod homo primitiva ac perenni huiusce ideae intuitione naturam consequitur intellectivam, proindeque eiusmodi intuitio recte nuncupata fuit mentis vel intellectus elementum, quippe cum elementum constitutivum revera sit intelligentiae. Prout autem intellectus huiuscemodi potest datis sensationibus, in hac luce alias ideas determinatas intueri, dicitur intellectus-potentia, uti alibi dictum est, eo quod ideas actu non semper intueatur, sed interdum potest, si aliunde excitetur, eas contemplari. Quamobrem intellectus potentia definitur = facultas intuendi ideas determinatas rerum in idea entis =. Unus tamen atque idem semper est intellectus, qui utpote ideae entis applicatus, *intellectus-elementum*, utpote autem ad hanc vel illam ideam peculiarem intuendam directus, *intellectus-potentia* vocatur.

(1) Vita e dottr. di Gesù C. Rag. IV.

334.° Corollarium sextum — Iam in ideologia, sin fuse, saltem sufficienter ostendimus, necessitatem unionis ac commercii animae cum corpore *ex paucitate* luminis rationis derivari. Lumen quippe rationis, ait s. Thomas, est magis *principium quo*, vel medium universale cognitionis dicendum, quam *principium quod*, vel obiectum determinatum cognitionis; idcirco mens humana eo lumine solummodo illustrata, in infimo intelligentiarum gradu consistit, atque simplicem intrinsecam rerum possibilitatem conspiceret, quin unquam ad realitatem rerum cognoscendam perveniret. Secus autem Angelis contingit, qui cum vividiore polleant lumine, et quidem ideis vel speciebus determinatis referto, non egent corporibus copulari.

335.° Corollarium septimum — Characteres ideae entis plane iidem sunt, quibus decorantur ideae ex illa genitae. Ergo sicuti unicum est in ordine ontologico-metaphisico ens necessarium, aeternum, et absolutum, nempe Deus, qui infinita atque absoluta cum ipse natura sit, solus est *ens* (l'ente); ita in ordine ontologico-logico omnibus ideis praeminet idea entis, quae est principium universale quo ideas sibi similes, idest aeque aeternas, immutabiles etc. gignit. Quam ob dignitatem in ideas praeminentiae poterit rectissime, meritoque idea entis nuncupari — fons indeficiens, vel mater idearum; sol intelligentiarum; principium vitae intellectivae; radix atque origo mentis; semen immortalitatis humanae; punctum immobile et lucidissimum cui superstruitur scientia; veritas prima; basis universae philosophiae; primum postulatum; lex moralis, atque, ut ita loquar naturalis annulus, quo mentes humanae uniuntur divinitati, cui idea huiusmodi ceu radius divinus ultimo identificatur, substantificatur, completur, ac ipse *Deus est* —. Quare s. Thomas ideas mavult species intelligibiles, quam ideas proprie dictas appellare, quia ideae totidem sunt determinationes, et specificationes, aut inscriptiones ideales unius eiusdemque ideae entis; atque etiam species intelligibiles fere innumeras esse, ideam autem proprie dictam unicam esse tuetur, quam consequenter — seminarium scientiarum — appellat (1).

ARTICULUS SEPTIMUS

DISCRIMEN INTER LUMEN RATIONIS, LUMEN GRATIAE ET LUMEN GLORIAE

336.° Hactenus probata, ut ut nedum nostra, verum totius sint traditionis ecclesiasticae, necnon exploratissimae experientiae docu-

(1) S. I, XV, II. Quam immerito Kant formam cognitionis in septendecim formas realiter distinctas discerperet, iam supra ostendimus. Recol. quae in prolegomenis disseruimus, atque in ideogonia.

menta, quae falli nescia est, ipsa tamen iam quidam proscriptae pelagianorum, et semi-pelagianorum vesaniae insimulare impudenter ausi sunt. Inverecunda calumnia haec est, quam philosophum honestum ac doctum puderet refellere, et etiam nos vel solum innuisse plurimum taederet, si iuvenes inscios adhuc tantae nequitiae erudiendos non suscepissemus, quos tenemur tam de malignantium fraudibus quam de scopulis quibus possent fortasse deterreri a vera philosophia ediscenda, praemonere non minus sincere quam audacter.

337.° In primis sciendum maxime est, Deum posse creaturis intellectivis sese plus minusve communicare, secundum diversam sui luminis intelligibilis quantitatem ipsis infusam. Haec autem divini luminis participatio varios suscipit gradus essentialiter distinctos, quorum primus, respectu intelligentiae creatae, naturalis, idest eius naturae intellectivae conformis, et essentialis est. Eo enim indigemus, ut intelligentiam consequamur, atque homines rationales constituamur. Quamobrem datur etiam in angelis lumen divinum naturale, sine quo haudamplius intelligerent, atque naturam intellectivam non conservarent. Profecto angeli sine gratiae et gloriae adiunctis, et in puris naturalibus accepti, naturali gaudent intelligentia, quae pariter aliud non est, quam copiosior participatio intelligentiae divinae. Supra siquidem demonstratum fuit ens quod non mutuata, sed propria atque intrinseca potitur intelligentia, sit hoc ipso aeternum. Idem de hominibus dicatur, quibus praeter lumen gratiae infunditur lumen quoddam divinum essentiae rationali ipsi constituendae plane necessarium, quod vel lumen naturale, vel lumen rationis dici consuevit; quodque etiam sine gratiae lumine ipsis remanet, licet ethnici adhuc sint. Alias, naturam humanam homines peccando penitus amitterent, uti quidam opinabantur protestantes Hoc lumine ducti, ordinem naturalem ingredimur, eoque continemur, veritates rationales, entiaque creata positive cognoscituri. Si quod autem istum ordinem excederet, ut sunt mysteria, ipsaque realitas divina, negative tantum, ratione utentes, in praesentiarum attingimus, idest ratiocinio fulti possumus quidem eam inferre, atque alium rerum cognoscendarum ordinem, existere nobis impervium, quem supernaturalem vocant. Quod si nihilominus quomodo hic ordo se habeat, quibus rebus componatur, quibusnam regatur legibus distincte dignoscamus, neque mirari iuvat nam angeli lumine naturalis intelligentiae directi, quaedam etiam similiter sibi connaturalia perspicue cognoscerent, quaedam autem tamquam transcendentalia eorum captum, nonnisi lumine gratiae et gloriae apprehenderent. Ordo tamen naturalis latius patet angelis, quam hominibus ob intensiorem lucem intellectivam, qua perfruuntur (1).

(1) Etiam s. Thomas passim Angelos, etsi ad contuitum divinae gloriae

338.° Cum ergo ultra naturalis cognitionis ambitum alius extet rerum cognoscendarum ordo, et quidem nobilior, ac plane supernaturalis, si Deo placeret, nonne possent ad ipsius notionem homines, alterius validioris luminis infusione subnixi, elevari? Possent utique, si Deus vellet; voluit autem ipse hominibus elargiri gratiam, cuius luce in supernaturalia, seu in perceptionem, licet confusam adhuc et imperfectam, divinae substantiae perducuntur. Id quippe nobis attulit Redemptio, et sanctificatio Salvatoris, cuius inter alia munus fuit vitam aeternam hominibus magis impertiendi per pleniorem notitiam Dei vivi, et suipsius, qui ab ipso missus fuit Iesu Christi. Quandoquidem lumen gratiae quaedam est clarior ac intensior cognitio divinitatis, eiusque mysteriorum, quam, nisi ipse enarraret Unigenitus, numquam homines adepti fuissent. Lumen ergo gratiae complet ac perficit lumen rationis, propterea quia negativae divinitatis notioni positivam adiungit eiusdem divinitatis perceptionem penitus supernaturalem.

339.° Atque inde patent discrimina inter lumen rationis, et gratiae: 1.° lumen rationis constituit naturam intelligentiae humanae, lumen gratiae contra eam perficit, atque extra naturam eam, ut sic dicam, impellit. 2.° lumen rationis cognitionibus rerum ordinis naturalis mentem instruit; lumen gratiae ad supernaturalia usque eam erigit. 3.° lumen rationis necessario debetur naturae intellectivae; lumen gratiae gratis prorsus confertur, ac sine ulla essentiali naturalis intelligentiae iactura auferri potest, dummodo non auferatur in poenam, ut nobis accidit, quibus etiam natura intellectiva per culpam Adae in nobis traductam sauciata fuit. 4.° hinc lumen rationis in omnibus hominibus aeque reperitur; lumen gratiae exclusive iustis tantum adhaeret. 5.° lumen rationis ideam negativam divinitatis parit; lumen gratiae contra perceptionem positivam eiusdem divinitatis. Haec discrimina, data proportione, et angelis in utroque ordine naturali et supernaturali pariter comparatis applicari possunt. Ubi sunt ergo putida ac nefaria pelagianismi, vel semi-pelagianismi commenta? oh vafritiem impudentem! oh scelestum fraudolentumque mendacium!

340.° Circa hanc quidem novi luminis additionem quaedam sunt attente consideranda. 1.° hominem per lumen gratiae totum adeo in suis potentiis elevari et perfici, ut praeter intuitionem primigeniam entis idealis, acquirat etiam quamdam imperfectam perceptionem habitualem realitatis divinae, vel clarius, eius intellectui incipienti seu naturali superadditur intellectus perfectus et supernaturalis, rationi

iam erectos, in puris naturalibus solet expendere ad eorum naturalem constitutionem intellectivam magis explanandam.

naturali ratio insertur supernaturalis, atque in omnibus tam rationis, quam voluntatis facultatibus aliae respectivae, sed supernaturales excitantur, quae deiformae, vel verbiformae, vel triniformae, uti alibi in psychologia ostendemus, dicuntur. Talis est dignitas christiani super ethnicum divina gratia carentem. 2.° proinde homo, etsi idem subiectum rationale semper remaneat (1), novam nihilominus ac excellentiorem activitatem per gratiam adipiscitur, idest potestatem agendi etiam in ordine supernaturali, divina cognoscendi, atque diligendi, quae potestas vel activitas cum omnium mentis potentiarum suprema ac dominatrix sit, novam in homine inducit personalitatem, vel, ut aiunt Scripturae, — novam voluntatem, vel novum cor creat —. 3.° praeclarissima huiusmodi activitas personalis eo perfectior fit, quo uberius est gratiae donum, atque ferventior in nobis flagrat rerum divinarum dilectio, donec in coelis tandem undique perficitur.

341.° Ultimo venit lumen gloriae, quod multifariam theologi interpretantur. Nobis tutius est cum Petavio tenere « lumen gloriae nil esse nisi Deum, vel ens completum, ideale reale et morale directa mentis acie visum, seu facie ad faciem, ut aiunt scripturae, contemplatum ». In hac ergo beatifica visione ipsa Dei essentia mentibus beatorum directe contemplanda, ceu forma cognitionis, exhibetur, ac in ea videtur Deus conditor, eaque omnia, quae uniuscuiusque gradibus gloriae sunt proportionata. In praesentiarum nobis tantum datum est res cognoscere in essentia entis indeterminati et initialis; quae autem ad ordinem supernaturalem spectant, in confusa divinitatis perceptione per gratiam nobis collata attingere licet.

Ast in caelis, hisce limitibus et imperfectionibus mentalibus plane sublatis, omnia in essentia entis completi laetantes speculabimur. Diximus, quod confuse tantum nunc, gratiae auxilio, divinitatem percipimus. Nam perceptio clara et distincta divinitatis inter alia expostulat, ut actum intrinsecum existentiae divinae, atque simul actum creativum explicite intueamur. Atqui etsi in gratiae collatione vis divina in perceptione realitatis absolutae experiatur, latent adhuc sive actus intrinsecus unus et trinus eiusmodi realitatis, sive actus creativus, sive rerum archetypi, sine quibus nondum habetur integra et completa divinitatis contemplatio, sed initialis tantum, et fere per-

(1) Subiectum — homo ideo in gratiae perceptione non mutatur, quia unum idemque semper est obiectum mentis, quae prius ens ideale intuebatur, postea ens reale enti ideali identicum experitur. Quid enim antea mens intuebatur? utique ens (l'ente), sed indeterminatum. Quid autem postea ope gratiae percipit? iterum ens (l'ente), sed determinatum, cuiusmodi est Deus, qui solus est ens (l'ente) ipso aiente « ego sum qui sum » vel-ego sum ens (non un ente, ma l'ente).

ceptio divinae potentiae, quae virtualiter haec omnia comprehendit absque eo quod quae et quanta et quot sunt introspiciamus.

.342.° Multa ergo, et quidem essentialia intercedunt discrimina inter lumen rationis, gratiae, et gloriae. Primum est mera essentia entis universalis, quae ordinem naturalem rerum creatarum revelat: secundum perceptio divinae realitatis, quae ordinem supernaturalem atque fidei mysteria nobis reserat: tertium est Deus ipse revelata facie conspectus, qui hominibus iuxta duplicem ordinem naturalem rationis, et supernaturalem gratiae iam creatis, de plenitudine sui esse participat, sibi in gloria sua immediate eos coniungit, atque ad fastigium ordinis supernaturalis elevat. Ast quemadmodum tres ordines praefati, naturalis scilicet, supernaturalis secundum gratiam, atque supernaturalis secundum gloriam specifice et categorice invicem differunt, sic et tria lumina rationis, gratiae et gloriae eadem specifica et categorica differentia mutuo secernuntur (1).

CAPUT SEPTIMUM

DE ORIGINE IDEAE ENTIS UNIVERSALIS

343.° Divina natura, qua ideam entis emicare supra demonstravimus, iam manifeste innuit eam divinae quoque esse originis, neque propterea aliunde qnam ab ipso Deo, ceu nostrae cognitionis formam, originaliter infundi. Quod ut evidentius pateat, operae praetium ducimus aliquanto fusius eius divinam originem persequi, demonstrando 1.° argumentis negativis, 2.° argumentis positivis eam a Deo nobis derivari. Primum dabimus, omnes fontes seorsim percensentes, ex quibus aliquis eam provenire posse contenderet; secundum exequemur, rationes directas afferentes, quibus ineluctabiliter probetur nobis desursum a Deo eam infigi.

ARTICULUS PRIMUS

IDEA ENTIS ARGUMENTIS NEGATIVIS INNATA EVINCITUR

344.° Si idea entis factitia vel acquisita esset, debuisset proculdubio produci 1.° vel a sensatione externa et interna, 2.° vel a reflexione lockiana, 3.° vel a meditatione galluppiana, 4.° vel ab abstractione,

(1) Consule ideolog. ubi de tribus imaginibus divinitatis in homine subsistentibus, quae respective cum triplici lumine praedicto cohaerent. Ratio istius discriminis categorici est, quia formae entis, ex quibus triplex eiusmodi status dimanat, etiam inter se categorice discriminantur.

5.° vel a iudicio, 6.° vel in ipsa rerum perceptione infundi, 7.° vel a quavis alia animae facultate, aut vi, vel potentia rationali. Nullum praeter allata superest amplius medium generationis expetendum. Atqui ex mediis praedictis nullatenus potest ipsa comparari; ergo etc.

§. 1. *Idea entis nequit ullo modo ab externis sensationibus deduci.*

345.° Duplex elementum hactenus sagax analysis in sensatione invenit, alterum subiectivum, alterum vero extra-subiectivum, quorum primum est affectio suavis vel molesta animae; secundum autem est passio et receptio actionis externae. Porro utrumque elementum, ut patet, peculiare est, reale, contingens, mutabile, inintelligibile, et ne vel minimum quidem sensitivitatem corporeo-animalem etiam belluis communem excedens. Contra idea entis, ut supra probatum fuit, universalis est, aeterna, indeterminata, necessaria, immutabilis, intelligibilis, imo pensabilitas, idealitas et possibilitas omnium rerum solis intelligentiis directe patefacta. Aliis ergo, necnon prorsusque contrariis characteribus ditantur idea entis et sensatio; ideoque impossibile est ab una eademque radice ambas aeque progeminari. Qualis est enim rerum natura, talis sit oportet earum origo. Quod si bene animadvertissent omnes cuiusque familiae sensistae, suis profecto erroribus valedixissent (1).

§. 2. *Idea entis ab interna sensatione proprii ego non procedit.*

346.° Sensus intimus *(il sentimento interno)* quamquam terminum spiritualem, seu animam attingat nihilominus naturam sensitivam non transcendit; ideoque etiam quidpiam peculiaris, determinati, realis, contingentis, mutabilis, et inintelligibilis est, atque singulis animabus, earumque actionibus et passionibus inhaerens. Inde iam colligitur sensum intimum penitus adversari ideae entis naturae, quae, ut diximus, attributis toto caelo oppositis comparatur. Sin autem nomine sensus intimi haud internam sensationem, sed cognitionem, vel conscientiam nostri *ego* intelligas, iterum magis ostenditur ideam entis

(1) Etiam Cicer. lib. I. Accad. aperte declarat — veritatem in sensibus non esse — porro quid veritas sit copiosius in logica videbitur, ubi ex-professo ostendemus aliud ipsam non esse quam ideam entis, quae proinde tam a sensibus debet abesse, quam veritas, quae illa eademque est. Item Angelicus saepe tradit, veritatem, essentiam, substantiam, naturam rerum perperam ex sensibus vel ex imaginatione derivari; sed a mente cuius obiectum est id quod est, vel essentia, vel substantia vel natura rei.

aliunde provenire. Nam cognitio, aut conscientia nostri supponit *ideam entis*, quae sensui interno applicata generat ideam nostrae existentiae. Enimvero quid cognoscimus, quid dicimus nobiscum dum nostri conscii efficimur? dicimus nos existere, nos vivere, vel agere, vel pati etc. Utimur ergo idea existentiae, sine qua nullum ens, nullaque entis actio et passio percipitur. Quamobrem s. Thomas acute observat, animam seipsam sicut et caetera ope speciei intelligibilis quoque cognoscere, quae species intelligibilis, vel idea ab una eademque idea entis, quae species specierum alibi dicta est, oritur. Id profecto non perspexit Malebranche, qui docuit, animam eo modo se cognoscere, quo se sentit, idest immediate, absque ullo medii, vel ideae interventu. Hic equidem sensatio cum cognitione confunditur, eo quod non sat elucubratur natura sensationis, et cognitionis. Prior quippe simplicissima est; posterior duplex, constans videlicet idea et sensu vel forma et materia (1). Demum reminiscendum quod supra diximus, nimirum animam fore eo ipso aeternam, si per se esset intelligibilis, seu semetipsam sine ullo ideae auxilio cognosceret.

§. 5. *Idea entis neque ex reflexione lockiana, neque meditatione galluppiana producitur.*

347.° Sive enim reflexio, sive meditatio in aliquo iam praecognito obiecto versantur. Ast quomodo in primis istud obiectum menti innotuit? undenam eius cognitio? Hoc est prae caeteris explicandum, ue dicatur super incognitum reflexionem et meditationem se convertere. Rursus, sive reflexio, sive meditatio, sive alia quaevis facultas cognoscitiva totidem sunt potentiae ab intellectu progenitae. Iam age, nonne luce clarius probavimus — intellectum ex intuitione entis universalis oriri —? Ergo reflexio et meditatio ideam quamdam primigeniam menti inhaerentem supponunt. Item, nonne similiter demonstravimus intellectum nihil plane cognoscentem in absurdis esse habendum, atque eatenus ipsum intellectum dici et esse, quatenus actu aliquid semper intelligit? intelligit nimirum, vel intuetur lumen rationis, aut ideam entis. Haec sunt adeo comperta, ut mirum sit Lockium et Galluppium non conspexisse haud sufficere potentiam creandi ideas mentis facultatibus gratis conferre, sed insuper ipsis inquirendum erat — num

(1) Fere ubique in operibus Angelici bina cognitionis *proprii ego* elementa occurrunt, species scilicet intelligibilis et sensatio. Vid. Lib. III. contr. Gent. C. XLVI — S. III, XI, II ad I. tradit, nullibi neque in caelo posse unquam animam aliquam sui cognitionem elicere sine specie intelligibili. Sin vero alicubi docet « intellectum sibi ex se natum esse, obiectum mentis, idest rem intellectam, vel ideam intelligit ».

mens potuerit reipsa auctricem esse suarum idearum —. Id erat potissimum, atque primum inquirendum in re ideogonica.

§. 4. *Idea entis non comparatur per abstractionem.*

348.° Abstractio ea est mentis operatio, quae ideae elementa seorsim considerat, ut cum ex idea hominis, relicta rationalitate, puram respicio animalitatem, atque ideam abstractam animalitatis mihi efformo. Tantum ergo abest, ut creet ideas abstractio, ut potius eas supponat, quo valeat earum elementa singillatim examinare. Iamvero cum cuique ideae, ceu elementum radicale, insit idea entis, quemadmodum alibi traditum est, liquido colligitur ideam entis ipsam antecedere abstractionem. Id autem respectu ideae entis per abstractionem solum acquiritur, quod videlicet idea eiusmodi, cunctis ideis tamquam earum fundus et basis communis delitescens distincte, atque clare conspiciatur, removendo singulas determinationes, sub quibus ceu sub velo latitabat. Verum sicuti qui fodiens montem detegit thesaurum, non dicitur thesaurum fodiendo produxisse, sed reperiisse, sic qui abstrahendo qualitatibus determinatis ideam quamlibet expolians, reperit tandem in eius fundo ideam entis, quae similiter non facta, sed inventa dicitur. Hoc pacto conficiuntur genera abstrahendo a qualitatibus specificis. Genus quippe est elementum speciebus commune. Idem dicendum de generibus altioribus, atque etiam de idea entis, quae, ut dixit s. Bonaventura, — est extra omne genus —.

§. 5. *Idea entis non est cuiuslibet iudicii effectus.*

349.° Iudicium duplicis generis est, primitivum, et secundarium; illud est = affirmatio existentiae rerum =; secundum est = affirmatio relationum inter ideam et rem cognitam existentem vel inter ideas =. Quamobrem iam inde innotescit, ideam entis nedum ab alterutro iudicio non provenire, sed utroque iudicio efficiendo aeque necessariam esse. Etenim iudicium primitivum, utpote affirmatio existentiae, ideam existentie vel entis, ceu praedicatum sensationibus nectendum evidenter expostulat. In hoc quippe iudicio dicitur — quod sentio existit — en igitur idea existentiae adhibita ad sensibilia inter entia classificanda (1). Iudicium secundarium eodem modo se habet, quippe quod

(1) Iudicium primitivum dicitur quidem idearum *procreator* non quasi ideas de nihilo aut de animi substantia producat, sed quatenus ex *idea entis* sensationibus applicata, ideas rerum in idea entis implicitas et involutas, pene dicam, educit et determinat. Sub hoc respectu intellectus agens (ratio) vocatur a s. Thoma — idearum conditor —.

ideas exigat simul comparatas, quibus, ut adnotavimus, idea entis inhaeret.

§. 6. *Idea entis nobis divinitus in ipso actu perceptionis corporum non infunditur.*

350.° Quandoquidem nulla nobis se prodit conscientia de eiusmodi infusione; imo nobis constat idea entis haud sane uti tamquam re nova, sed ingenita, familiari atque sempiternali, ut inquit s. Bonaventura. Denuo cum haec infusio sit aliquid summi momenti, eo quia tunc intellectus et ratio primo conduntur, non video quomodo haec essentialis animae transformatio neqneat experiri. Item, si toties idea entis infunditur, quoties ea egemus, nihil stabilis et constantis daretur in humana natura, quae rationalis fieret quando perciperet, irrationalis autem evaderet quum a perceptione cessaret, quod mehercule repugnat conscientiae testanti — rationalitatem nobis semper inesse —. Demum haec opinio favet errori Arabum docentium — intellectum agentem nostrarum idearum effectorem, Deum esse —, eo quod ipsis videbatur Deum semper perceptionibus nostris adesse.

§. 7. *Idea entis a nulla mentis facultate progignitur.*

351.° Quod, partim ex dictis circa reflexionem et meditationem, abstractionem et iudicium iam compertum est, partim ex dicendis magis constabit. Etenim mens donatur cognitione, quae essentialiter obiectiva est; ergo omnes facultates, quas in cognoscendo impendit, iam reposcunt obiectum (ideam) in quo exerceantur. Ideo s. Thomas: « omne cognoscens per virtutem cognoscitivam coniungitur obiecto (ideae); et, per speciem intelligibilem (ideam) fit intellectus intelligens actu ». Exinde ipse adoritur Averroem, qui puero potentiam equidem concesserat intelligendi, non tamen intellectum in actu, vel actu aliquod cognoscentem; quia qui potest tantum aliquid agere, nondum ei inest vera potentia cognoscitiva, idcirco neque verus intellectus, atque propterea puer esset tantum in potentia intelligens (1). Potentiis igitur cognoscitivis lumen rationis, vel idea entis est insuper adnectenda sive ut existant, sive ut cognoscant. Fac ipsis eripi ideam entis, atque tunc omnes facultates una cum intellectu extemplo evanescerent, homini puram relinquentes animalitatem, si tamen anima-

(1) Contr. Gent. LIX. IX — cui praeierat s. Aug. iam citatus « lux increata est ratio cognoscendi, et lux sola increata est veritas ». De ver. Relig. XXXIV — XXXVI; et in Soliloq. L. II. C. V. docuerat; hanc veritatem, quae sola est ratio cognoscendi, esse ens.

litas subsistere adhuc pergeret. Demum ridiculum sane est se iactare originem idearum iam detexisse, quia in homine facultatem admittunt idearum creatricem, cum potius explicandum veniat quid sit haec facultas, et quomodo ideas pariat. Equidem cum agitur de origine idearum, supponitur profecto animi aliquam esse activitatem, quae eas generet; ast haec activitas sufficitne sibi ideis pariendis? indiget fortasse aliquo adiutorio obiectivo? Non ergo solvunt, sed vix quaestionem de origine idearum proponunt, qui ad facultatem eas generantem confugiunt (1); idcirco sophismate implicantur petitionis principii.

ARTICULUS SECUNDUS

DIVINA IDEAE ENTIS ORIGO ARGUMENTIS POSITIVIS CONFIRMATUR

352.° Positive demonstrabitur ideam entis desursum nobis ingestam fuisse, si certum fuerit 1.° eam esse elementum formale, essentiale, atque constitutivum humanae intelligentiae, 2.° eam in omnibus ideis necessario contineri, 3.° atque sine ipsa fieri non posse iudicium primitivum de rerum subsistentia iam pluries memoratum. Atqui haec tria exploratissima sunt; ergo etc.

§. 1. *Idea entis est elementum formale, essentiale et constitutivum humanae intelligentiae.*

353.° Vidimus res in tantum a mente concipi, in quantum sunt entia, propterea quod — obiectum mentis sit ens —. Ergo ad entia concipienda mens naturaliter facta est, nec quidquam extra entium genera cognoscere valet. Rursus, fac mentem omnibus ideis, ne idea quidem Dei excepta, destitui, tunc, si attente animadvertis, videbis, mentem ideis determinatis vacuam, adhuc aliquid concipere. Concipit enim ens in genere, cum sciat — aliquid saltem posse esse, aliquid concipi —. Quod profecto non est aliud, nisi possibilitas rerum, vel

(1) Inter rationes quas in hac statuenda theoria de facultate subiectiva, idearum matre, haec futilis plane et puerilis affertur. Si enim, aiunt, animus non haberet hanc vim ideogonicam omni activitate destitueretur ac passivus fieret; perinde ac si principium sensitivum, quod ideis caret, sit totum et undique passivum! Undenam sensationes animales? unde vis et motus membrorum? unde robur belluarum immane? Nonne ex principio sensitivo? Respuenda ergo est ratio huiusmodi, nobisque potius consentiendum primum mentis actum esse tantum passivum, seu receptivum ideae entis, vel, ut ait s. Thomas « intelligere quoddam pati est ». Si ergo ad intelligendum magis mens patitur quam operatur cur tam fidenter isti, ut ita dicam, philosophiae labefactores, cognitioni producendae vim activam, actionemque exquirunt?

idea entis in genere. Contra, pone mentem idea entis quoque carere, et eo ipso radicalis ipsi convellitur cogitatio, ipsoque plane elabitur. Conditio ergo originalis et essentialis intelligentiae humanae reposita est in idea entis. Atque hinc constat cur ss. Patres crebro dixerint — ens prius cadere in intellectum —: — obiectum mentis esse ens, vel verum commune — (1): — formam intellectus agentis esse lumen divinitus derivatum —: — primum intelligibile non procedere ab anima, sed ipsam praecedere et creare (2) —: — intelligere esse pati quoddam (3) —: aliaque sexcenta, quae tot sunt documenta thesis nostrae fundamentalis, scilicet — ideam entis tamquam formam essentialem et originalem menti humanae coniunctam ire — (4).

§. 2. *Idea entis in omnibus ideis necessario continetur.*

354.° Id patebit clarissime statim ac ideae subiiciantur analysi. Nam quid est v. g. idea equi, nisi idea entis cum qualitatibus idealibus equi? quid idea lapidis, nisi idea entis cum qualitatibus idealibus lapidis? quid idea tauri, nisi idea entis cum determinationibus tauri? et sic de aliis ideis. Latet ergo, uti diximus, in fundo omnium idearum idea entis; ipsa autem nulli idearum subiicitur, nullamque sibi superiorem agnoscit. Enimvero indigemus ne idea alicuius entis peculiaris, ut concipiamus ideam entis universalis? Nonne haec sibi sufficit? quare? quia est extra omne genus, et primum intelligibile in mentem cadens. Unicum ergo fundamentum ac principium idearum est idea entis. Si quae autem varietas in ideis est, haec in solis determinationibus consistit. Optime propterea dictum est a s. Thoma « quod intellectus resolvit omnes suas conceptiones in idea entis »: et a s. Bonaventura « quod nil possit intelligi nisi per ens, et per ipsum omnia »: determinationes quippe totidem sunt entitates.

§. 5. *Idea entis est elementum essentiale iudicii primitivi.*

355.° Id elucescit tripliciter: primo quia generatim iudicium ideas iam exquirit. Porro ideae important ideam entis; ergo et iudicium

(1) S. I. LV, I.
(2) Scot. l. dist. 8, q. 7 — l. dist. 5, q. 6.
(3) S. Thomas, Aristoteles, Avicenna, atque Scholastici. S. I, LXXIX, II, habetur « intellectus est vis passiva (vel receptiva) respectu totius entis universalis ». S. Augustinus et s. Bonaventura doceut « animam ab ipsa veritate (idea entis) formari ». Lib. 83 qq. LXI —. Itiner. etc.
(4) Ermeneg. Pini, prol. lib. I. haec habet: « Primus intelligendi actus non est in homine ex ipsa existentia facultatis intelligendi: et; primus intelligendi actus est in homine non ab hominis potentia ».

primitivum ideas praeexistentes sibi vindicat, atque ideam entis. Secundo quia iudicium est actus intelligentiae; atqui intelligentia sine ideis non existit; ergo neque iudicium primitivum. Tertio clarius etiam colligitur ex theoria ipsius iudicii primitivi, quae in sequenti capite tradetur.

CAPUT OCTAVUM

ORIGO OMNIUM IDEARUM AB IDEA ENTIS UNIVERSALIS

ARTICULUS PRIMUS

THEORIA IUDICII PRIMITIVI, QUO PRIMAE RERUM IDEAE ACQUIRUNTUR

356.° Nobis hic sparsim de iudicio primitivo disputata in unum colligenda sunt eo potissimum fine, ut origo idearum ex idea entis evidentior fiat, atque ut quisque alte mente retineat — problema de idearum origine — idem esse ac — problema de iudicio primitivo —; quo explicato, et idearum origo detegitur.

357.° Ideas rerum aquirere tunc dicimur cum res praesentes, ac in organa irruentes percipimus, aut eas subsistere iudicamus. **Huic** porro intellectivae perceptioni vel iudicio duo profecto concurrunt, intellectus, et sensus. Pone nos intellectu penitus carere, quid **adhuc** sensus prodesset? Sed quid intellectus, sensibus ablatis? **Uterque ergo** necessarius est. Primae rerum perceptioni intellectivae vel iudicio sensus suppeditat materiam cognitionis, idest sensationes determinatas, intellectus autem formam cognitionis, seu ideam entis. Nam re percepta, statim nobiscum aut aliis dicimus — quod sentio existit — vel — existit ens hoc vel illo modo — *quod sentio* vel modus existendi a sensibus, idea autem *entis* ab intellectu derivatur. Unio autem eorum fit a ratione, quae, ut diximus, definitur = facultas applicandi ideam entis sensationibus =. Certum quippe est sensationes, etsi ex parte animae sint passiones, ex parte tamen agentis externi esse veras actiones determinatas, ac naturae agentis conformes. Hisce fit ut ratio inferat agens externum simile, quia ubi est actio debet ei respondere principium actionis, vel ens agens. Non ergo plane subiectiva est sensatio, sed partim subiectiva, partim vero extrasubiectiva, vel signum est rei externae, cui ratio subnixa infert ens activum, eiusque ideam sibi comparat.

358.° Sunt tamen quaedam hac super re notatu dignissima, ne erroris subrepat suspicio. Atque in primis hoc iudicium dici consuevit — iudicium identitatis vel aequationis —, quippe quod de ente percepto affirmet totam essentiam entis, licet non totaliter, adeo ut

tam dici possit: — quod sentio est ens — quam — eus quod mente intueor in forma ideali, hic mihi in forma reali adstare —. Priori casu ens est praedicatum, secundo, subiectum iudicii, quia ubi vera interest inter subiectum et praedicatum identitas, invicem haec substitui possunt. Nihilominus huiuscemodi identitas non est totalis et perfecta, quasi in ente percepto totaliter exhauriatur essentia entis, ac si dicerem — res percepta est ens (l'ente) —. Hac enim in hypothesi iudicium evaderet impossibile, cum notum pariter sit, quidpiam semper inter subiectum et praedicatum necessarium esse discriminis, ne iudicium in circulum vitiosum, vel in inanem repetionem abeat. Quare dicitur quod idea entis tota quidem, ut diximus, utpote indivisibilis et simplex in quovis ente peculiari realizzatur, non autem totaliter (1).

359.° Secundo monemus, in iudiciis primitivis puram entis essentiam sensationibus dumtaxat copulari, non autem modum vel formam, qua idea entis nobis exhibetur. Quamobrem non praedicatur entis idealitas, possibilitas, universalitas, et indeterminatio, neque proinde aliquid reale percipientes dicimus: — existit ens ideale, possibile, universale, indeterminatum —, sed tantum — existit ens talibus proprietatibus praeditum —, vel etiam, — ens quod mente implicite vel explicite noscebamus ideale esse modo a sensu (2) admonemur realiter quoque existere —. Et re quidem vera, cum homines, plantas, lapides. etc. percipimus, utimur certe idea hominis, idea plantae, idea lapidis, attamen nemo dicet quod existat homo idealis, planta idealis etc. sed solum homo, planta, quia in idea hominis, plantae non idealitas, sed hominis essentia consideratur, eaque de homine utpote reali affirmatur. Aliud etenim sunt formae entis, aliud ens; formae

(1) Circa hanc identitatem, ni decipiaris, animadverte eam non esse inter sensibile qua sensibile et ideam entis, vel, inter realitatem rei et eius intelligibilitatem, quae cum binae sint entis formae categorice distinctae nequeunt ad identitatem reduci; ast hanc identitatem esse inter realitatem cognitam, vel ideam realitatis expertae, et ideam entis et quidem in ratione entis idealis tantummodo, quatenus tam prima est ens, quam secunda, etsi illa ens ideale-peculiare, ista ens ideale-universale sit; identitas est ergo inter duas, pene dicam, idealitates, quorum una in altera continetur; vel etiam, identitas est tantum in essentia entis, quae, sive in sensibilibus sive in idea entis habetur, licet sub forma diversa, extrinsecus, in forma realitatis finitae, in mente autem, in forma idealitatis universalis, quae rebus percipiendis non ceu universalis, vel idealis, sed ceu essentia entis, adiungitur, ut in textu dicitur.

(2) Sensus possunt nobis realitatem entium ostendere, quia hominis natura utpote sensitiva et realis, iam extra idealitatem existit, ideoque, quiquid attingit, reale quoque est.

tres sunt, idealitas, realitas, et moralitas essentialiter distinctae et incommutabiles; ens autem sub triplici forma unicum et identicum est, et potest seorsim sine ulla ad tres formas relatione concipi et praedicari; quocirca simpliciter dicitur — existit ens —. Quoad autem formam realitatis, haec hauritur a sensibus. Ad hoc enim homo praeter intellectum accepit etiam a Conditore corpus, ut ens integrum, atque in suis formis idealitatis et realitatis perciperet.

360.° Tertio, advertimus in hoc iudicio, sensationes, subiectum, idea vero entis, praedicatum cum simul uniuntur, appellari. Porro quia sensationes ante huius iudicii efformationem latebant, ideo statuitur iudicium istud, sensationes cum idea entis copulans, sensationes in subiectum convertere, seu in lucem cognitionis trahere. Nam quemadmodum tamdiu ens perspectum nescio hominem esse, quamdiu ideam hominis ipsi non referam, qua applicata, statim agnosco ens visum esse hominem; sic pariter nescirem quid sit sensibile, priusquam ideam entis ipsi non coniunxerim, qua semel coniuncta, dicam protinus — existit, vel ens est —. Hoc iudicio nil clarius aestimo. Etenim quid mirum, si mens, quae semper existentiam in genere intuetur, postea existentiam sensibilium percipiat? Mirandum sane esset, si existentiam vel ens ignorans, sensibiliter entia perciperet, ut docet Reid, qui iudicium sine ideis fieri posse tuetur.

Quibus praemissis, videndum nunc est, quomodo ex hoc iudicio deducatur origo idearum.

ARTICULUS SECUNDUS

ORIGO OMNIUM IDEARUM GENERATIM

361.° In ideologia vidimus ideas invicem esse adeo connexas, ut genericae ex inferioribus specificis deducantur, atque ita porro, donec ad ideas specificas — plenas — imperfectas perventum sit; non quasi istae illas parturiant, sed in quantum eas continent, atque ope abstractionis inde educuntur. Hinc si qua est difficultas in explicanda idearum origine, haec in ideis specificis — plenis — imperfectis tota versatur. Porro ideas huiusmodi per iudicium primitivum, quo rei subsistentia affirmatur, acquirimus. Ergo recta iudicii primitivi theoria originem omnium idearum explicabit. Verum enim vero, omnia supra memorata systemata ideo reiecta fuerunt, quia nullum eorum apprime exposuit, enucleavitque primitivam mentis operationem cognoscitivam, idest iudicium primitivum, cui vel nullas ideas, vel subiectivas tantum, vel perceptionem divinitatis adscripserunt, absque eo quod numquam praecise designaverint eius elementa, cuiusmodi sunt 1.° sensatio, 2.° idea entis.

Hinc ne haec temere dicta sint, specimen dabimus nonnullarum idearum ab idea entis, cooperante sensu, progenitarum, quas in *puras*, vel a priori, et in *non-puras* vel a posteriori partimur. Ideae purae eae dicuntur, quae in ente ideali ceu in germine aut potentialiter implicitae, occasione sensationum, inde evolvuntur. Eiusmodi sunt ideae substantiae, causae, etc. Ideae non-purae, quae ex ipsa idea entis sensationis applicatione oriuntur, ut idea substantiae corporeae, spiritualis, huius aut alterius rei materialis. Quare sensationes respectu prioris generis idearum se tantum habent ut occasio; respectu autem idearum generis posterioris, ut occasio simul et materia considerantur.

CAPUT NONUM

ORIGO IDEARUM, QUAE PURAE VOCANTUR

ARTICULUS PRIMUS

ORIGO IDEAE SUBSTANTIAE ET ACCIDENTIS

362.° Substantia est = actus, vel vis, aut energia, qua res quaedam in se subsistit =, vel = actus existentiae ab aliis qualitatibus independens =, atque triplicis generis est, substantia scilicet universalis, generica et specifica, prout energia aut vis substantialis in universali, vel in aliquo genere, vel in quadam specie praecipue consideratur. Sic cum simpliciter dicitur *substantia*, intelligitur substantia in universali: quum autem additur substantia corporea, habes substantiam genericam; specificam demum, si substantiam plantae cogitas. Verum ad ideas substantiae in universali et genericae quod spectat, clarum est eas ab idea substantiae specificae abstrahi, vim vel energiam sine ullis determinationibus aut notis specificis accipiendo. Idea autem substantiae specificae oritur in actu alicuius individui perceptione. Hinc ego cognosco substantiam animalis semel atque aliquod animal percipio.

Tota ergo quaestio originis idearum substantiae incumbit origini ideae substantiae specificae. Ast haec idea iudicio primitivo, quo rei existentia affirmatur, enascitur: nam iudicio primitivo freti nedum accidentia, verum etiam et quidem primo energiam qua res subsistit, percipimus, et dicimus, aliquid hoc vel illo modo in se existere, seu actu esse, vel subsistere, propterea quod lex sit iudicio primitivo constituta, ut substantias semper affirmet, aut saltem eas innuat, quia eius praedicatum, idest ens, actionem vel energiam indetermi-

natam iam includit, quae cum individuo cuidam applicatur, energiam determinatam, vel substantiam specificam ostendit (1).

Quo nil sane facilius. Si enim in idea entis actionem vel energiam (existentia quippe est primus actus rei) iam indeterminate concipimus, quid obstat quominus actionem vel energiam quamdam individuam sensu acceptam cognoscamus? Idea autem substantiae adepta, ideam quoque accidentis simul consequimur. Ergo idea entis ope iudicii primitivi rebus adnexa, nobis praebet ideam plenam substantiae, quae postea interventu abstractionis, fieri potest specifica, abstracta et generica. Quapropter neque sensistis ideam substantiae denegantibus neque subiectivistis eam ex animi activitate, vel eius modificationibus derivantibus, neque iis, qui ingenitam autumant, subscribimus, sed ab applicatione ideae entis malumus eam depromere.

ARTICULUS SECUNDUS

ORIGO IDEAE CAUSAE ET EFFECTUS

363.° Tria sunt in idea causae probe seorsim elementa secernenda: 1.° actio vel effectus, 2.° agens vel causa, 3.° utriusque nexus seu relatio. Actionem statim percipimus vix eam utcumque sentimus; nil quippe facilius nobis est, quam sensu experta illico intellective percipere Porro actio ens equidem non est, sed qualitas vel quidquam ad ens spectans. Ideoque quemadmodum actio sine ente agente in ordine physico non existit, sic in ordine logico actio sine eius agente similiter non percipitur. Quapropter intellectus, cuius obiectum essentialiter est ens, vel aliquid eiusdem, non potest percipere actionem, quin simul intelligat ens vel agens aliquod, ex quo actio prodiit: secus quemadmodum actio divisa ab agente non existeret, ita neque conciperetur; quippe cum, ut idem repetamus, obiectum cognitionis sit ens, vel aliquid eiusdem. Mens igitur percepta actione, necessario ad eius agens perducitur, necessitate, inquam, non subiectiva sed obiectiva et ontologica, quippe quae inducatur in agens ab ipsa entis idealis natura. Agens vero quodam veluti ratiocinio detectum vocatur causa,

(1) Idem tenet s. Thomas, qui ait ad solum intellectum pertinere cognitionem substantiae « quia eius obiectum est quod quid est, seu ens ». S. III, LXXVI, VII. Quod aeque ad ideam causae referri debet. Nam causa quaedam est substantia agens. Ergo et ipsa solo percipitur intellectu, cuius obiectum semper est ens. Advertendum mentem in perceptione non statim distinguere inter substantiam et accidentia, sed simul omnia, unico actu complecti, indeque autem analysi perceptionis instituta ea invicem distinguere, atque substantiam et accidentia singulatim concipere.

quae vel intrinseca vel extrinseca est, secundum quod conscientia certiores efficimur a nobis vel aliunde actionem procedere. Causa autem cognita, facillimum postmodum erit, abstractione opitulante, alias exinde educere ideas causarum, specificas nempe et genericas, et generalissimas.

Constat ergo ideam entis ideae causae aeque ac ideae substantiae originem dare ut primum sensibus actionibus, vel accidentibus affectis unitur, quia actiones et accidentia sine causa et substantia quibuscum uniantur nullatenus percipi possunt propter principium vel legem cognitionis enti aut alicui entitati necessario haerentis.

ARTICULUS TERTIUS

ORIGO IDEAE DEI

364.° Duplici ratione potest idea Dei adipisci, a posteriori et a priori, et quidem in utroque casu ope ideae entis.

A posteriori Deus cognoscitur, cum a contingentibus perceptis, in primam causam sublevamur. Ast quomodo rerum perceptarum contingentia innotescit, nisi quia ad ens comparatae, videntur non totum quantum ipsum est, perfecte aequare, ideoque haud ens (l'ente) esse, sed de ente participare, idest existentiam non sibi intrinsecam, sed aliunde nactam gerere? Sine hac quippe rerum ad ens ideale comparatione, nentiquam posset earum contingentia cognosci, qua nullo negotio ad Absolutum perducimur, eiusque ideam acquirimus.

A priori Deum invenimus, in ideam entis reflectendo, quae etsi immutabilis, aeterna, necessaria sit, extra modum tamen existentiae logicae non egreditur (1); atque neque entis plenitudinem, neque consequenter metaphysicam et moralem entis existentiam, vel subsistentiam praesefert. Quapropter necesse est ut in ens completum, seu in Deum confundatur, tum quia 1.° forma idealis expostulat formam realem eiusdem, cui tamquam principio insideat (demonstratio ontologica existentiae divinae) tum 2.° quia vel minima inter Deum et ens

(1) S. Bonaventura, Compend. theol. verit. Lib. II. C XIV, haud profecto subobscure insinuat, nos per lumen rationis, vel ideam entis in Deum transferri — « Cognoscitur, inquit, Deus naturali cognitione; qua intellectus possibilis ita informatus lumine intellectus agentis, quod est similitudo primae lucis, in hac similitudine cognoscit lumen primum, quod est Deus — . Quid, si giobertiniani, id scirent? ipsi s. Bonaventurae certe irascerentur. Neque dicant — cognoscere lumen primum idem esse ac Deum intueri — quia haec intuitio adversaretur obiecto intellectus, quod est similitudo tantum primae lucis, atque intellectui possibili et agenti, qui in visione ideali socium nequit amplius habere.

ideale posita divisione, haberentur bina immutabilia, bina aeterna, bina necessaria, quod repugnat (1); tum 3.° quia ens ideale non est nisi aeterna rerum intelligibilitas, cui essentialiter opus est mens pariter aeterna, in qua recipiatur (demonstratio ideologica existentiae divinae). Non enim potest esse obiectum aeternum et necessarium absque mente pariter aeterna et necessaria: confluit ergo ens ideale in Deum, ceu radius in solem, vel rivulus in fontem, et ideo dictum est — participatio luminis aeterni —. Haec divinitatis idea vocatur a priori, quia in ipsius consecutione non consulimus experientiam, sed in pura entis idea ingenita immoramur.

ARTICULUS QUARTUS

ORIGO IDEARUM, QUAS ELEMENTARES VOCANT

365.° Ideis elementaribus accensentur praesertim ideae veritatis, possibilitatis, universalitatis, necessitatis, immutabilitatis, aliaeque id genus multae; quae cum non sint, nisi totidem elementa ideae entis, vel tot in ipsa idea entis peculiares mentis animadversiones, vocantur elementares, atque una cum ipso ente immutabiliter, et implicite menti induntur. Hinc fit ut licet abstractissimae, vulgares tamen sint, scituque facillimae. Diximus quod sint totidem elementa ideae entis; enimvero unitatem, possibilitatem etc. aliaque huiusmodi abstracta concipientes quid cogitamus? Non utique ens aliquod reale, contingens, et subiectivum, ex quo fuerint abstractione discerptae cum alterius sint naturae rebus creatis excellentiores; neque ipsum Deum directe. Cogitamus ergo potius ens in universale, cuius sunt elementa abstracta. Nam inquirenti quid sit veritas, possibilitas, immutabilitas in genere reponimus dotes esse entis alicuius in genere (d' una qualche cosa). Neque fas est ab idea entis supremi, seu Dei, hasce ideas comparari, quia hae saepe ideam Dei antecedunt, neque eam innuunt. Insuper ethnici ideam Dei ut plurimum depravantes, integram tamen istarum idearum notitiam conservarunt, easque interdum Deo detrectarunt, ut qui, Deos oriri, mutari, irasci, arbitrabantur.

(1) Ens ideale perfecta et non interrupta, ut ita loquar, continuitate in Deum resolvi, non aliqua intuitione cernimus, sed ratiocinio deducimus. Propter quippe nimiam luminis divini modicitatem mens non ita erigitur, ut ad Dei intuitionem perveniat. Impeditur enim arctissimis propriae cognitionis limitibus, qui cum terminos intuitioni circumponant, menti quodammodo videtur ens ideale a Deo distingui, quae tamen distinctio utpote ab limitatione mentis proveniens, non est nisi subiectiva, vel distinctio menti intuenti tantum apparens, quae illusio, dictante ratiocinio integrante, emendatur.

Item s. Augustinus evidenter docet « eas nos in quadam luce interiori (in idea entis) videre » (1). Demum atheus, qui Dei existentiam impetere conatur, ideas eiusmodi certe non reiicit, imo easdem adhibet, ut ostendat non dari ens infinitum, necessarium, aeternum, immutabile etc. Ergo cognitio istarum idearum notitiam Dei necessario et evidenter antecedit.

Ideas etiam veritatis, iustitiae et pulchritudinis ab idea entis profluere obvium est, sunt enim eadem entis idea ex ea parte, qua vel rerum exemplar (veritas) vel regulam morum (lex moralis) vel ordinem rerum (pulchritudo) patefacit. Sed de his suo loco data opera disputabitur.

CAPUT DECIMUM

ORIGO IDEARUM, QUAS MATERIATAS, AUT NON-PURAS APPELLANT

ARTICULUS PRIMUS

ORIGO IDEARUM SUBSTANTIAE CORPOREAE ET SPIRITUALIS

366.° Ideae *materiatae*, vel *non-purae*, aut etiam a posteriori eae dicuntur, quibus praeter formam intelligibilem, sensatio ceu materia cognitionis superadditur; ideoque duplici constat elemento, *formali*, et *empirico*. Huius generis sunt ideae spirituum, corporum tam nostri, quam externorum, quae nonnisi post receptam sensationem percipiuntur. Harum autem idearum nulla difficultate explicatur origo, si quae iam pluries de iudicio primitivo exposita, huc revocentur. Nihilominus, ut nil hac super re relinquatur ambiguum, quaedam adiungemus.

367.° De perceptione corporum externorum hic primum acturi duo elementa in sensatione necesse est secernere, subiectivum et extra-subiectivum. Primum est ipsa animi affectio suavis aut molesta, quae id plane constituit, quod sensatio proprie dici solet. Secundum vero est passio, quam anima in sensatione a corporibus experitur, quae ideo vocatur extra-subiectiva, aut perceptio sensitiva, eo quod ad aliquid extra subiectum positum referatur, pone ad vim vel agens externum, reale, extensum, multiplex, quod utpote sensationis causam attingit. Si enim sensatio respectu nostri est passio, respectu corporis externi est actio (2). Quibus accurate, subtiliterque invicem di-

(1) De lib. arb. II, VII, XII.

(2) Inepte ergo cum Condillaco aut Berkeleyo corpus definitur — sensationum complexus — aut cum Cartesio — eius essentia in extensione ponitur —,

stinctis, consequitur ideam entis elemento sensationis *extra-subiectivo*, seu passioni applicari, atque huiusmodi applicatione mediante, correspondentem actionem, simulque agens equidem extensum, idest corpus percipi. Extensio quippe modus est sensationis corporeae, quae licet simplex in se, in spatio tamen extra subiectum expanditur neque igitur amplius quomodo anima extra seipsam, pene dicerem, ad corpora percipienda porrigatur, quaestio est. Nam hoc ipso constat sensationem minime meram esse animae affectionem, dolorem scilicet aut voluptatem, atque undequaque subiectivam, vel solis subiectivis, si ita loqui fas est, cancellis inclusam, idcirco nullam postulare causam externam agentem, extensam, corpoream, seu carere extra — subiectivitate. Hinc iam solvitur illud solemne idealistarum argumentum: — sensationes odoris, coloris, saporis etc. tot sunt subiectivae animae affectiones, ergo et sensationes soliditatis extensionis etc. — Resp. neg. antec. sensationes odoris, coloris etc. duo etiam elementa complectuntur, subiectivum, idest analogam animae modificationem, et extra-subiectivum, etsi elementum extra-subiectivum, seu actio confuse tantum apprehendatur propter particularum corporearum tenuitatem, et qualitatem ac velocitatem impressionis. Ecquis non advertit aliud esse vim in organa olfactus, gustus etc. agentem, aliud modificationem animae inde consequentem? Quaevis enim sensatio, nedum uti diximus, est passio animae, sed actio vel terminus actionis externae.

Id clarius patet ex natura ipsius sensitivitatis corporeae; cuius terminus ipsi arctissime coniunctus est extensio. Ergo quaelibet sensatio extensionem vel corpus vi extensa praeditum supponit, ut vere ipsa dici possit, modificatio sensus fundamentalis, corporei; quia sicuti ablata extensione protinus sensus animalis dissolvitur et perit; ita nulla, corpore haud immutato, oritur pariter sensatio. Elementum ergo extra-subiectivum sensationis ille merito foret pons communicationis inter animam et mundum externum tandiu frustra conquisitus. Ex dictis pulcherrimum fluit corollarium. Enimvero si in quavis externa sensatione duo semper concurrunt, patiens et agens, principium sensitivum nimirum et corpus, consequitur, neque principium sensitivum sine corpore, neque vicissim corpus sine principio sensitivo posse perfecte cognosci, et definiri; idcirco haec magis affinia esse, arctioremque habere relationem, quam psychologi suspicantur.

368.° Idipsum est ferme dicendum de idea corporis nostri. Duplici etiam modo ipsum sentiri, subiective, nempe per experientiam

vel cum Leibnitio — nostra organa minime modificari aestimatur —. Hisce enim definitionibus corporis deficit activitas vel agens, quod elementum extrasubiectivum gignit, quo sublato, idealismum irreparabiliter impenderet.

internam, qua ceu nostrum, vel consensitivum, animaeque coniunctum, atque ab aliis distinctum experimur, et extra-subiective, vel per experientiam externam, organis externis utentes, ipsum tamquam sensibile et externum ad instar caeterorum corporum conspicimus et tangimus. In utroque casu sensatio binis iam dictis iterum constat elementis, subiectivo et extra-subiectivo, quorum postremo ideam entis copulando, perceptionem corporis nostri obtinemus. Paucis, quidquid sensu interno aut externo, sive quae spiritus, sive quae corporum sunt sentiamus, nulla amplius, theoriam iudicii primitivi recte edoctis, erit difficultas explicandae idearum originis, atque inde spirituum ac corporum ideis haurientis. Quia si sensatio externa in extensionem sese effundens, causae extensae (cuius actio est) inferendae occasionem menti porrigit (1), sic sensatio interna subiecto simplici, indivisibili adhaerens, simplicitatem quoque ac spiritualitatem subiecti, seu animae, a qua passiones et actiones expertae dependent, ostendit. Qua in re notandum est animam relate ad sensationes externas esse tantum subiectum; relate vero ad sensationes internas esse subiectum simul et causam.

ARTICULUS SECUNDUS

ORIGO IDEAE MOTUS, TEMPORIS, ET SPATII

369.° Post hactenus discussa de origine idearum (2), opus fortasse haudamplius nobis esset originem idearum motus, temporis et spatii

(1) Quare hic eluditur dubium Hume, Berkeley, aliorumque idealistarum dicentium non posse corporum existentiam demonstrari, propterea quia qualitates sensibiles tot sunt animae sensationes, vel fortasse Deus, aut spiritus quidam incognitus, qui sensus nostros instar verorum corporum afficit. Ast contra; si passio est elementum sensationis extra-subiectivum, per organa affecta expansum atque limitatum; ergo neque sola est animae interior affectio, neque a Deo, vel ab aliquo spiritusli substantia impressa, eoque magis, quod praeter sensationem externam etiam internam habesmus, quam ab illa constanter distinguimus. Cum vero in ipsa ideae entis applicatione, res uti sunt cognoscantur, patet elementum extra-subiectivum tamquam signum corporis externi esse, atque materiam ideae corporis praebere. Si quippe actio certe ab ipsis corporibus elicitur mens etiam certe propter legem obiectivam entis non poteat eam absque ente, cui refertur, cognoscere.

(2) Etiam experientia interna hasce possumus notiones motus, temporis et spatii abstractas comparare, licet difficilius. Nam 1.° subiectivam nobis inesse facultatem locomotricem conscientia testatur: 2.° quaelibet actio aut passio animae secum pariter suum habet tempus coniunctum: 3.° spatium demum vel extensio modus est sensus fundamentalis — animalis corpore extenso effusi.

expresse demonstrare; haec equidem una cum ipsis corporibus, quibuscum existunt, percipiuntur: nam sensationes utpote indubia corporum existentiae indicia ita comparatae sunt, ut modis existentiae corporum conformes existant; quia unumquodque ens eo modo quo est, in organa operatur. Quamobrem si corpora moventur, si in agendo aut in existendo perdurant, si extensione dilatantur, palam erit cuique haec adiuncta eadem sensatione sentiri, atque intellectu simul percipi. Difficultas ea cognoscendi, et quidem maxima adfuisset, si nullimode origo ideae substantiae et causae rerum sensibilium innotescere potuisset, qua contra semel explicata, ut supra disseruimus, etiam origo idearum praefatarum inde sponte sua descendit.

370.° Verum ut de motus idea in primis aliquid dicamus, notum est motum posse etiam dupliciter percipi; 1.° subiective, quatenus referente sensu intimo percipimus animam in corpore operantem, atque hac illucque in spatio corpus transferentem, quin tamen effectus motus extrinsecos videamus: hic dicitur motus activus, cuius videlicet nos causa locomotoria sumus (1). 2.° extra-subiective, quatenus ope organorum externas sive corporis nostri, sive aliorum conspicimus motiones, translationes, rotationes etc. Id est, quod motus passivus nuncupatur (2). Utrumque motum autem una cum substantia sese movente aut mota iudicio primitivo compercipi exploratum sane est. Sin autem motum mente retineas, caeteris quae corporis sunt ab ipso detractis, tunc ideam abstractam motus indefiniti, puri et continui tibi relinquetur contemplanda, quae profecto sine idea possibilitatis consequi nequit, qua corpus aliquod possibile continuo et indefinite moveri cogitamus.

Praeterea ut quantum entis idea, vel ens possibile in hanc motus ideam influat, cognoscatur, est sedulo hic animadvertendum, motum abstracte conceptum, continuum, vel sine ulla locorum successione, apparere, quamquam immerito, cum motus ex uno sit successiva in viciniorem locum translatio. Motus ergo videtur continuus non quia est reipsa sed quia ope entis possibilis, vel ideae entis, concipimus possibile esse, ut in quovis loci puncto aeque incipiat motus, simulque ibidem cesset. Ratio autem cur nobis motus appareat continuus, idest sine successione, ex eo eruitur, quod exilissima nequeamus oculis vel opticis instrumentis adnotare spatii intervalla.

(1) Subiective etiam nos motum passivum percipimus, ut cum, accepta sensatione, organa sentimus aliena actione perculsa, atque exagitata.

(2) Motum corporis nostri activum esse, idest ab anima productum subiective tantum constat, non vero extra-subiective; hoc est non organis externis, sed intimo sensu experimur, animam tales in corpore motus edere.

Porro haec cuiuslibet spatii puncti indifferentia ad initium, finemque motus suscipiendum nobis praebet ideam continuitatis abstractae, quae tamen idea confusa est, atque elabitur statim ac advertimus, eiusmodi spatii puncta ut ut sibi invicem fingantur proxima, veram numquam efficere continuitatem, eoque magis, quod continuitas successiva numerum exposcat infinitum quod sane absurdum est.

371.° Ideae temporis nunc est origo quaerenda. Tempus generatim sumptum non est nisi successiva duratio. Porro ex quavis actione subiectiva vel extra-subiectiva, seu interna vel externa, bina, quibus idea temporis conficitur, elementa, duratio scilicet et successio facile eruuntur. Habent enim singulae actiones limites duos, intensitatem et durationem determinatam, quibus ab ipsis actionibus abstractis, duo evadunt entia mentalia quae cum iugiter augeri fingantur, ideam durationis successivae, indefinitae et purae, vel temporis efformant (1). Eadem ergo actionis perceptione tempus tamquam in concreto quoque percipitur, cuius idea fit abstracta, cum actionem quamdam veluti possibilem, et quidem iterabilem consideramus, quae tempus indefinitum exhibet. Sin autem nobis imaginamur duratione semper breviorem singulis temporis momentis fieri, indefinita obtinebitur temporis divisibilitas. Demum cum cogitamus possibilitatem actionis cuiusdam singulis durationis instantibus caeptae et absolutae vel completae, temporis continuitas exurget, quae uti continuus motus, phaenomenica tantum est, atque absurda tum quia iterum daretur numerus infinitus, tum quia quidquid evenit, distinctis semper instantibus fit, idcirco momenta utcumque brevia et vicinissima censeantur, semper distracta sunt.

Atque hinc quid sit temporis mensura liquido innotescit. Praegrandis, visibilis, constans et aequabilis actio, puta motus apparens solis, vel siderum, aliis comparata actionibus vocatur mensura temporis, cuius anni, menses, dies etc. totidem sunt ingentis huiusce actionis partes, vel divisiones. Quapropter tempus ipsis inest rebus, atque ex earum actionibus successivis efformatur.

372.° Superest demum idea spatii, quae aeque ac idea temporis et motus, eadem corporum perceptione primo acquiritur. Deinde, agente abstractione, spatium in abstracto consideratur, ex quo fit idea abstracta spatii puri, illimitati etc. Spatium hoc modo conceptum interminabile est, immensurabile et continuum. Interminabilitas et

(1) Ex hactenus dictis, idea temporis a posteriori est, non a priori: ita similiter idea spatii et motus. Hallucinatur ergo Kant, qui hasce ideas, ingenitas formas esse, ideoque a priori, tuetur. Angelicus Doctor ex conversione intellectus super phantasmata repetit ideam temporis, quae idea compositioni et divisioni intellectus adiungitur.

incommensurabilitas spatii aliud non sunt, quam possibilitas concipiendi extensionem corporis nostri, aut locum quo consistimus indefinite ac successive iteratum iri, quod sine idea possibilitatis, seu idea entis fieri certe non poterit. Continuitas itaque est iterum possibilitas, quod corpus in quovis cuiusdam determinati spatii puncto sine ulla interruptione existat, tametsi haec omnia puncta ad perfectam continuitatem redigi nequeant. Idcirco si qua concipitur in spatio continuitas, haec phaenomenica iterum est, atque ratiocinio emendatur, quia numerum etiam requirit infinitum, quod sane nefas est dici. Si agatur autem de continuitate corporis nostri, haec est = possibilitas referendi sensum animalem cuivis corporis puncto assignabili =. Continuitas potest esse vel illimitata, si ad omne spatium extenditur, vel limitata, si ad aliquod continuum, sed limitatum spatium compescitur, pone, si ad aream quinque, decem, viginti pedum. Haec spatii limitatio indefinite semper restricta, indefinitam spatii divisibilitatem praebet. Verum huiusmodi spatii continui divisio non est ita accipienda quasi continuum in partes infinite dividatur, sed quia est infinite limitabile; continuum enim qua tale partes dividendas excludit, vel si quodammodo divisibile dicatur, non equidem in sensu composito est intelligendum, quia continuum et divisibile invicem pugnant, sed in sensu diviso. Quare divisibilitas spatii est = possibilitas indefinite limitationem cuiusdam spatii magis magisque restringendi =. Huc recidit illa Aquinatis sententia « continuum infinitas partes in potentia, nullam habere in actu ».

Spatium tamen, cuius hactenus ideam explicavimus, planum vel superficiale tantum est, atque solo tactu perceptum, cui si motum addas, quo circumquaque corporis metitur superficies, spatium solidum, idest triplici constitutum dimensione, obtinebis.

CAPUT UNDECIMUM

THEORIA IDEOGONICA HACTENUS CONCINNATA DEFENDITUR A NONNULLIS CENSURIS ET NOTIS IPSI IMPACTIS

373.° Errores, quos in praefata theoria quidam nuperrimi philosophi se detexisse iactant, sunt sensismus, subiectivismus, criticismus, rationalismus theologicus, pantheismus, idealismus, nominalismus etc. etc. etc. etc. etc.

His omnibus illud in primis opponi iure deberet adagium: — qui nimis probat, nihil probat —.

374.° Quam immerito tantorum theoria nostra insimuletur errorum, non est quod multis probemus, si enim vel uno tantum ex praedictis ipsa scateret erroribus, iam impossibile foret caeteros sin-

gulariter sumptos potissimum quoque redolere. Aliud siquidem est sensismus, aliud subiectivismus, etc. quorum errorum differentia fit, ut invicem distinguantur philosophorum systemata, atque in distinctas classes dividantur. Quomodo ergo fieri potest, ut allata theoria omnibus erroribus directe, immediate, et quidem ex professo faveat? Id solum dubii evidentissimum iam ostenderet tam magnos, tamque perniciosos errores plane vel ignorantia, vel, quod fortasse verius est, iuvidorum vafritie confictos atque obtrusos esse ad immortalis Auctoris famam nomenque famosum, et omni laude mains conviciose lacessendum. Iamvero ut pauca dicamus de ipsorum tricis, sit:

1.° Theoria nostra ideogonica non favet sensismo. Ad ipsos appellamus adversarios, ut aliud nobis systema indicent, in quo 1.° tam crebro, tam sedulo, tam naviter, tam exacte, tam profunde, tam perfecte et undique distinguatur mens a sensu, idea a sensatione, perceptio sensitiva a perceptione intellectiva, forma cognitionis ab eius materia, terminus sensuum ab obiecto intellectus: 2.° atque adeo clare et constanter quid census quidve intellectus afferat cognitioni efformandae, quae sint iudicii primitivi elementa declaretur. 3.° Ab ipsis demum etiam adversariis percontamur, ut aliud prodant systema, quod radicitus sensismum convellat, uti ipsum nostra convulsit theoria. Id negare idem est ac lucem meridianam se non videre pertinaciter adhuc clamare, aut desipere.

2.° Non favet subiectivismo. Hanc subiectivismi suspicionem tollunt tot illa loca, ubi continuis, iteratis, et ad nauseam usque refricatis verbis, obiectivitas statuitur idearum atque earum a spiritu cogitante opposita natura; 2.° tam frequens theoria potentiarum intellectus quae eminenter obiectivae nuncupantur, id est in obiectum distinctum atque aeternum semper intentae; 3.° distinctio perceptionis proprii *ego* ab eius sensu (dal suo sentimento); 4.° confutatio ex professo instituta contra Reid, Leibnitz, Galluppi, aliosque praecipuos subiectivistas; 5.° descriptio errorum nefandorum, quibus nostra tabescit aetas ex subiectivismo proficiscentium; 6.° accurata descriptio synthesismi intellectivi, cui subiectum et obiectum distinctum, mutuo tamen coniunctum opus est: 7.° demum praecipuus nostrae theoriae finis est, subiectivismum nunc praecipue grassantem profligare in omnibus suis formis.

3.° Non favet criticismo — 1.° sive quod in validioribus eius fautoribus Kant, Fichte, etc. directe et iugiter ipsum impugnet; 2.° sive quod ad ultimas usque eius radices extremas, quo nullum hucusque systema pervenit, sese constanter, enixeque provehat, atque suffodiat; 3.° sive quod proficiscatur ab ipsa veritate intuitiva, suprema, indemonstrabili, obiectiva, seu idea entis, quae observari quidem potest, haud tamen in dubium vocari, aut per aliam superiorem de-

monstrari, cum praeter ipsam nullum supersit principium demonstrationis, ideoque uti infallibilem esse accipiendam: 4.° sive quod in sensatione elementum extra-subiectivum distinxerit, idcirco et agens externum, a quo procedit, quod sane adversatur criticismo nullam sensationibus fidem adhibenti; 5.° sive quod unicam tantum, eamque obiectivam posuerit formam intelligentiae, quod iterum repugnat formis subiectivis et multiplicibus criticismi.

4.° Non favet rationalismo — Nam 1.° praeter formam idealem entis, duas alias formas profitetur, realitatis et moralitatis, quibus eas in se ens complectitur veritates, quas sola non apprehendit ratio, atque earum sibi ratiocinio innixa comparat ideam negativam, vel invenit reapse quidem existere, quin modum existendi intueatur. Ast quot non afferuntur argumenta contra visionem naturalem entis completi vel absoluti, nempe Dei? 2.° nonne, quibus undique limitibus ratio circumscripta sit, data opera ostensum est? 3.° et quae de distinctione inter lumen rationis, gratiae et gloriae dicta sunt, hanc non expellunt rationalismi censuram? 4.° quoad triplicem entis formam nonne similiter cautum est, ne cum tribus personis divinis commiscerentur? Si haec nondum sufficiunt rationalismi suspicioni refellendae, quid sit ulterius addendum prorsus amplius nescimus.

5.° Non favet pantheismo — Enimvero 1.° omnino pantheismo subvertendo validissimum argumentum derivatur ex distinctione ordinis idealis ab ordine reali, vel entis idealis ab ente reali, quorum confusio execrandum genuit pantheismum spinozisticum, aliaque pantheismi systemata. Atqui haec tam necessaria distinctio nonne centies milliesque, imo ubique recurrit in nostra theoria cuius praecipuum caput est ac fundamentum? nonne perpetim inculcat ens ideale aeternum, immutabile, necessarium esse; ens autem reale sive corporeum, sive spirituale, contrariis plane donari characteribus? 2.° Omnibus quidem rebus ideam entis univoce tribuit, sed non quatenus essentiam completam entis (l'ente), sed quatenus dumtaxat existentiam significat, cum perspectissimum sit res in esse, vel in existendo plane omnes convenire. 3.° Quomodo ergo pantheismo patrocinatur, si ideam, quam de Deo ope rationis habemus, tantum negativam esse ad ravim usque praedicat? idest Deum esse, quidem scire; quomodo autem sit, nos plane latere? quid quod? Nonne et ipse Malebranche, Cousin, Gioberti, pantheismi suspecti, aliique refutantur? 4.° Etiam methodus analytica constanter adhibita non minus directe opponitur pantheismo, cuius fautores synthesim magis sectantur, ut omnia simul creata et divina commisceant?

6.° Non favet idealismo — 1.° quia saepissime monetur non equidem formam idealitatis entis, sed ens ipsum sensationibus applicari, adeo ut non dicatur — lapis, equus, arbor idealis, sed magis — la-

pis etc. subsistit. Numquid cum idea v. g. hominis ducti, viso homine quodam, dicimus: — en homo idealis —? sed qua de causa? quia non idealitatem, sed essentiam hominis in homine viso sub forma realitatis occurrente, affirmamus (1). 2.° Quoties non probatur ideam entis seorsim a sensibus perspectam ex se imparem esse existentiae reali agnoscendae, ideoque egere materia, idest sensationibus, quibus ipsa ceu forma adnectatur? Nonne in hunc finem diligenter fuit elementum extrasubiectivum conquisitum, ne diceretur ideam entis subiectivis et plane internis animi affectionibus adiungi? Alterum nobis adversarii exhibeant philosophum, qui in ipsa sensatione invenerit perceptionem sensitivam, vel partem sensationis extra-subiectivam, qua spiritus et mundus externus, ut sic dicam, osculantur, atque nectuntur. Idealismi ergo nota nonnisi calumnia est, et impudens malignantium commentum.

7.° Non favet nominalismo — 1.° Non equidem videmus quomodo natura aeterna, immutabilis, universalis, infinita idearum adeo firmiter, constanter, ac toties confirmata possit cum nominibus, aut prolatis, et evanidi aeris expiratione confectis conciliari. 2.° Nostram theoriam nominalismo omnino adversari ex eo etiam constat, quod eius principia nominalismum in suis rationibus protriverit. 3.° Et quae de distinctione inter ideam, verbum mentis, et verbum oris disputata fuerunt, nonne apertissime declarant aliud ideam esse, aliud nomen et vocabulum?

8.° Non favet scepticismo — Tum 1.° quia tota theoria in idea entis veluti in prima, clarissima, indemonstrabili, et immutabili veritate insistit: 2.° tum quia ex ipsa sedula analysi, et invicto ratiocinio praecipua deduxit rationis principia, atque in ipsa omnium iudiciorum detexit originem obiectivam et immutabilem: 3.° tum quia clare distincta fuit cognitio reflexa, cui solum potest error irrepere, a cognitione directa falli nescia: 4.° tum quia certitudo tam intuitionis primigeniae entis, quam iudicii primitivi affirmantis rerum subsistentiam extra aleam dubitationis posita fuit: 5.° tum quia demum apposita disputatione cum scepticis congreditur, ut clarius etiam in logica videbitur.

373.° Superest ergo ut adversarii malitiam, furoremque, quo exardescunt, tandem deponant, lucem veritatis aspicere haudamplius recusent, praeiudiciis, falsisque, quibus sane nostra theoria non favet, valedicant opinionibus, atque aliquando cognoscant philosophiam veram et indubiam, tamdiu obsoletam et obliteratam, nunc denuo, Deo dante, reviviscere, eamque propterea alacriter esse sequendam, si po-

(1) Similiter neque universalitas, neque aeternitas, neque immutabilitas etc. ideae rebus perceptis tribuuntur, sed essentia rei idea inclusa.

steritatis convicia et reprobationes declinare avent. Veniet enim tempus, neque tam procul abest, quo philosophi obstupescent, aliquando quosdam extitisse lucifugos, qui adeo clarum, solidum et mirandum systema in dubium verterint; quemadmodum et nos magnopere admiramur; philosophos quosdam viguisse, qui sensismum excogitaverint et defenderint, quia nimis eius nobis patet absurditas; atque etiam miramur, quod systema coeleste Copernici, et Galilei, quondam fuerit damnatum, et irrisum. Iunctis ergo viribus opus tam ingens, et perutile prosequatur, ne diutius a nobis vera philosophia, tamdiu exulata, procul adhuc a nobis peregrinetur. Iam hora quippe est de somno surgere, et in luce veritatis philosophiae oculos mentis recreare.

PROTOLOGIAE PARS QUARTA

LOGICA

PRAEFATIO

I.

LOCUS, QUO INTER SCIENTIAS PHILOSOPHICAS LOGICA CONSISTAT, STATUITUR

376.° Novum equidem, ac plane insolens quamplurimis videtur, quod sero nimis atque post ideologiam tantummodo, logicae, iam pridem ac ab omnibus fere philosophiae cultoribus veluti scientiarum ianuae haetenus habitae, hunc in ordine geneologico scientiarum adsignemus locum. Nonne haec haudamplius ea logica est, dicent, sapientum cuiusque aetatis tantis cumulata praeconiis, supremae studiis philosophicis praeludendis, provehendisque necessitatis aestimata, atque ceu ars artium, disciplina disciplinarum, clavis philosophiae cunctis scientiis addiscendis suffragio universali praefanda? Cur ergo more pedissequae cogitur a neotericis philosophis ideologiae famulari? Verum qui adeo huiusmodi logicae posterioritatem ac ingentem iacturam deplorant ex iis profecto, inter quos eminent sensistae, sunt, qui ideas aut temere, aut inscite propellentes, ac divinam earum nescientes naturam, a logica, propter verae ideologiae deficientiam, primo philosophari coacti sunt, perinde atque logica, ideologia ipsi erepta, firma adhuc et incolumis superesset (1).

Quanto hi scioli errore laborant, quantaque dementia nemo sane non novit, qui vel primioribus labiis optimam philosophiam gustaverit. Plato, qui identidem logicam videtur ontologiae aequiparare, haud

(1) Peripatetici prae caeteris, logicam sine accuratis ac solidis ideologiae praenotionibus, etiam coluerunt, quia nullibi tot Aristotelis operum habetur theoria vel systema stricte ideologicum ab aliis doctrinis distinctum, cum mos fuerit Aristoteli ideas haud in seipsis, sed vel rebus, vel vocabulis adnexas contemplare, uti ae gerunt sensistae; ideoque aut numquam, aut raptim Aristoteles in regnum ideale suspexit, etsi discipulus fuerit Platonis tam lucida mentis acie mundum idearum speculantis, ut gloriam adeptus sit philosophi christiani inter gentiles.

tanti erroris hac in re incusandus foret, quanti sensistae eiusmodi, eo quia Plato eatenus logicam ontologiae aequavit, quatenus ideis aeternis eam ceu propriis cardinibus etiam insidere ac verti conspexit, quibus subtractis, nedum fatiscat, ast funditus corruat necesse est. Re quidem vera, cum logica eo necessario spectet, ut humanam cogitationem liberam et reflexam in veritatem dirigat, num hoc ipso non constat antequam logica aggrediatur tractatio, cognitionis naturam, atque originem fore recte praenoscendam, idque eo magis, quod regula cognitionis dirigendae, atque ipsa veritas, in quam mens iugi irruit conatu, aliud non sit quam idea, sicut ad evidentiam tenus in ideogonia probatum est, atque ipse nobis popellus confirmat? Nullum ergo damnum est logicae pertimescendum, quod ideologiae submittatur, quinimo ex praeeunte ideologia inconcussum fundamentum ipsi supponitur, cui insistens nullo impetu concuti amplius poterit. Vid. Proleg. Cap. VIII.

Id adeo clarum est, ut pervicacissimi, vel obtusissimi censeantur, qui nobis ideologiae primatum detrectant.

377.° Atque hinc logicae ab ideologia iam evidenter discrimen emergit. Etenim ideologia est = scientia de idea entis =, in quantum nimirum medium est intelligibile rebus cognoscendis; logica vero est = scientia de eadem idea entis utpote regula ac norma ipsius cognitionis, ne a vero in variis suis operationibus desciscat = (1). Quoniam autem scientia quaelibet cuiusdam principii organica evolutio vocatur, hinc sicuti ideologia ex recta et perspicua ideae entis atque omnium idearum ex idea entis generationis notitia componitur; ita similiter ex plena cognitione ideae entis ceu veritatis supremae, criteriique summi, necnon originis aliarum regularum inde deductarum, logica pariter conficitur.

II.

LOGICAE NATURA ATQUE ORIGO

378.° Logica, ut diximus, humanae cognitionis directioni praeficitur. Porro non cuivis cognitioni, aut rationis operationi moderandae facta est. Sunt enim quaedam potentiae cognoscitivae ita constitutae et directae, ut a veritate nullatenus abscedant, neque unquam fallantur. Huiusmodi naturae est intellectus purus, qui ideas tantum, nullo immixto iudicio intuetur, et ipsa ratio cum sensibilia percipit. Idcirco tam cognitio intuitiva idearum, quam perceptio intellectiva realium,

(1) « Sine hac arte (logica) quemvis arbitramur a vero abduci fallique posse » Cic. de fin. c. XXI. ad Brut. c. XLI.

ex quibus cognitio directa et spontanea efflorescit, sunt aeque erroris semper expertes, neque propterea regimini logicae subiacent, quin potius logicae criteria et regulas cogitationibus moderandis suppeditant. Nihilominus cum praeter hasce facultates cognoscitivas infallibiles, reflexio quoque supersit, cum innumeris aliis facultatibus ex ipsa manantibus, quae utpote voluntati magis, quam naturae subiectae interdum hallucinantur, nosque in errorem pertrahunt, ideo iis in verum ferendis logica inservit.

379.° Quamobrem logica, quam sumus tradituri, definiri congruenter potest = scientia artis bene reflectendi =, vel, = scientia reflexionis in verum promovendae =. Cum autem reflexio iudiciis ac ratiociniis exerceatur, nil obstat quominus logica iterum definiatur, = scientia recte iudicandi et ratiocinandi =. Hae sunt generales logicae definitiones, verbis non re mutuo discrepantes.

380.° Cave tamen summopere ne logicam pro psychologia, vel ideologia usurpes, eo quod in reflexione versari andieris. Nam in eo ab utraque discriminatur, quod exercitium, vel usum reflexionis ipsa consideret, non eius originem vel obiectum, quorum primum ad psychologiam, secundum ad ideologiam pertinet. Idem esto et circa ratiocinium, cuius actum idest ratiocinationem (il ragionamento) logica dumtaxat exponit. Ratiocinari autem dicimur, si ratione utimur: ast usus rationis in entis applicatione consistit quia ratio vocatur = facultas applicandi ens ideale vel ipsi enti, vel ideis cognitis, vel rebus percipiendis =. Ergo ratiocinari idem est quod applicare ens ideale. Ratiocinatio vero est = ordinatus mentalium operationum complexus in aliquem finem, puta, in demonstrationem veritatis cuiusdam spectantium =. Quae quidem demonstratio recte procedit, si entis applicationes, ut opus est, fiant.

381.° Praeterea aliud est scientia logica, aliud ars logica, uti ex logicae definitione compertum est, quae dicitur = scientia artis bene reflectendi =. Hac enim definitione apertissime ostenditur artem logicam praeire logicae qua scientiae. Quandoquidem non scientia, sed natura ducti homines rectum reflectendi modum in primis didicerunt, atque partim mentis acumine, partim experientia et consuetudine ita quidam in recte reflectendo et ratiocinando excelluerunt ut se artem seu habitum logicum adeptos fuisse ostenderent. Haec est logica naturalis (1), quae in omnibus hominibus plus minusve reperitur, eaque

(1) Ad logicam naturalem etiam spectat illa dispositio seu aptitudo mentis ad recte reflectendum, quae dispositio in facultatibus primitivis mentis sita est, quaeque propterea ars logica adhuc nequit nuncupari, sed praeparatio ad artem logicam. Quare tria sunt attente distinguenda, 1.° dispositio logica; 2.° ars logica; 3.° scientia logica. Prima sola natura acquiritur, secunda na-

etiam iuvenes scholis nondum assueti utuntur. Exinde porro factum est, ut quidam mente perspicaciores apprime et diligenter principia ac leges naturales artis reflectendi animadvertentes, in systema rite dispositum eas ordinaverint, seu id effecerint, quod logica philosophica aut scientifica appellatur, quae aliud non est, quam = systema principiorum et regularum, quibus ratio ad bene reflectendum, ratiocinandumque in quavis disciplina instruitur =. En quomodo caepit et invaluit scientia logica, in quam incumbimus. Caepit nimirum ex animadversione super artem logicam, cuius normis, principiis et regulis simul ordinate collectis, aliisque de industria inventis, scientia de arte logica confecta est, qua nostri instituuntur adolescentuli.

382.° Neque arduum nimis humanae naturae observatoribus fuit discernere an ratiocinia, quae examinanda susceperant, vera an falsa fuerint. Ipsis enim praesto erat idea entis, quae est criterium veritatis ratiociniorum, ex quibus ea vera sunt, quibus idea entis legitime applicatur, ea autem falsa, quibus legitima deest entis applicatio. Ex lumine rationis igitur cuique notissimo, vel ex idea entis id hauriebantur nedum quo recte ratiocinarentur, sed etiam quo cognoscerent verum an falsum ratiocinium factum fuerit. Veritas enim — testimonium perhibet de seipsa —.

383.° Haec de scientiae logicae natura et origine nobis necessario hic praefanda erant, eo quod nullibi sat clare haec discipulis cernimus explanata, indeque contigisse, ut alumni, logicae studio iam elapso, nesciant tamen originem et naturam logicae sive qua artis, sive qua scientiae (1). Ast, quaeso, quamdiu adolescentuli a vera scientia, cui tantopere ipsa impellente natura, ingenitaque curiositate, animique desiderio inhiant, prohibentur? Ingemiscit societas, tristatur religio, et iam universa fatiscit scientia theologica, propterea quod

tura experientia et exercitio; tertia studio et praeceptis logicalibus. Logica ex graeco nomine adiectivo — *rationalis* — derivatur, cui nomine substantivo — scientia vel ars — subintellecto, substantive etiam sumpta est.

(1) Inter dialecticam et logicam hoc interest, quod dialectica sit = scientia artis ratiocinandi vocabulis aliisque signis expressae =: logica autem = scientia artis ratiocinandi, nulla de vocabulis facta mentione =. Breviter, dialectica est, ipsa logica quatenus, verbis promitur et exercetur. Apud Aristotelem dialectica modo est — ars probabiliter in utramque partem disserendi —, modo pro, scientia usurpatur, quae in necessariis etiam versatur. Plato altius quam requirebatur dialecticam sustulit propter idearum excellentiam, quibus logica fundatur; ast ideae haud immediatum obiectum logicae, sed instrumentum et medium sunt: praestantia autem scientiae ex natura sui obiecti dependet, non ex mediis aut instrumentis. Quatenus autem logica veritatem vocabulis minime involutam, sed puram et formalem respicit, ideo meruit ab Aug. appellari — scientia veritatis — contr. Acc. III, 29.

iuvenibus spei optimae, et valentis ingenii vera philosophia crudeliter denegetur, atque magistrorum vel imperitia, vel nequitia innumeris interea imbuantur erroribus, vel saltem nugis nullius momenti, quae intellectum nascentem depravant, enervant et evirant.

III.

QUANTA SIT LOGICAE NECESSITAS DECLARATUR

384.° Si homo mente donaretur sagacissima et infallibili, ipsi opus sane non foret logica disciplina, qua in tantum ei utendum est, in quantum est capax erroris. Hunc autem saepe sane numero offendit, quia praeter intelligentiam et sensum animalem etiam facultatibus activis, seu libero arbitrio componitur, cuius pravitas, et ad malum, suasque passiones blandiendas inclinatio, in actus rationis multum influit, quos modo retrahit a vero, modo in falsum coniicit. Quamobrem si libero arbitrio refraenando ethica occurrit, ita rationis deviationibus et erroribus tollendis, aut impediendis, logica opitulatur. Hae binae scientiae ad hominem perficiendum concurrunt, ethica voluntatem in bonum, logica vero rationem in verum dirigens.

385.° Logicae necessitas eo maior est, quo in errorem lapsus facilior, uti in scientiis colendis contingit, quarum veritas et falsitas ex usu bonae aut malae logicae unice dependet. Quod videtur historia comprobatum. Scientiae enim semper penes illas nationes floruerunt, quibus maxima erat logicae cultura, atque aestimatio. Haec est ratio praecipua, cur scientiae uberius incrementum in occidente, quam in oriente obtinuerint. Ex Italis enim saeculo ante Christum natum quinto, primum opus dialecticum Zenonis (1) in Graeciam migrasse hystorica monumenta testantur. Graeca gens autem tanto opere ditata, ipsius studii tantum abfuit ut eam pigeret, quin potius ipsi se totam naviter dederit prosequendo, atque tantopere profecerit, ut in scientiarum magisterio palmam caeteris nationibus eripuerit. Nusquam siquidem tam frequentes, tamque celebres narrantur academiae, quales illae graecorum, quae Socrati, Platoni, Aristoteli coadunabantur.

386.° Ex eo autem quod occidentales omnium primi, ac cura impensiori dialecticae studuerint, intelligitur cur Evangelium persuasionibus et rationibus, non terrore, minis et armis violentiae invehendum, ex oriente Italiam statim petierit, mentesque sibi captivaverit, atque de fabulis ethnicorum ingentem retulerit triumphum (2). Ex

(1) Diog. Laërt. I, 18; VIII, 57 — Sext. Emp. adv. Math. VII, etc.

(2) Sub Augusto publice — organum Aristotelis — in urbe Roma exponebatur, dictantibus praesertim Nicolao e Damasco, et Xenarco Seleuciano.

qui Evangelii receptione quantum decoris et etiam subsidii logicae obvenerit nemo ignorat. In tanto enim barbarorum incursu et occursu, tantoque strepitu armorum et passionum in scientias sapientesque undique saevientium, logica neque incolumis perstitisset, neque a scepticismo, in quem deinceps philosophi profani inciderunt, se cavisset, nisi in arcem sanctuarii aufugiens, nedum tuta ibi remansisset, sed novis veritatibus aucta, ac mendis et erroribus quibusdam non fuisset purgata.

Huiusmodi logica firmioribus solidata principiis postmodum usi sunt ss. Patres in suis apologeticis, polemicis, et theologicis scriptis condendis, quibus nil est firmius, nil rationabilius, nil pulchrius (1). Atque hinc evenit, ut post bellorum caedes, barbarorumque discessum, scientiae iterum veluti extemplo reviviscerent, inter quas logica praesertim, quae rebus physicis primum, deinceps vero disciplinis metaphysicis et moralibus tradendis maximopere adiuvit.

387.° In id operis plurimum etiam contulerat dialectica vel organum Aristotelis, quod tam ex Hispania, quam ex Oriente Italiam delatum fuit. Verum equidem est dialecticam Aristotelis primum omnium gratulatione et plausu exceptam, et cultam fuisse, adeo ut nemo auderet eius doctrinis refragari; postea vero reiectam fuisse, atque ceu obstaculum scientiis, ac impietatis fontem derisam et execratam; ast si aequo animo eius, quae nobis sparsim monumenta pervenerunt, et ea potissimum, quae ad doctrinam syllogisticam referuntur, expenderentur, haud ut opus veritatum inops contemneretur, neque propterea dignum, quod cachinnis et vilipendiis impeteretur. Agitur enim de viro omnium graecorum perspicacissimo, qui ut ut tenebris paganismi obrutus, tantae nihilominus fuit solertiae et sagacitatis, ut etiam abditissimas naturae, et humanae cognitionis leges interdum introspiceret. Si quid autem in eius organo reprehendendum venit, id magis est 1.° quod formae magis quam materiae cogitationis insistat, atque non tam philosophis vera inquirentibus, quam vanis et loquacibus oratoribus formandis aptius censeatur, 2.° quod cogitationem fere semper aut formis subiectivis, aut vocabulis convolutam exhibeat, et raro nonnisi veritates, vel ideas puras, prout videlicet in seipsis, atque ad invicem existunt, obiective contempletur: cum contra officium praecipuum logicae in eo reponatur, ut veritates omnimoda subiectivitate enucleet, verborum pondere exoneret, et in propria obiectivitate et mutua relatione perscrutetur. Quae cum ipse omiserit, contigit ut eius logica plus grammaticae, quam philosophiae

(1) SS. Patres etsi in caeteris potius platonici, in dialectica contra ex familia fuerunt peripateticorum quorum mira ars syllogistica plurimum, in apologeticis scriptis edendis patribus profuit.

sapiat, atque garrulae disputationi magis, quam veri inquisitioni sit idonea, utpote verbis non ideis intenta; neque item in elevatis, speculativis et complicatis ratiociniis tanti valeat, quanti in palaestra cognitionis vulgaris et communis, cui dirigendae nobis videtur aptissima. Hisce accurate distinctis, poterit quisquam multa et praeclarissima ex organo Aristotelis excerpere, ac novis formis et vocabulis accommodare. Hoc pacto neque in verba magistri iuramus, neque ipsum aspernamur.

IV.

TRIPLEX LOGICAE GENUS DESCRIBITUR

388.° Inter praetiosissima nuperrimae philosophiae inventa recensetur distinctio cogitationis humanae in cogitationem communem, dialecticam, et absolutam, ex quibus etiam enascitur triplex genus logicae, quae ac cogitatio, in logicam communem, dialecticam, et absolutam similiter dividitur.

Cogitatio communis ea dicitur, quae imperfecte, et subiectivis quodammodo indumentis obvolutam veritatem apprehendens, plura inde magno cum labore et pedetentim corollaria deducit sibi invicem interdum apparenter adversa, quin possit, hisce apparentibus contradictionibus disiectis ea inter se, et cum ipsa veritate conciliare. Hae sunt uti aiunt, antinomiae vel contradictiones rationis, in quas etiam philosophi incurrunt propter partiales veritatis notiones.

Cogitatio dialectica in huiusmodi antinomias dissolvendas, aut conciliandas contendit. Quod ut consequatur principia et leges cogitationis communis investigandas assumit, eiusque obiecta expendit, quibus diligenter praestitutis, ad cogitationem absolutam pervenit. Philosophi germanici a Kant ad Hegel usque, etsi unum eorum studium et finis fuerit, scilicet cogitationem communem examinandi, numquam ad cognitionem absolutam pervenerunt, imo in turpissimum scepticismum dilapsi sunt, quippe qui in cognitionis analysi deficientes, apparentes antinomias rationis non depulerint, sed potius confirmaverint. Quocirca philosophia germanica nondum circulo dialectico egressa, interna adhuc pugna torquetur, cui pax quiesque tunc venient, cum sidus ideae entis in arce mentis rutilans aspiciet.

Cognitio absoluta ea dici solet, quae contradictionibus et antinomiis cognitionis expulsis, veritatem in proprio, pene dixerim, fundamento contemplatur, idest in unitate et universalitate supremi principii eam ita considerat, ut nullum amplius antinomiae periculum immineat. Eiusmodi autem cognitioni comparandae non sufficit notitia entis idealis, sed requiritur theoria entis sub tribus formis idealita-

tis realitatis, et moralitatis inspecti; proindeque nonnisi ex ontologia et theologia naturali haec est cognitio praestolanda. Iis enim in scientiis systema philosophicum undique completur, et quidem eo cum partium consensu, et harmonia, quibus mundus idealis, realis, et moralis potitur.

389.° Cum vero tres praefatae cognitionis species, speciales etiam expostulent regulas, quibus unaquaeque dirigatur, logica, pro harum regularum diversitate, trifariam quoque, ut diximus, dividitur. Nostri tamen instituti non est eas complecti, sed logicam communem tantum, quia cognitio dialectica et absoluta plurima requirunt, quae sola potest theosophia suppeditare.

390.° Quoad logicam communem animadvertimus eam dupliciter dividi, in generalem et in particularem. Prior est = scientia artis reflectendi in genere, seu circa quamlibet veritatem =; cui aut detegendae, aut demonstrandae, aut tradendae generalia praecepta iniungit. Posterior autem est = scientia artis reflectendi in specie =, vel circa aliquas determinatas veritates; et multiplex esse potest, puta, logica mathematicae, logica iurisprudentiae, logica physicae, logica ethicae, logica theologiae etc. Verum nostrorum studiorum ratio exigit, ut logicam communem generalem delibemus; agitur enim de iuvenibus informandis ad recte ratiocinandum iuxta supremum criterium veritatis a natura ipsis ingenitum. Id tantum observamus, logicas speciales aliud non esse nisi tot applicationes logicae generalis quibusdam cognitionis speciebus; sic logica mathesis est eadem logica generalis rebus mathematicis discutiendis adhibita: idem de aliis logicis dicendum.

V.

LOGICAE DIVISIO

391.° Logica priusquam tractetur, ita est in suas partes dividenda, ut neque plures, neque pauciores sint partes, quam ipsa in suo organismo eas complectitur. Quare quot formae numerantur, sub quibus reflexio manifestatur, vel agit, tot esse debent partes logicae, quae, ut praemonuimus, praeest directioni et regimini reflexionis. Porro cum reflexio primum in iudicia prosiliat deinceps vero in ratiocinia, atque in assensus, et quidem secundum aliquod criterium vel veritatem, atque methodum quamdam, quae ipsi lumen sint atque regula cognoscendorum; hinc logica, quae reflexionem in hisce operationibus debet comitari, plures quoque habet partes, quarum 1.ª de iudicio, 2.ª de ratiocinio vel syllogismo, 3.ª de assensu et persuasione, 4.ª de veritate et criterio cognitionis, ubi de supremo eius criterio, 5.ª de methodo erit.

392.° Quibus partibus sane non constat logica nonnullorum, qui vel scientiam iudicii, vel ratiocinii, vel veritatis inquirendae et demonstrandae eam nuncupant. Hisce enim definitionibus coguntur vel ad theticam vel ad syllogisticam, vel ad methodologiam totam ferme eam restringere (1). Neque id satis: sunt qui praevia carentes ideologia, in materiam cognitionis, vel in ideas videntur specialiter incumbere, forma logicae neglecta: sunt contra qui parum de materia solliciti, ad formam logicam, vel verbalem cognitionis unice attendunt. Nobis autem opus erit materiae et formae cognitionis simul prospicere, seu disserere de ideis quantum sufficit, itemque de variis modis et operationibus reflexionis non equidem in abstracto, sed in concreto, ut quod theoretice dicemus, factis et exemplis illucescat, atque unusquisque sciat an in suis reflexionibus recte progrediatur.

(1) Aristoteles, cui logica erat = scientia syllogismi = quanta praesertim ad logice materiam, hac deceptus definitione, spectantia ómiserit, notum est. Item de Galluppi dicatur, cui logica est = scientia ratiocinii =. Qui vero docent logicam esse scientiam = veritatis demonstrandae, inveniendae et tradendae = sine ulio adiuncto, eam ad methodologiam reducunt. Nostra autem definitio logicae = scientiae reflexionis recte in verum dirigendae = licet brevissima, omnia logicae officia et partes, atque essentiam evidenter complectitur. Ex ipsa enim iam constat logicam tam se se extendere, quam reflexio, quae cum in varius facultates atque actus dividatur, in omnibus semper vel praeeuntem, vel concomitantem, vel subsequentem habet logicam, quae ipsi modo dux est, modo magistra, modo ministra, modo vis atque impulsus, modo medicina, modo arx ac praesidium.

LOGICAE PARS PRIMA

DE IUDICIO

CAPUT PRIMUM

DE IUDICII ELEMENTIS

393.° Homo duplici ut est natura constitutus, intellectu nimirum et sensu animali, inde, quod iudiciis proferendis opus est, abunde haurit. Quatenus intellectivus ideam entis (primum elementum) intuetur, quae est primitivum et communissimum praedicatum iudiciorum. Utpote autem sensitivo — corporeus, materiam a sensibus accipit (alterum elementum), quam cum idea entis nectendo, iudicium primitivum de rerum subsistentia, omnium iudiciorum primissimum, atque ipsius rationis fundamentum, necnon primum gradum evolutionis vel motus mentis, sibi acquirit. Haec duo, scilicet forma obiectiva ex intellectu, et materia subiectiva et extrasubiectiva ex sensibus, sunt etiam, ut aiunt, bina postulata vel conditiones necessariae cognitioni ab actu primo in alios deducendae, ex quibus proinde tam in iudicando, quam in ratiocinando aeque est nobis discedendum, quorum aut unum, aut alterum si demas, cognitio impeditur; nam mens etsi lumine ideae entis irradiatur, si materia, cui idea entis applicanda et determinanda foret, ipsi deesset, potentiam quidem, vel actum primum cognitionis cuiusdam indeterminatae et inconsciae haberet, minime vero in actus secundarios cognitionis, vel in cognitiones determinatas mens difflueret, iudicium nullum, neque ullum unquam promeret ratiocinium; quo mentis sopore infantuli sensibus nondum usi, morantur.

394.° Post aliquod temporis, pluribus iam iudiciis primitivis adeptis, reflexio supervenit, iudicata seu percepta vel cum idea entis (synthesis) comparatura, vel in ea, quibus componuntur, elementa distributura (analysis), ut nova iudicia tam synthetica, quam analytica ordinis quidem excellentioris, conficiat, quibus ideae specificae et genericae gignuntur, atque etiam deinceps alia atque alia elementa fieri possunt iudiciorum reflexionis. Quibus in operationibus, in ideam

entis reflexio iugiter suspiciens, invenit, licet homo numquam id adverterit, in ipsa omnia elementa iudicii implicite contineri, quibus continue praeter conscientiam utimur; adeo ut idea entis nedum iudiciorum praedicatum, sed integrum iudicium implicitum praeseferat. Hinc triplex iudiciorum genus: 1.° iudicium idea entis convolutum; 2.° iudicium perceptionis intellectivae realium; 3.° iudicia reflexionis; de quibus seorsim logico edisserendum est.

ARTICULUS PRIMUS

IUDICIUM IN IDEA ENTIS ABSCONDITUM EXPLICATUR

395.° Ad nostrum institutum permagni equidem interest eiusmodi iudicium in latebris ideae entis, si ita loqui fas est, investigare, quo detecto, consequitur ideam entis nedum idearum, verum etiam iudiciorum principium fore; proindeque et ipsorum ratiociniorum, quae, uti omnes norunt, iudiciis constant: quibus fit, ut tam ideologiae, quam logicae idea entis ceu idea idearum, et veritas iudiciorum praemineat.

396.° Ens ideale ut ut simplicissimum, atque simplici quoque intuitione, idest sine ulla affirmatione vel negatione subiectiva, conspectum, duplici sub respectu potest considerari; 1.° vel prout ad mentem contemplantem refertur, seu prout intuetur; quo in casu verbo infinitivo — *esse* (essere) exprimitur: 2.° vel prout est aliquid in seipso absque ulla relatione ad mentem et verbo indicativo — *est* (è) enunciatur (1). Porro ens quoad mentem acceptum, vocatur obiectum, idest notis exhibitum; in se autem sumptum, actus vel subiectum, idest aliquid in se existens, licet subiectum, cuius actus est, vel in quo, ut sic dicam, radicatur et fit, nos adhuc lateat, et ideo intuitio incompleta et initialis, ob defectum visionis subiecti ideae entis, sit oportet. Quo sensu optime Gioberti — intuitum vagum esse — dixit.

(1) Hi duo respectus, sub quibus ens ideale accipimus, chimaerici profecto non sunt, imo fundantur in differentia inter verba et nomina. Verbum enim significat absolute actum existentiae, vel operationis rei: nomen e contra significat actum rei relative ad mentem, seu quatenus est apprehensibilis, vel apprehenditur. Nolim tamen dicas cum Gioberti, in prima intuitione Deum audiri se affirmantem — ego sum — vel mentem ipsum iudicium sibi repetere — ens est —; neque Deus enim, neque mens quidpiam profert, aut affirmat, sed elementa iudicii, reflexione postea proferendi, in idea entis praeexistunt. Ideo dicitur iudicium obiectivum vel possibile, scilicet suo tempore pronunciandum, non vero iudicium subiectivum et reale, quod actu ponitur.

Iamvero ens ideale sub duobus dictis respectibus perspectum, iudicium obiectivum vel possibile complectitur, quod, accedente reflexione, effatur hisce terminis — ens ideale est (1) — vel — esse ideale est ens —. Iudicium sane hoc est analyticum vel identicum, atque omnium iudiciorum origo. Adest enim 1.° subiectum, ens ideale; 2.° praedicatum, ens; 3.° copula, est. Implicitum ergo iam insidebat iudicium ideae entis, non quasi mens, ipsum ab sui origine intuens, iudicium eiusmodi statim protulerit, sed quatenus in idea entis praecontinebantur elementa iudicii, vel, uti dicunt, iudicium implicitum, obiectivum et possibile praeexistebat, quod explicitum et reale factum est reflexione interveniente, atque promente. Etenim nos utpote aetatis et mentis provectioris dicere quidem saepe possumus — *l' essere è* — neutiquam vero parvuli nostri potentiam super ens ideale reflectendi nondum assequuti.

397.° Neque id mirum cuique videatur, quia in qualibet alia idea respectiva iudicium implicitum etiam continetur; e. g. — anima humana est ens —; — arbor est ens —; — animal est ens — et ita porro. Quod invincibiliter ostendit 1.° ideam entis omnibus ideis inesse, ac quasi latere; 2.° singulis ideis elementa iudicii includi, vel eis formam virtualem iudicii insitam esse; 3.° tantam esse posse iudiciorum veritatem, quantam idearum, quibus continentur; 4.° eamdem esse idearum ac iudiciorum originem ex idea entis deductam, cuius primae applicationes sub forma iudicii statim manifestantur, atque iudicia primitiva, seu principia rationis, clarissima et immutabilia constituunt; cuiusmodi sunt profecto principia cognitionis, identitatis, contradictionis etc. Hoc est prae caeteris naviter animadvertendum, ut quam bene ideologia logicae aptetur, ac quam solidam logica in ideis basim habeat, iterum innotescat.

ARTICULUS SECUNDUS

DE IUDICIO PERCEPTIONIS INTELLECTIVAE

398.° Perceptio intellectiva = ea est rationis facultas, qua statim rebus sensibilibus sensu expertis cognoscendis utimur, eaque ideam entis, naturae nostrae impulsu realibus unientes, expresse vel tacite dicimus — ens aliquod existit —. Quod effatum verum esse iudicium nemo est qui ambigat. Primus ergo usus ideae entis intellectui adstantis est eiusdem ideae ad sensibilia applicatio (2). Cui applicationi

(1) Cum dico — ens ideale est, — ly *est* duo continet, copulam et praedicatum.

(2) Haec entis applicatio immanens vel transiens esse potest; utpote im-

faciendae opus sane nobis non est vel comparatione vel ratiocinio, uti quidam nos incusant, sed sensu tantum egemus, qui rationi sensibilia exhibeat. Mens enim iugiter intuetur ens in genere, seu non quatenus ipsum in aliquo subiecto cognito fit, aut determinatur, sed in forma infinitiva *esse* (essere), idest in quantum fieri et determinari intuetur, quin subiectum determinationis videatur; quod propterea intuitionem, uti diximus, imperfectam et initialem reddit. Hinc accepta impressione rei sensibilis, mens, quae, ut sic dicam, in cognitionis initialis complementum spectat, illico ait: — en iam actus, vel terminus, vel subiectum limitatum entis indeterminati, et illimitati, quod intuebar —; non quasi ipsa realitas rei sensibilis sit actuatio vel subiectum entis indeterminati, quod certe pantheismum oleret, sed quia ex ipsa applicatione entis indeterminati rei expertae ac cognitae, in eadem entis idea, ceu in genere maximo species quaedam, vel idea determinata et specialis quasi inscripta menti apparet, quae respectu ideae entis indeterminati actus determinatus est, vel terminus et subiectum ideale. Qua idea adepta, cognitio, quae respectu ideae entis, generica, incompleta, et initialis est, ut quae entis terminos non conspicit, respectu entis determinati iam completur; quod itidem de singulis sensibilium perceptionibus dicendum est, quia in forma ideali entis indeterminati continentur omnes formae determinatae et limitatae entium, ideoque mens in promptu semper est iisdem iudiciis efformandis, tum quia 1.° elementa iudicii (*esse, est*) semper contemplatur, 2.° tum quia lex ontologica est sive menti, sive aliis rebus, ut de statu potentiali ad actualem instinctive transeant. Adnotetis tamen hic volumus, mentem si praecellentis foret reflexionis posse ex ipsa rerum perceptione Dei notitiam statim educere. Si enim in singulis rerum perceptionibus videt, ens illimitatum intuitum sub datis formis determinatis entium fieri, aut realizzari, quin tamen eius interminabilis unquam exhauriatur faecunditas, poterit etiam mens suspicari, ens huiusmodi indeterminatum nedum limitate, sed etiam illimitate fieri aut esse posse; idest in infinito subiecto resolvi, aut infinitam realitatem habere. En possibilitas existentiae Dei ex rerum perceptionibus deducta, quae, superiore reflexione accedente, in absolutam realitatem illico convertitur. Deus quippe possibilis tantum in absurdis habetur.

399.° Eiusmodi porro confusa notitia divinitatis, non quidem intuitu quodam primigenio immediate, sed confuse et mediate, idest influxu ideae entis in primis rerum perceptionibus comprehensa in-

manens est continua perceptio corporis nostri, quae nobis naturam rationalem confert; uti transiens est successiva perceptio rerum externarum, quae exercitium naturae rationalis constituit, atque in fluxu est.

venitur, per quam luculentissime explicatur 1.° cur penes omnes populos etiam barbaros universalis obtinuerit consensus de Dei existentia; 2.° cur in eiusmodi notitiae interpretatione alii alia dilapsi fuerint, cum ex perceptionibus communibus eruatur quidem possibilitas cuiusdam divinitatis, sed modus eius existendi, nempe natura, nonnisi a reflexione invenitur, quae pro diversa propterea populorum cultura et moribus varia esse potest. Hinc parvuli populique vere sylvestres, perceptionibus magis quam altis reflexionibus subnixi, Deum ceu ens aliquod illimitatum quidem admittunt et credunt, cuius tamen naturae ignaros prorsus se produnt. Hinc itidem nobis facillima videtur ex visibilibus ad invisibilia ascensio, adeo ut quidam neo-platonici etiam ipsum Deum directe intueri sibi blanditi fuerint, quia ipsis rerum sensibilium perceptionibus, quibus nil nobis evidentius, ad Deum iam impellimur.

400.° Ratio autem cur ex eo quod ens limitate et finite fiat, aut subsistat, inferri statim item poterit — ergo etiam illimitate et infinite fieri, vel esse potest —, in eo videtur consistere, quod si ens non repugnat determinari in aliquo subiecto finito, atque sic exprimi — esse est — vel, — realiter hic sub data forma finita existit (1) —, quomodo repugnabit ipsum ens idealiter illimitatum, illimitate quoque esse vel realiter in subiecto infinito existere? Ergo ens ideale in semetipso iam formam realem primitivam, et sibi propriam, idest infinitam, trans velum, pene dixerim, iam nobis ostendit, vel saltem accuratius necessitatem formae realis infinitae manifestat.

401.° Itaque nobis summopere gratulandum est, quod tantum iudicium, ceu verum atque inconcussum sive cosmologiae, sive theologiae naturalis fundamentum, infallibile plane sit, atque evidentissimum, ideoque logico non indigere sive ut emendetur, sive ut validius fulciatur. Est enim oraculum naturae rationalis, cuius responsa, mira entis theoria edocti, intelligunt sine haesitatione.

(1) Formula iudicii in perceptionibus prolati — ens est — non est inanis repetitio; quia subiectum *esse* respicit ens in forma ideali; praedicatum vero *est* ens pariter denotat, ast in forma reali. Differentia ergo adest, et quidem categorica, quemadmodum categorice forma idealis a forma reali entis distinguitur. Porro *est* significat interdum etiam formam idealem, uti supra in iudicio intuitionis primitivae diximus, ideoque aequivocum est. Verum, etiam hoc in casu iudicium non est repetitio, quia *esse*, ens prout videtur fieri, *est* contra prout fit, innuit: idcirco inter utrumque viget discrimen, non in forma quidem categorica, sed in diverso concipiendi modo.

ARTICULUS TERTIUS

DE IUDICIIS OPERA REFLEXIONIS CONFECTIS

402.° Reflexio super ens ideale sese intorquens, praeter indicium possibile vel obiectivum intuitionis primitivae supra memoratum, potest alia quam plura iudicia conficere, puta 1.° principium cognitionis — obiectum mentis est ens —; 2.° principium identitatis — quod est, est —; 3.° principium contradictionis, substantiae, causalitatis etc. omnibus nota. Haec tot sunt iudicia suprema reflexione comparata. Principium cognitionis optime etiam-principium entis-dixeris, principium vero identitatis, — principium ordinis entis —.

403.° Adversus principium, vel iudicium identitatis quidam observant (1), ipsi debitam inter subiectum et praedicatum differentiam deesse. Ast immerito. In hoc enim iudicio quadruplex esse potest discrimen: 1.° discrimen ex diverso concipiendi modo, et identitas in entis forma, — esse est —; *esse* significat ens respectu mentis, *est* autem idem ens in se; 2.° discrimen ex diversitate formae categoricae, et identitas in ente; — quod est, est —; primum *est*, ens ideale, secundum, ens reale, ast semper idem ens, indicat; 3.° discrimen ex diverso modo entis concepti, et identitas eiusdem; — quod est, est —; prius ens implicite, posterius ens explicite, innuit; 4.° discrimen ex diversitate reflexionis, et identitas ex parte entis cum non — ente collati; — quod est, est — seu, — nequit non esse —.

Ex quibus patet discrimen, atque etiam identitatem quamdam in principio identitatis adesse. Diximus identitatem quamdam, idest partialem, non totalem, alias iudicium impossibile foret.

404.° Iudicia autem, quae instar principii identitatis in ente ideali tantum versantur, dicuntur indicia primi ordinis, vel iudicia visionis. Iudicia, quae, uti principium contradictionis, etiam non-ens complectuntur, iudicia secundi ordinis nominantur, seu iudicia confirmationis. Demum iudicia, quae ens reale etiam attingunt, iudicia tertii ordinis vel augmenti appellantur, quia formae ideali entis formam addunt realem.

(1) P. Liberatore inst. logic. et metaph. ed. Med. 1846, ait. » eiusmodi propositio (quod est, est) *tautologica* prorsus est, utpote cum attributum habeat quod non modo idem exprimit ac subiectum, sed eadem prorsus ratione et respectu. Hanc plane ineptam censuram ne vel minimum quidem moramur, cum et ipsa faemella, vix hoc principio prolato, — quod est, est —, levis illico discrimen aliquod inter subiectum et praedicatum praesentiscat. Adeo levis analysis est censitor noster!

405.° Quoad principium contradictionis praestat sedulo animadvertere, pluribus formis enuntiari posse, atque quaedam alia principia magni quidem momenti gignere. Et quidem 1.° gignit principium thesis — quod enti repugnat, reiiciendum est —; 2.° principium antithesis — ex duobus contradictoriis unum solum enti convenit —, 3.° principium medii exclusi — inter duo contradictoria nullum patet medium —; 4.° principium synthesis — ex duobus contradictoriis cur unum enti conveniat, alterum enti repugnet, praebenda est ratio sufficiens —. En genealogia quorumdam primorum principiorum, quorum usus frequentissimus est, atque simul eorum veritas, et certitudo ex principio contradictionis item dimanans, quod ultimo ex idea entis profluit.

406.° Neque hic reflexio in iudiciis maximae utilitatis acquirendis adhuc sistit. Quo magis ideas invicem confert, atque earum necessarias relationes apprehendit, nova edit iudicia principiorum nomine donata. Enimvero ex comparatione ideae effectus cum idea causae, atque ideae accidentis cum idea substantiae, principia efformat 1.° causalitatis et substantiae — effectus causam expostulat —, — accidens eget substantia —; 2.° eodem pacto sibi ipsa procreat principium subiecti — ens minime subiectivum appellat ad ens subiectivum —; 3.° principium personae — ens carens personalitate arguit ens personale —; 4.° principium absoluti — ens relativum sine absoluto corruit —. **Quibus principiis tam perspicuis, tamque evidentibus ceu fundamentis firmissimis ontologia et theòlogia naturalis insistunt; atque ex ipsis suum robur quaevis demonstratio desumit. Aliquid enim demonstrare aliud amplius haud erit, quam id hisce principiis implicitum ostendere. En quantam et quam praeclaram inter philosophiae partes harmoniam et concentum, inventa semel et clare perspecta eius unitate potentissima, seu idea entis adeo quampluribus exosa.**

CAPUT SECUNDUM

REGULAE PRAESCRIBUNTUR VERITATI A FALSITATE IUDICIORUM INTERNOSCENDAE

407.° Regulae, quae ad discernendum inter veritatem et falsitatem iudiciorum praescribuntur aut ipsum subiectum iudicans, idest hominem, aut ipsum iudicium spectant. Priores subiectivae vocantur, atque ferme ad moralem animi dispositionem, idest ad animi pacem, candorem prudentiam reducuntur; virtus enim ad veritatem viam sternit. Posteriores contra obiectivae sunt, ac singulis iudicii elementis aptantur. Harum autem suprema regula haec est — iudicium tunc verum aestimatur, cum inter eius subiectum et praedicatum debita, ut par est intercedit identitas —. Quae quidem identitas an locum

habeat, vel non, id sciri nequit, quin prius elementa iudicii, idest praedicatum, subiectum et copula ad examen revocentur, quibus rite perpensis respectivae affigendae sunt regulae pro variis identitatis speciebus. Quapropter nostri muneris nunc est, distinctis articulis elementa iudicii necnon eorum relationes identitatis seorsim prosequi.

ARTICULUS PRIMUS

DE RELATIONIBUS PRAEDICATI AD SUBIECTUM SEU DE PRAEDICAMENTIS (1)

408.° Praedicatum tot modis potest alicui subiecto convenire, aut referri, quot inter utrumque possunt species identitatis interesse.

409.° Identitas autem huiusmodi duplex in primis est; 1.° perfecta, 2.° imperfecta. Prior praedicatum subiecto ita exclusive et proprie convenire declarat, ut ipsum subiectum omnino peraequet, uti videre est in iudiciis absolute analyticis, cuiusmodi sunt iudicia visionis et confirmationis, necnon propositiones, quae exacte continent definitionem alicuius rei: bisce enim in iudiciis praedicatum — solum et totum — exprimit subiectum (2). Posterior autem aliter se habet; non enim inter subiectum et praedicatum perfectam aequationem exhibet sic ut alteri subiecto nequeat praedicatum competere, cuiusmodi sunt iudicia synthetica, puta iudicia augmenti, de quibus supra. Haec porro identitas imperfecta respectu formae subiecti triplex invenitur, 1.° antecedens, 2.° concomitans, 3.° subsequens.

410.° Identitas imperfecta antecedens formam subiecti habetur cum de subiecto aliquid praedicatur, quod in ordine idearum, vel in mente, subiectum antecedit, neque ei exclusive refertur, ac si dicerem — homo est possibilis —, — homo est contingens —, vel, — existit —, vel, — est creatus —. In his iudiciis possibilitas, contingentia, existentia, causa creatrix tot sunt praedicata, quae in mente subiectum antecedunt, atque nedum homini, sed omnibus rebus tribuuntur; ideoque identitas est 1.° antecedens, 2.° imperfecta. Quocirca idea entis, utpote omnibus ideis prior, huiusmodi identitatem antecedentem non admittit.

(1) Praedicamenta apud veteres philosophos quaedam potius erant praedicata, vel attributa universalissima, quam variae praedicatorum relationes identitatis ad subiectum; quo in sensu fore intelligenda ducimus.

(2) Praedicatum unitur semper subiecto simul vel totaliter accepto, non in partes diviso, ac si quod verum est de toto, verum etiam sit de partibus singulis. Sic rationalitas adscribitur toti homini, non eius partibus, none eius sensitivitati animali.

411.° Identitas imperfecta concomitans formam subiecti occurrit, cum elementum quidem primum eius essentiae, ast caeteris etiam eiusdem speciei individuis commune, subiecto adnectimus, ex. gr. — leo est animal —: subiectum huius iudicii totum sane hoc praedicato non exprimitur, quia omittitur eius realitas, quae extra ideam genericam animalis est, atque non ideis, sed sensu determinatur. Contra in hoc iudicio — leo est animal illo in specu cubans ac rugiens — identitas praedicati cum subiecto est perfecta, quia nedum species aut genus leonis exprimitur, verum etiam eius determinata realitas individua sibi non aliis propria, qua iudicium evadit analyticum. Haec autem identitas dicitur etiam concomitans, quia animalitas, etsi elementum commune et genericum sit, in idea leonis ceu pars prima essentiae ipsius concipitur, ideoque idea animalitatis comitatur ideam leonis.

Alia huius generis identitatis imperfectae concomitantis exempla nobis suppeditant relationes quaedam essentiales tum reales, ut illae, quae inter ens principium et ens terminum existunt, quam dialecticae vel logicae, cuiusmodi inter ideas correlativas conspiciuntur; quibus fit, ut idea entis *termini* idea entis *principii* contineatur, et vicissim; atque idea partis ideam totius, et e converso pariter ingrediatur.

412.° Identitas imperfecta, formam subiecti subsequens, se prodit 1.° dum praedicatum subiecto uniendum est pars quaedam integralis essentiae eiusdem subiecti, non tamen pars prima aut suprema — homo sensitivitate corporeo-animali donatur —; in homine enim pars suprema eius essentiae, rationalitas non sensitivitas est, quae formam hominis quodammodo subsequi videtur. 2.° dum praedicatum innuit de subiecto partem aliquam integralem, aut materialem, aut formalem ipsius: — homo oculis et brachiis ornatur —; oculi siquidem et brachia sunt etiam partes consequentes essentiam hominis, quibus etiam orbatus, tamen essentia non expoliatur. Idipsum de aliis rebus in partes divisibiles dicatur, quae parte aliqua possunt sine essentiae detrimento carere. 3.° dum praedicatum indicat aliquid proprium enti, ut visus quoad hominem: — Petrus videt —. Proprium a parte integrali in eo differt, quod illud essentiae specificae, ista essentiae genericae hominis congruit: sic visus homini tantum, pes non homini solum, sed et belluis tribuitur, quia essentiam genericam hominis respicit. 4.° dum praedicatum continet accidens specificum subiecti, uti figura quaedam respectu corporis: — hic lapis figuram habet trianguli —. Sin autem accidens fuerit genericum, v. g. — hic lapis aliquam figuram habeat oportet —, tunc iudicium ad identitatem imperfectam concomitantem reducitur, quia essentialis est relatio inter lapidem et aliquam figuram, qua profecto nequit omnimode orbari. 5.° dum praedicatum respectu subiecti exhibet relationem accidentalem

realem, uti amor, odium, scientia, quae homini esse et abesse possunt. Idipsum de omnibus virtutibus subintelligitur.

413.° Haec quae de variis identitatis speciebus praedicati cum subiecto expositio facta est, vocatur classificatio dialectica (1) praedicamentorum, vel classificatio omnium relationum, quas praedicatum erga subiectum potest praeseferre; ideoque non tam ipsa praedicata, quam variae qualitates relativae praedicati fuerunt hactenus distinctae, etsi aliquatenus ipsa praedicata etiam intelligi possint. Quibus modo simul collectis, decem praedicamenta, vel decem relationes attributorum modo habebimus, quas quasi in tabula praestat hic referre. Praedicatum potest respectu formae subiecti habere 1.° relationem identitatis perfectae, vel aequipollentiae; 2.° relationem identitatis imperfectae in ideali prioritate; 3.° in conditione vel in causa; 4.° in primo elemento essentiae; 5.° in respectu essentiali reali, vel logico; 6.° in parte essentiali; 7.° in parte essentiam subiecti consequente; 8.° in proprio essentiae subiecti; 9.° in elemento accidentali; 10.° in relatione reali accidentali. Haec ergo decem sunt praedicamenta, quae relationes identitatis praedicati ad subiectum comprehendunt (2).

ARTICULUS SECUNDUS

IN SEPTEM PRAEDICABILIA, ATQUE CATEGORIAS DECEM

414.° Multum et quidem acriter fuit olim supra praedicabilibus, categoriis, atque praedicamentis inter peripateticos aliosque disputatum. Nobis ex hinc inde dictis, simulque collatis, horum vocabulorum sensus eiusmodi esse videtur. Praedicabilia, quae penes Aristotelem et Porphyrium quinque tantum leguntur, totidem ideas significant, quae extensionem et comprehensionem idealem attributorum determinant, atque huiusmodi sunt 1.° genus, 2.° species, 3.° differentia, 4.° proprium, 5.° accidens. Iis enim utimur ad cognoscendum an attributum iudicii cuiusdam ad genus, vel ad speciem etc. pertineat; ideo an plus, an minus habeat idealis extensionis et compre-

(1) Dialectica inquam, non ontologica, quia praedicatum uti praedicatum est ens mentale vel dialecticum.

(2) Iisdem modis subiectum, ac praedicatum, dividi potest, habita scilicet ratione ad diversas eius relationes cum praedicato; quia subiectum unitur etiam praedicato secundum aliquam prioritatem, concomitantiam et posterioritatem, quibus tota praedicamentorum classificatio fundatur, cum ea tamen exceptione quod ordine praepostero quandoque subiectum sit collocandum, v. g. si praedicatum est antecedens, subiectum est subsequens; si illud subsequens, subiectum antecedens erit, et ita porro.

hensionis. Quare veteres scholastici, maxime graeci, praedicabilia consueverunt quinque simplices voces, idest denominationes vel epitheta praedicatorum vocare; nos autem satius praedicabilia ideologica appellamus.

Categoriae autem decem, res praedicandae, vel ipsa praedicata audiunt, eaeque sunt 1.° substantia, 2.° quantitas, 3.° qualitas, 4.° relatio, 5.° actio, 6.° passio, 7.° ubi, 8.° quando, 9.° situs, 10.° habitus. Hinc praedicabilia dicuntur praedicata categoriarum, vel praedicata praedicatorum seu attributorum. Quapropter haec nonnisi diverso ordine reflexionis invicem distinguuntur. Praedicabilia enim innituntur sublimiori classificatione praedicatorum secundum genus, species etc. et ideo quinque dumtaxat sunt, quia quo altius reflexio extollitur, magis generalizzat, idest cognitiones speciales paucis unificat generibus, ut quae ad unitatem radicalem cognitionis propius accedit. Categoriae vero perhibent inferiorem praedicatorum classificationem in substantiam, quantitatem etc. (1).

Praedicamenta demum tot sunt, ut diximus, relationes identitatis praedicati cum subiecto, atque decem ac categoriae etiam numerantur. Id autem inter categorias et praedicamenta intercedit, quod praedicamenta sint, classificatio dialectica attributorum, prout attributa sunt, idest subiecta relativa; et ideo dialectica vel logica dicitur. Categoriae contra sunt, classificatio ideologica vel absoluta rerum, aut idearum in se, idest absque relatione ad subiectum, inspectarum. Brevius, praedicamentis colligendis adhibemus classificationem dialecticam seu relativam; categoriis autem classificationem absolutam, vel ideologicam, vel ontologicam. Quod et de praedicabilium classificatione intelligendum est, quae aeque absoluta est, seu a subiecti notione independens.

415.° Hisce praemissis, primo de praedicabilibus peripateticis agentes, advertimus 1.° ea plus quam quinque esse, atque praeter supra memorata superesse ideam entis, quae est genus ultimum et maximae extensionis, necnon realitatem individualem maximae comprehensionis; 2.° classificationem aristotelicam praedicabilium extensionem magis, quam comprehensionem idealem respicere; quos binos defectus ut corrigamus, aliam perfectiorem classificationem secundum extensionem et comprehensionem duobus paragraphis subiungemus.

(1) Classificatio categorica Aristotelis imperfecta quodammodo videtur ut quae ens reale, et modalitatem non contineat, quae caeteroquin notionibus substantiae et quantitatis, qua par est, claritate non declarantur. Idipsum de spatio, ac de tempore dictum sit, quae subobscure indicantur.

§. 1. *Praedicabilia ideologica secundum extensionem*.

416.° 1.° essentia entis idealis universalissima et comunissima; 2.° essentia generica, genus; 3.° essentia specifica, species.

§. 2. *Praedicabilia ideologica secundum comprehensionem*.

417.° 1.° Differentia specifica; 2.° proprium seu individuale; 3.° accidens; 4.° realitas. En septem praedicabilia enumerata.

COROLLARIUM

418.° Hoc igitur inter praedicamenta et praedicabilia intercedit 1.° quod praedicamenta diversas relationes identitatis praedicatum inter et subiectum attingunt; praedicabilia autem relationem extensionis et comprehensionis idearum ad invicem qua ideas tantum, idest sine respectu ad subiectum. Hinc praedicamentorum classificatio est dialectica, idest relativa, praedicabilium contra ideologica, vel absoluta; 2.° quod eadem praedicamenta aut antecedentia, aut concomitantia, aut subsequentia sint; contra eadem praedicabilia, excepta idea entis, seu primo praedicabili quod subsequens esse nequit, modo antecedentia, modo concomitantia, modo subsequentia esse possint, uti praedicabile speciei, quod respectu individui est antecedens, respectu generis est subsequens.

CAPUT TERTIUM

DE IUDICII SUBIECTO

419.° Cum iam fusius aliquanto quae ad praedicatum iudicii pertinent hactenus in praedicamentis, praedicabilibus, et categòriis exposuerimus, operae nunc pretium est ad subiectum iudicii accedere.

ARTICULUS UNICUS

SUBIECTORUM CLASSIFICATIO

420.° Subiecta iudicii, ac praedicata eiusdem, triplici possunt etiam classificatione distribui; classificatione nempe dialectica, ontologica, et ideologica; omnia enim cognoscibilia hisce classificationibus subiacent.

Classificatio dialectica subiectorum fit secundum eorum relationem identitatis perfectae, vel imperfectae, antecedentis, concomitantis, et subseqnentis formam praedicati, quocum uniuntur. Ex qua classificatione dialectica decem quoque praedicamenta subiectorum emergunt, praedicamentis attributorum similia.

Classificatio ontologica subiectorum fundatur in eorum natura, quae vel realis, vel dialectica seu suppositítia, vel moralis esse potest. Quamobrem subiecta ontologice dividuntur 1.° in subiecta realia; 2.° in subiecta dialectica, quae vel mentalia (fictiones mentis, uti idea nihili, impossibilitatis, et quae partem aliquam rei exhibent) vel idealia (ideae specificae, genericae, aliaeque, quae totnm, etsi non totaliter obiectum perhibent); 3.° atque demum in subiecta moralia. Eiusmodi classificatio potest quadantenus appellari — categoria subiectorum —.

Classificatio ideologica subiectorum respondet reciprocae extensioni et comprehensioni ideali eorumdem inter se, quiu scilicet praedicatis conferantur, atque id relate ad subiectum constituit, quod nomine praedicabilium usurpatum fuit, sicque habentur — praedicabilia subiectornm —.

421.° Quoad subiectum vacat ulterius perpendere, fere semper ipsum in praedicatum converti; cui tamen conversioni, vel substitutioni snscipiendae duo saltem snbiecta haud semper accommodantur, sed snb quibusdam tantum conditionibus. Haec autem snbiecta interdum incommutabilia sunt 1.° individuum reale; 2.° relatio subiecto iudicii prorsus extranea. Individuum reale enim ex subiecto tunc poterit in praedicatum mutari 1.° si subiectum adamussim praedicatum adaequet, uti evenit in iudiciis analyticis; 2.° si loco subiecti in praedicatum conversi antecedens ideale, prout secundum praedicamentum iubet, surrogetnr, ac si dixerim — existentia (antecedens) hoc in lapide habetur —; 3.° si subiectum in praedicatnm negativum mutetur — lepus non est canis —.

422.° Relatio subiecto iudicii non adhaerens non potest in iudicio praedicati logici locum tenere, nisi prius aliud ipsi snbstituatur subiectum, cui ipsa revera insideat ex. gr. — Neapolis centum et amplius milliaribus ab Urbe Roma distat —. Hoc iudicium rectum non est, quia distantia non habet relationem veri praedicati cum civitate Neapolis, quae in loco determinato, consistit, neque in se ullam ostendit distantiam; nihil enim a semetipso distare dicitur. Verum autem iudicium hoc erit — distantia inter Neapolim et Romam plus quam centum milliariorum computatur —. Ast distantia hic pro subiecto ponitur, et centum milliaria pro praedicato, quia centum milliaria ceu partes spatii in distantia ceu in subiecto proprio resident. Atque iam de subiecto satis.

CAPUT QUARTUM

DE COPULA IUDICII

423.° Copula iudicii verbo *est* aut *non est*, aut aliis aequivalentibus expressa, nexum logicum positivum vel negativum indicat subiectum inter atque praedicatum interiectum. Ast quoniam mutuus subiecti et praedicati nexus id est quod proprie essentiam formalem iudicii constituit, idcirco copula merito *forma*, vel ut ait Cicero, conceptio iudicii dicta fuit: subiectum autem et predicatum, *materia* eiusdem. Praeterea verbum *est* vel in ipsa entis idea praeexistere superius iam probavimus; ergo forma essentialis cuiuslibet iudicii nobis cum idea entis iamdudum fuit item virtualiter ingenita; atque similiter mens nostra vel ex sua origine et natura nedum quo intueatur, seu rerum intelligibilitate fruitur, verum etiam quo iudicet id est forma virtuali iudicandi instruitur. Atque hinc rursus confirmatur — cogitare id esse quod iudicare —. Qua sententia evidentissima totum problema de origine et natura cognitionis humanae directe solvitur, atque itidem erroris redarguuntur nunc quidam philosophi nullo numero qui, sensistis morem gerentes, simplicem rei apprehensionem iudicio praeponunt; interea dum neque quid apprehensio neque quid iudicium sit, numquam intellexerunt, nec sperare iuvat fore ut aliquando intelligant.

424.° De copula ergo seu de iudicii forma loquuturi eam sive qua affirmativam sive qua negativam spectabimus. Utpote affirmativa novem potest modis enuntiari, ex quibus novem, ut aiunt, oriuntur iudicia copulativa, quae omnes possibiles formas repraesentant; quatenus autem negativa trifaria est atque tria iudicia disiunctiva generat.

ARTICULUS PRIMUS

SUPER NOVEM COPULATIVIS

425.° Simplex ac propria copula iudicii affirmativa, monosyllabo *est* necessario semperque exprimitur. Verum, cum crebro mera existentia vel indeterminata, vel determinata materia non sit iudicii, sed ut plurimum modus vel actus vel qualitas entis cuiusdam; inde, propter istas entium iudicandorum determinationes et actiones, consequitur, copulam iudicii haud amplius fore sola verbo substantivo *esse*, ast aliis etiam verbis activis vel passivis componendam ut, praeter rerum existentiam valeat earum quoque modos et actiones declarare; quibus profecto enunciandis verba aptissima sunt utpote in hunc

finem directe excogitata (1). Verba enim unico vocabulo aeque rei existentiam ac eius modum vel actum determinant; idcirco verbum substantivum *esse* includunt.

426.° Eiusdemodi autem copulae novem sunt: 1.° Esse, 2.° Habere, 3.° Haberi, 4.° Facere, eiusque oppositum, destruere, 5.° Fieri, atque eius contrarium, destrui, 6.° Recipere, 7.° Recipi, 8.° Passionem inferre, 9.° Pati. His verbis caetera continentur virtualiter.

427.° Hoc autem inter verbum esse, et verbum habere intercedit, quod 1.° illud unitatem et identitatem, istud pluralitatem et distinctionem rei habitae ab habente significet; 2.° atque item, primum tam actum primitivum entis, quam eius actus secundarios, secundum vero solos innuat actus secundarios. Quae discrimina intelligenda sunt pariter de verbis facere, fieri, passionem inferre, et pati ad verbum *esse* referendis; atque item de verbis haberi, recipere, et recipi quae ad verbum *habere* reduci res est cuique exploratissima (2).

428.° Nihilominus verbum possessivum *habere* tantae est extensionis, quantae verbum *esse*, adeo ut etiam cum pura existentia praedicatur uti — ens est —, fas sit ipsi exprimendae verbum habere accipere; — ens habet existentiam —. Attamen in hoc iudicio, — ens est —, non intervenit, subiectum reale sed dialecticum tantum, idest a mente ope abstractionis confictum. *Ens* quippe non est aliud distinctum ab *est*, quin idem prorsus, atque ex ipso *est* abstractum ceu praedicatum ipsi deinde iterum affigendum. Cuiusmodi est etiam hoc iudicium — homo habet animam —. Hic sumitur homo, ut ens solum cui elargitur anima, etsi anima iam sit homini essentialis. Iudicium pariter dialecticum evadit si eius subiectum haud realem sed mentalem solum habeat unitatem; ex: g. — corpus est extensum —. Ly *corpus* non est in se unum sed ceu unum fingitur estque propterea subiectum dialecticum. Quod est sedulo discernendum ut forma verbalis ab intrinseca veritate iudicii distinguatur; itemque subiectum dialecticum a subiecto reali secernatur.

(1) Il verbo *sum* latino, ed i verbi *essere ed esistere* italiani, significano semplicemente esistenza assoluta; cioè sciolta da qualunque modificazione; gli altri verbi tutti significano oltre l'esistenza anche il modo di esistere. Girolamo Carloni, Lezioni di Grammatica Latina.

(2) Verba facere et pati non respondent verbo habere, 1.° quia potest aliquid haberi quin qui habet minimum patiatur vel agat: huiusmodi est mens quae ideas recipit absque eo quod in eas agat, aut in semetipsa quidquam patiatur. Ideo verbum recipere sub verbo habere ponitur. Atque ipsa mens neque potentia activa, neque passiva, sed receptiva dicitur. 2.° Etiam quia evolutionem actus primitivae existentiae rei denotant, vel actionem entis, ac proinde haec verba iure *esse* subordinantur.

ARTICULUS SECUNDUS

DE SEX MODIS COPULAE SUBIECTORUM REALIUM VERBO HABERE EXPRIMENDAE

429.° Verbum possessivum *habere* pro copula subiectorum realium acceptum, sex modis licet intelligi pro sex videlicet possessionis speciebus quibus subiectum reale potest praedicatum possidere. 1.° Potest intelligi de possessione essentiali, si nempe praedicatum subiecti essentiam constituit, atque in subiectum totaliter quadrat: — homo habet rationalitatem —. Huc etiam reducuntur relationes essentiales, vel synthesismus naturae, pone, inter principium sensitivum et sensibile, sive, inter intellectum et ens ideale, quorum unum in altero ita incidet, ut invicem segregatis, primo casu, animal, secundo, intelligentia evanescat.

2.° Potest intelligi de possessione formali obiectiva, quo modo homo habet scientiam, quae est forma obiectiva intellectus, non quidem intellectum procreans sed perficiens; eadem ratione homo vitia et virtutes possidet.

3.° Potest intelligi de possessione naturali, quae in entibus complexae naturae invenitur, ut in homine cuius pars nobilior, idest intellectus dicitur — habere corpus — non e converso.

4.° Potest intelligi de possessione potentiali in ordine praesertim potentiarum sita, quarum quae in alias dominatur, puta, libera voluntas hominis, quae sub se, habet ac regit coeteras potentias. Hanc possessionem statim amittimus vix dum voluntas sive passionibus, sive personis, sive rebus externis mancipatur.

5.° Potest intelligi de passione proprietatis, ut ea est quae dominium in personas atque in res proprietatem confert.

6.° Potest tandem intelligi de possessione potestativa, qua potiuntur personae vel res fortiores, quae vi propria sibi alios aut alia submittunt.

ARTICULUS TERTIUS

DE COPULA NEGATIVA, ATQUE DE EIUS TRIPLICI DISIUNCTIONE DIALECTICA

430.° Copula negativa eripit subiecto quod ipsi affirmatione attribueretur. Hinc quae de copula affirmativa seu de verbis *esse et habere* eorumque derivatis praebuimus, copulae negativae applicanda sunt.

431.° Negatio bifaria est implicita et explicita. Prior iudiciis etiam affirmativis subauditur, quia cum subiecto aliquod convenire decernimus praedicatum, a subiecto implicite quod eius praedicato repugnat removemus (1).

Posterior ea est, quae particula — non — explicite enuntiatur, atque iudicia reddit negativa. De hac potissimum agere nostra solius hic maxime refert.

432.° Verum eiusmodi negatio explicita vel in forma propria vel in forma impropria invenitur. Negatio explicita in forma propria habetur cum particula — non — copulae — est — vel alio verbo aequivalenti, unitur.

Negatio explicita in forma impropria obtinetur si ea aut subiecto, aut praedicato praefigatur. Exemplum negationis propriae habes in hoc iudicio — homo non est omnimode sapientissimus —; exemplum autem negationis impropriae in hisce duobus iudiciis est — nullus homo est omnimode sapientissimus — omnis homo est omnimode non sapientissimus —. Haec tria exempla designant triplicem distinctionem dialecticam copulae negativae, nempe ostendunt iudicium negativum tribus modis dialecticis, vel mentalibus concipi, disponi et proferri.

433.° Qua in re tamen est sedulo perpendendum idem iudicium negativum posse equidem tribus modis confici, seu negationem tam subiecto, quam praedicato et copulae praefixam gerere, dummodo sermo sit de iudiciis aequipollentibus, et convertibilibus, quae profecto ob negationis translationem non mutantur, uti videre est in exemplis allatis. Contra autem erit, si sensus iudicii propter eiusmodi translationem immutetur, uti evenit in iudiciis, quorum subiectum est quaedam aggregatio, vel collectio completa plurium; si enim eorum praedicatis negatio praemitteretur, iudicium ex vero falsificaretur, ex. gr. omnes homines non sunt philosophi — non, omnes homines sunt philosophi —, omnes homines sunt non philosophi —. Duo priora iudicia idem significant, atque vera sunt; ultimum contra falsum, quia inde consequeretur ex hominibus nullum philosophum dari, quod oppido falsissimum est. Nam in iudicio negativo huius generis (est autem negativum sive negatio in copulam, sive in subiectum cadat) negatio respondet collectioni, non vero eius partibus seorsim; ast in iudicio affirmativo (etiamsi eius praedicatum sit negativum, uti supra — non philosophi —) eius praedicatum tum positivum, cum negativum directe afficit collectionem, non vero singillatim individua; ideo-

(1) Negatio implicita, aut est exclusiva tantummodo, aut etiam correlativa. 1.° Est superius exposita; 2.° praeterquamquod subiecto denegat quod eius praedicato advertatur, declarat tamen praedicatum ipsi referri, uti effectus qui non est causa et tamen causam innuit.

que praedicatum — non philosophi — ad subiectum — omnes homines — pertinet, cuius propterea sensus est, nullum inter homines philosophum haberi. Hae animadversiones in iudicia negativa et affirmativa haud aequipollentia regulas suppeditant iis recte formandis, et internoscendis.

434.° Caeterum lex est digna observari, scilicet ut forma propria cognitionis semper praeferatur impropriae, atque si quae sunt iudicia negativa formae impropriae ad propriam formam redigantur, qua nil est aptius naturae iudicii detegendae.

ARTICULUS QUARTUS

DE SUPREMA REGULA IDENTITATI PRAEDICATI CUM SUBIECTO IUDICII VERIFICANDAE APPLICATA

435.° Iam satis istactenus natura praedicati, subiecti et copulae, eorumque speciebus et relationibus gradatim explicatis, praestat modo regulam supremam identitatis initio huiusce capitis praemissam, iudiclo applicare, ut pateat verum ne sit, an falsum, seu num qua par est, identitate gaudeat.

436.° Quod duplici ratione consequi potest: 1.° iudicium formae impropriae ad formam propriam in primis reformando; 2.° si hac reductione absoluta, natura iudicii eiusmodi nondum bene illucescit, cum alio iudicio evidentiore, cui ipsum virtualiter implicatur, conferendo.

437.° Improprietas autem iudicii multiplex esse potest; 1.° improprietas ex forma verbali; 2.° improprietas ex subiectorum vel praedicatorum compositione, seu pluralitate; 3.° improprietas ex subiectorum vel praedicatorum complexione; 4.° improprietas ex implicatione rei cuiusdam subiecto, vel praedicato delitescentis; 5.° improprietas ex imperfectione sermonis, vel linguae (del linguaggio).

438.° Improprietas ex forma verbali exurgit, si iudicii subiecto relatio, aut quidquam aliud tribuitur, quod ipsi non conformatur, uti civitati distantia, de qua superius.

439.° Improprietas compositionis duplex est, implicita, et explicita, prout compositio aut implicite, aut explicite indicatur; idest prout pluralitas subiectorum et attributorum expressis verbis numeratur, aut simul unico verbo complicatur. Iudicia, quorum subiectum est collectio quaedam, composita explicita dicuntur, atque in tot iudicia resolvi possunt, quot sunt individua collectionis, hinc eiusmodi iudicia, vera tunc censentur, si iudicia de individuis singulis vera etiam perspiciuntur. Quod si in iudicio eiusmodi duplicis subiecti, praedicatum uni quidem, non vero alteri consonat subiecto, iudicium aut

totum negari, aut saltem distingui fas est, ac si dicerem — Petrus et canis sunt rationales —. Saepe tamen in his indiciis apparens tantum habetur subiecti pluralitas, v. g. — oxigenium et hydrogenium aquam componunt —. Haec enim bina elementa unum solum constituunt subiectum, ex quorum immixtione aqua (praedicatum) fit. Iudicium ergo magis complexum est, quam compositum. Idem dicatur de aliis iudiciis, quorum subiecta vel praedicata inseparabilia sunt, atque aliquid unum conficiunt: ex. gr. — haec vestis auro argentoque est contexta — praedicatum est indivisibile etsi duplex.

440.° Iudicia autem implicite composita sunt valde difficiliora intellectu. Iudicium: — quod video est homo — est implicite compositum, quia praedicatum — homo — sumi potest dupliciter seu apparenter, vel realiter. Primo sensu adest identitas inter subiectum — quod video — et praedicatum — homo —, ideoque iudicium verum est. In secundo casu deest identitas, quia hominis realis interna, animam videlicet, et organa interna non video. Fit autem aliquando verum (1) si dicatur — homo visus seu apparens est signum hominis interni vel realis —. Quo in casu habetur inter subiectum et praedicatum debita identitas. Idipsum et de omnibus iudiciis post sensationes prolatis dictum sumatur, v. g. — corpus quod cerno est rubri coloris —; indicium verum est, atque requisita identitate praeditum, si per ly — rubri coloris — intelligitur causa eiusdem, quae profecto est corpus visum; falsum autem evadit, idest deest identitas, si per ly — rubri coloris —, ipsa accipitur sensatio rubri, quae utpote simplex animae affectio non est corporibus adscribenda.

441.° Improprietas ex complexione oritur quoties subiectum vel praedicatum iudicii quibusdam donantur qualitatibus vel determinationibus et modis. Complexio, sicuti compositio duplex itidem est, implicita vel explicita, secundum quod qualitates aut distinctis vocabulis numerantur, aut unico vocabulo: sic, — qui sibi, suisque et proximo secundum iustitiam et charitatem prospicit, atque Deo ex corde et opere famulatur, felix est —; complexio subiecti est explicita. Item: — Brutum dictatorem (il dittatore) interfecit —, complexio tam subiecti quam praedicati est implicita, atque in plura alia iudicia resolvibilis ideoque iudicium totale complexum eatenus verum est, quatenus vera censentur singula iudicia in ipso inclusa (2).

(1) Diximus — aliquando verum — quia fieri posset ut homo visus sit imago vel simulacrum hominis, quod profecto neque foret signum hominis realis.

(2) Fere omnis iudicia ut ut simplicissima, quamdam semper involvunt complexionem, excepto iudicio primitivo — esse est — atque alii id genus, ut sunt principia rationis, quae ens sine determinationibus enuntiant. Inter iudicia complexa recensentur potissimum mathematica, quae infinitum nume-

Inter qualitates subiecti et praedicati complexi sunt quaedam determinativae, seu intrinsecae, quaedam vero incidentes vel explicativae, aut extrinsecae tantum; illae, non istae in identitatem subiecti et praedicati influunt, v. g. — Napoleo, qui in insula s. Elenae decessit, bis sibi Italiam subiecit —. Iudicium verum est, si propositio — qui decessit in insula s. Elenae — est incidens, vel explicativa; falsum autem, si determinativa, quia qui decedit non potest sibi amplius submittere quidpiam.

442.° Sin demum improprietas ex obscuritate, vel aequivocatione proveniat verborum, tunc verba clara et propria oportet obscuris et figuratis substituere, atque in propriam et logicam formam iudicium resolvere. Pro locutionibus metaphoricis haec sunt digna observari: 1.° in scientiis puris et speculativis a metaphoris summopere cavendum est, atque iis tantum utendum, cum vel affectibus movendis, aut attentioni dirigendae, aut veritati, sensibili, sic dicam, forma repraesentandae, uti poëtae, et oratores consuescunt, inserviunt; 2.° elementum metaphoricum ab elemento proprio diligenter est distinguendum; 3.° in librorum interpretatione praesumendum est vocabula sensu proprio magis usurpata fuisse quam figurato; 4.° vocabulum aut obiecta complexa, aut plures animi operationes referens, recta et perfecta definitione explicandum est, atque in partes dividendum.

§. *unicus* — *De Definitione.*

443.° Definitio eo spectat, ut quid res per nomen, vel per suam essentiam, aut per qualitates sit, significet. Prior est definitio nominis, vel etymologica = quod mihi adstat dicitur homo =; posterior est definitio rei, vel logica = homo est subiectum rationale =. Propositiones autem — arbor est planta — sidera sunt astra — synonima sunt, non definitiones.

Definitio rei multifariam distinguitur; 1.° aut exprimit essentiam rei, ut rationalitas in homine (definitio essentialis); 2.° aut aliquid ipsi proprium, ut visus (definitio propria); 3.° aut relationem (definitio indicativa); 4.° aut omnia simul oratione aliquanto fusiori et eleganti et dicitur *descriptio*, quae magno usui est penes poëtas et oratores (1).

ricum semper supponunt in calculis, ideoque potius iudicia opinata et verbis tantum expressa, quam vera sunt, quia infinitum numericum est absurdum, et consequenter iudicium totale destruit.

(1) Definitio perspicua quidem et completa, qua explicatur essentia rei, nedum in scientiis tantum, verum etiam in vitae negotiis feliciter exequendis

444.° Definitio nominis multum prodest quaestionis sensui determinando; sed neque existentiam, neque naturam rei determinat. Hinc definitionem nominis statim initio tractationum praemittimus, ut pateat de quo sit agendum; definitionem autem rei perfectam et completam sub finem tractationum subiungimus, quum disputata, vel inquisita in unum veluti colliguntur, atque exhibentur.

ARTICULUS QUINTUS

ALTERA REGULA PRO IUDICIIS CUM ALIIS EVIDENTIORIBUS CONFERENDIS, UT EORUM ELUCEAT IDENTITAS, PROPONITUR

445.° Saepe numero accidit, ut omnibus de formae propriae iudicii restitutione iuxta primam regulam praestitutis, iudiciorum natura, etsi simplicem et propriam formam induerit, adhuc nos lateat. Id fieri potest 1.° vel quia elementa vel materiam iudicii, subiectum et praedicatum ignoramus; 2.° vel quia, iis cognitis, eorum relationem vel nexum nondum concipimus. In prima hypothesi impedimur ignorantia absoluta, qua praesertim in iudiciis augmenti, seu de rerum realitate ferendis, laboramus, cui sola auctoritate vel experientia, non autem argumentatione a priori medendum est. Hominum enim narratione, vel sensibus, vel inductione possumus de realitate rei cuiusdam certiores fieri (1). In secunda hypothesi detinemur ignorantia relativa, cui refellendae occurrit argumentatio, qua, ope huiusce regulae secundae, iudicium, de quo dubitatur, cum alio evidentiore eius identitati cognoscendae causa, comparatur. Hac in argumentatione si perspicitur iudicium praefatum iudicio alicui clariori refragari, falsum declaratur hoc ipso; sin autem iudicio clariore involvi, tunc illico verum aestimatur. In prima operatione utimur principio contradictionis, in secunda principio identitatis.

summae necessitatis aestimatur atque prae caeteris id satagant oratores cum ad populum concionem habent, ne auditores huc illucque iactentur, quin unquam unde orator coepit, quo progrediatur, quid praedicet, et in quo nunc versetur, intelligant, ululatibus, gesticulationibus atque verbis sonantibus magis deterriti, quam rationibus persuasi, atque commoti; dialectica enim magistra dicitur et est verae eloquentiae.

(1) Quantum ergo a vero abludit opinio quorumdam dialecticorum transcendentalium, qui a priori, solis videlicet schematibus, regulis, et formis idealibus, atque vi ratiocinii puri et speculativi, sibi quamlibet veritatem etiam naturalem inveniri ac demonstrari posse adblandiuntur. Factis enim attingendis, standum est sensibus nobis ideo adiunctis, ut ad sensibilia externa provehamur.

CAPUT QUINTUM

DE PROPOSITIONIS NATURA

446.° Quod intus verbo mentis exprimitur iudicium est, ipsum foras verbo oris prodiens, propositio evadit. Idem ergo, iudicium et propositio, re sunt, verbis autem discrepantia. Quapropter quae de iudicio nunc nuper diximus, possunt et propositionibus facillime aptari, et quae sumus de propositionibus subnexuri, etiam ad iudicia referre quodammodo licet.

ARTICULUS PRIMUS

DE GENERALI PROPOSITIONUM CLASSIFICATIONE

447.° Duo communiter logici in propositionibus solent distinguere, 1.° quantitatem, vel subiecti extensionem, 2.° qualitatem, seu copulae affirmationem vel negationem. Atque hinc consuetudo obtinuit ut propositiones cuiusque speciei, simplices nimirum et compositas, secundum quantitatem et qualitatem, generatim classificarent.

448.° Propositiones quoad quantitatem inspectae dividuntur in universales, partiales et singulares. Propositiones *universales* eae nominantur, quae in subiecto perfectam, et completam entium collectionem complectuntur, adeo ut praedicatum tam collectioni, quam eius singulis partibus commune sit: — omnes arbores vegetant —. *Particulares* autem illae nuncupantur, quarum subiectum aliquam indeterminatam collectionem entium comprehendit, uti: — quaedam animalia hinniunt — . *Singulares* demum vocantur quae subiectum plane individuum, et singulare exhibent: — Petrus est prudens —: singularibus pariter adscribuntur propositiones quarum praedicatum non singulis partibus, sed collectioni respondet: — phalanges Graecorum de Persis triumpharunt —, triumphus enim non militibus singillatim, sed eorum phalangibus refertur acceptus.

449.° Discrimen inter propositiones universales, particulares, et singulares est, quod universales et singulares subiectum determinent, ideoque fixae et determinatae vocantur; particulares contra subiectum non circumscribunt, atque vagae et determinatae propterea censentur.

450.° Secundum autem qualitatem propositiones dividi solent in affirmantes et negantes.

In propositionibus affirmantibus praedicatum totum quantum in se est, non autem prout ad alia etiam porrigitur, idest secundum totam suam comprehensionem, non vero extensionem, coniungitur

subiecto: sc — virtus est speciosa —; speciositas equidem tota de subiecto praedicatur, non autem caetera quae speciositate etiam enitescunt, puta, opus aliquod ingenii vel artis forma etiam speciosum.

E converso in propositionibus negantibus praedicatum removetur a subiecto secundum totam suam extensionem, non vero secundum suam comprehensionem: v. g. — homo non est marmor — negantur de homine omnes marmoris species, non ea omnia, quae marmore continentur, idest realitas, quae hominis quoque est.

ARTICULUS SECUNDUS

DE PROPOSITIONIBUS COMPOSITIS, EARUMQUE CLASSIFICATIONE

431.° Propositiones, de quibus hucusque actum est, simplices appellantur, idest unico subiecto et praedicato coalescentes. Ast fieri potest, ut, sicuti iam de Iudicio innuimus, propositiones multa subiecta vel praedicata implicite aut explicite habeant, atque ideo compositae evadant. Quo in casu praeter factam classificationem, quae propositionibus aeque simplicibus et compositis convenit, alia specialior classificatio secundum earum implicitas vel explicitas compositiones excogitatur.

432.° Quapropter propositiones explicite compositae dividuntur in copulativas, disiunctivas, conditionales, causales, incidentes, et determinativas.

Propositiones *copulativae* plura aut praedicata, aut subiecta particulis coniunctivis *et*, *ac*, *atque* unita, praeseferunt; earum veritas a veritate propositionum simplicium, quae ipsis continentur, dependet.

Propositiones *disiunctivae* constant pluribus subiectis, vel praedicatis disiunctivis *aut*, *vel* distinctis, atque tunc verae aestimantur, si nullum inter propositiones simplices, quas involvunt, relinquitur medium effugiendi.

Propositiones *conditionales*, seu *hypotheticae* sub aliqua conditione aliquid affirmant, vel negant, quarum si conditio vera est, verae et ipsae sunt; alias falsae. Conditio huiusmodi non debet esse quaestioni extranea v. g. — si fulgurat, problema de hypothenusa solvam —; etsi enim eveniet, ut caelo fulgurante hoc noverim problema, haec conditio, quia fortuita est et extranea, in problema non influit, ideoque licet problema solvam, propositio falsa esset.

Propositiones *causales* effectus particulis *quia*, *quoniam*, *quod* causis referunt. Si adest vera relatio causalitatis, et verus effectus, propositio causalis dicitur vera, sin autem falsa.

Propositiones *incidentes* aliquid explicandi causa in propositionibus interponunt, quin sensum propositionis principalis mutent: v. g. — Alexander, statura pusillus, sibi subiugavit Darium — quae propositio vera esse potest, quamquam Alexander procerus fuerit. Item — rex pius dormit —; non dormit quia pius, quia etiam tyrannus dormit.

Propositiones *determinativae* subiectum vel praedicatum ita afficiunt, ut veritas propositionis ex veritate determinationis profluat — vir moribus integerrimus, certe salvabitur —; salus tota ex morum integritate consequitur.

453.° Ad propositiones autem *implicite* compositas, vel, ut aiunt, *exponibiles*, quod pertinet, ipsae dividuntur in exclusivas, exceptivas, et comparativas.

Propositiones *exclusivae* aut unum, aut alterum tantum praedicatum subiecto concedunt hisce adverbiis *solum, dumtaxat, tantum* etc. alia interea excludendo.

Propositiones exceptivae subiecto non totum quantum est, sed partem aliquam praedicati de subiecto affirmant: — Petrus scientiis physicis est doctus —.

Propositiones *comparativae* eae sunt, quae cuidam subiecto unum potius quam alterum praedicatum, aut utrumque, prae alio, vel uti alio, adnectunt: — Petrus est plus plusquam Paulus — vel — Petrus est aeque pius ac Paulus — vel, — Paulo urbanior est, non doctior —.

454.° Propositiones *modales*, idest, modum, quo praedicatum congruit subiecto, exprimentes, aut implicite, aut explicite compositae pariter esse possunt, secundum variam modi expressionem.

ARTICULUS TERTIUS

DE PROPOSITIONIBUS AEQUIPOLLENTIBUS, CONVERTIBILIBUS, ET OPPOSITIS

455.° Nulla est propositio sive vera sive falsa, quae cum aliis propositionibus aliquam non praeseferat relationem. Tam enim veritates partiales, seu partes veritatis, quam errores eidem veritati ut ut remotissime oppositi, quodam semper respectu invicem nectuntur. Hae porro propositionum relationes reciprocae duplicis generis sunt, immediatae, et mediatae. Hic de immediatis dumtaxat, de mediatis autem in *argumentatione* sermo instituetur.

456.° Relationes immediatae sunt 1.° aut aequipollentiae, 2.° aut convertibilitatis, 3.° aut oppositionis.

Binae propositiones *aequipollentes* dicuntur, si verbis diversis idem significent v. g. — ex hominibus pauci salvantur —; — ex hominibus multi pereunt —: en duae propositiones aequipollentes.

Propositiones *convertibiles* illae vocantur, quarum subiectum in praedicatum, et e converso inverti potest, quin eius sensus mutetur. Huic conversioni requiritur identitas inter praedicatum et subiectum, quae cum duplex esse possit, perfecta et imperfecta, hinc duplex pariter conversio, perfecta, et imperfecta. Prior habetur in propositionibus aequipollentibus, vel in iudiciis analyticis, quorum subiectum et praedicatum gaudent eadem extensione, et comprehensione (1). Sin autem subiectum propositionis convertendae diversae sit extensionis et comprehensionis, tunc subiectum propositionis conversae est quodammodo restringendum, ut veritas permaneat propositionis — homo est animal —, — quoddam animal est homo — non autem — animal est homo —. Ex quo patet conversionem non formam conceptualem, vel dialecticam propositionis respicere, sed sensum intrinsecum, qui, forma dialectica mutata, non mutatur.

Propositiones *oppositae* eae sunt, quarum una negat quod altera affirmat, atque e converso. Quoniam autem oppositio ex negatione procedit; negatio autem trifaria est 1.° explicita vel implicita; 2.° totalis vel partialis; 3.° pura et simplex, hinc propositiones huiusmodi dividuntur 1.° in propositiones implicite vel explicite oppositas: 2.° totaliter vel partialiter oppositas: 3.° pure et simpliciter oppositas, aut praeter oppositionem directam, aliquid ulterius negant vel affirmant. Si una pure et simpliciter negat quod altera affirmat, contradictoriae, si plus negat, contrariae nuncupantur.

ARTICULUS QUARTUS

REGULAE QUIBUS DIGNOSCITUR AN PROPOSITIONES SINT REALITER AN APPARENTER TANTUM SIBI INVICEM CONTRADICTORIAE

457.° Regulae huiusmodi sunt; 1.° videndum in primis an propositiones contradictoriae nuncupatae possint suscipere idem subiectum et praedicatum, adeo ut discrimen totum in copula versetur, hinc affirmante, isthinc negante. 2.° Videndum secundo an inter propositiones ad identitatem subiecti et praedicati reductas nullum sit me-

(1) Convertibilitas perfecta quatuor modis haberi potest: 1.° si agitur de ente puro, etsi sub diversa forma categorica — ens subsistit — subsistens est —. 2.° Si adest subiectum antecedens — contingentia est in homine — homo est contingens —. 3.° Si praedicatum ita est subiecto proprium, ut aliis referri nequeat — homo est subiectum rationale — subiectum rationale est homo —. Ita de aliis perfectis definitionibus accipiatur. 4.° Si verbum activum in passivum convertitur: — Rosminius scientias instauravit —, scientiae a Rosminio sunt instauratae —.

dium; si enim medium reperitur, earum contradictio est parens, secus est realis.

458.° Identitas subiecti in duabus propositionibus, quae ntradictoriae videntur, deesse potest 1.° ubi subiectum est indeterminatum v. g. — quidam homines sunt iusti —, — quidam homines non sunt iusti — subiecta non sunt identica, quia homines non iusti, ii minime sunt, de quibus loquitur in prima propositione, sed alii; ideoque ambae propositiones sunt aeque verae, neque propterea contradictoriae, sed subcontrariae, idest fere, vel apparenter contrariae. 2.° Identitas subiecti in utraque propositione potest etiam deesse, cum sermo sit de rebus relativis, quae ex una parte bonae, ex altera malae fieri possunt, uti consuetudines, — haec consuetudo est bona, — haec consuetudo est mala — hae non sunt propositiones contradictoriae. 3.° Demum deesse similiter potest subiecti identitas, si subiectum multiplicis sit significationis; ex. gr. — virtus est praemio afficienda — virtus non est praemio afficienda —. Primo casu enim virtus est habitus, vel actus moralis praemio utique afficiendus, in secundo casu virtus est vis, vel energia physica, quae nullum praemium meretur; proindeque propositiones non sunt contradictoriae.

459.° Apparentia contradictionis potest quandoque ex defectu identitatis in praedicato provenire — hic cibus est ingratus, — hic cibus est gratus —; potest enim mihi gratus esse, alteri vero ingratus idcirco deest vera contradictio.

460.° Apparentia denique contradictionis oriri item poterit ex indeterminatione copulae. Copula enim ut plurimum verbo — est — exprimitur, quod tam idealibus quam realibus competit, ac consequenter non determinat an agatur de re possibili vel ideali, at de reali. Caeterae copulae indeterminatae aliis verbis metaphoricis enunciatae, potius ad subiectum vel ad praedicatum, quam ad copulam spectant. — Apparente eclypsi aves obstupuerunt — haec propositio vera vel falsa est, prout sensu proprio vel improprio intelligitur, qui tamen sensus indeterminatio ad praedicatum pertinet; sic enim resolvi potest — aves fuerunt demiratae —.

461.° Ex his ergo colligitur neminem, cognoscere an binae propositiones sint revera contradictoriae, nisi prius vel directe vel ex mente proferentis, sensum determinatum subiecti, praedicati, et copulae utriusque propositionis agnoverit. Atque haec tertia regula est pro vera propositionum contradictione invenienda.

ARTICULUS QUINTUS

DE APPLICATIONE PRINCIPII CONTRADICTIONIS FALSITATI PROPOSITIONIS VERE CONTRADICTORIAE DEPROMENDAE

462.° Quia ex principio contradictionis — idem non potest esse simul, atque item non esse — hinc, hoc principio utimur ad investigandum — quaenam ex duabus contradictoriis propositionibus vera sit, quae falsa —. Etenim ex his duabus propositionibus contradictoriis — homo est rationalis — homo non est rationalis — ideo prima vera, posterior falsa est, quia — idem nequit simul esse et non esse —. Porro esse ex ideae entis, vel principii cognitionis (obiectum mentis est ens) applicatione novimus; ipsi autem uniri non posse non esse, atque proinde non esse, removendum fore, ex principio discimus contradictionis. Quapropter ope principii cognitionis unam veram ex contradictoriis statuimus, alteram falsam, innixi principio contradictionis, repellimus.

463.° Satagendum propterea est, ut hae propositiones ad simplicem formam verbalem contradictionis — est et non est — in primis reducantur. Saepe enim propositiones contradictorie aestimantur, quae huiusmodi non sunt, uti hae sequentes — omne animal est sensitivum —, nullum animal est sensitivum — quae contradictoriae quidem primo mentis appulsu videntur, cum contrariae potius sint; earum quippe secunda plus negat quam prima affirmat. Re quidem vera propositio secunda — nullum animal est sensitivum — duas involvit propositiones — omne animal non est sensitivum —, necnon istam — unum animal neque est sensitivum —. Prima est contradictoria superioris, seu — omne animal est sensitivum —; secunda contradicitur ab hac altera — unum animal est sensitivum —; quae cum vera sit, falsa est eius contradictoria — unum animal non est sensitivum —; ideoque falsa pariter propositio totalis negans — nullum animal est sensitivum —. Idem dicatur de prima propositione — omne animal non est sensitivum — quae cum falsa sit, falsam quoque propositionem negantem totalem declarat, ideoque veram priorem propositionem contrariam — omne animal est sensitivum — se prodit.

464.° Aliud esse propositiones contrarias, aliud contradictorias, clarescit etiam ex eo quod contrariae possunt esse simul falsae, quod de contradictoriis dici nequit: ex. gr. omnes homines sunt probi —, nullus hominum est probus —; in hac enim ultima continetur propositio contradictoria primae — omnes homines non sunt iusti — quae utpote vera, falsitatis arguit primam affirmativam, quemadmodum falsa quoque est secunda propositio negativa explicita, quae ipsi implicabatur scilicet — nullus hominum est probus —.

465.° Ex allatis exemplis infertur:

1.° in necessariis propositionem contradictoriam negantem propositione contraria involutam, si falsa est, falsitatem propositioni contrariae, qua continetur, etiam inferre; sin autem vera (iu accidentalibus) minime veritatem propositionis contrariae, qua involvitur, inducere, ast etiam eius falsitatem.

Infertur 2.° si propositiones sunt compositae, neque proinde earum contradictio potest illico perspici, tunc ex propositione composita ernendam esse eius subalternam (1), cui altera contradictoria opponitur, quae si vera est, detegitur hoc ipso tam falsitas subalternae, quam eius propositionis principalis v. g. — omnes homines sunt rationales — huius propositionis subalterna erit — aliqui homines sunt rationales — cuius contradictoria est — aliqui homines non sunt rationales —. Porro ex hypothesi quod haec vera esset, falsa caderet subalterna, necnon eius propositio principalis. Secus autem res se habet, ubi subiectum compositae propositionis negantis idem sit ac subiectum affirmantis. Sic: — omnes homines non sunt prudentes (propositio contraria negans) — quidam homines non sunt prudentes (propositio subalterna) —. Iamvero haec propositio — quidam homines sunt prudentes — non est profecto contradictoria subalternae, quia fieri potest, ut quidam sint prudentes, quidam vero non; ergo neque itidem erit contradictoria principalis, nempe — omnes homines non sunt prudentes —, cui potius haec altera eodem subiecto constans contradicit — omnes homines sunt prudentes —. Ratio est, quia negatio propositionis principalis non omnia et singula individua, sed unum, aut alterum tantum respicit, ideoque tam verum est — omnes homines non esse prudentes — ac — aliquos esse prudentes —.

Exinde consequitur 1.° affirmationem totum subiectum compositum, negationem autem eius partem solum afficere; 2.° contradictoriam negativam subalternae etiam propositioni principali refragari; contradictoriam vero affirmativam principali neganti non adversari, ideoque ambas aut simul veras, (in accidentalibus) aut simul falsas esse (in essentialibus) posse. Quibus cognoscendis principio contradictionis nobis opus est, quo propositiones contradictoriae illico perspiciuntur vix ad simplicem formam verbalem contradictionis reductae fuerint.

466.° Quoad propositiones autem genericas, vel specificas, quae alias sub se propositiones continent, iuvat animadvertere, contradictoriam propositionis specificae fore etiam contradictoriam propositionis genericae, quia propositio specifica est genericae subalterna. Hinc posita veritate huius propositionis specificae — vegetalia non sunt ex-

(1) Propositio subalterna ea dicitur, quae alteram ingreditur.

tensa — vera simul et ista generica — corpora non sunt extensa —: atque vicissim data prioris falsitate, consequitur et falsitas posterioris.

ARTICULUS SEXTUS

PRINCIPIUM IDENTITATIS IN MEDIUM VERITATIS PROPOSITIONIS CONTRADICTORIAE INVENIENDAE CAUSA ASSUMITUR

467.° Principio contradictionis ducti, ex falsitate propositionis subalternae possumus quidem inferre directe falsitatem eius propositionis principalis, licet non e converso ex veritate subalternae confestim veritatem principalis, cui inveniendae promptius videtur principium identitatis. Nam propositio principalis plus, quam eius subalterna continet: quare propter principium identitatis 1.° ex veritate subalternae nequit deduci veritas principalis, etsi ex veritate principalis induci possit veritas subalternae. 2.° Ex falsitate principalis non licet concludere ad falsitatem subalternae, licet tamen e converso. Hinc ut veritas alicuius propositionis pateat, in subalternam alicuius propositionis verae convertatur: quod duplici modo, immediate et mediate, obtinetur; immediate, si statim vertitur in subalternam propositionis evidenter verae: mediate, si vertitur in subalternam subalternae propositionis verae, donec eius cum quadam propositione vera pateat identitas, seu donec in propositione vera eam includi conspiciatur. Tunc ob identitatis principium veritas principalis in ipsam etiam diffluit, atque ut vera etiam statuitur.

468.° Propositio principalis, cui altera propositio in quaestione referenda est, potest esse vera in se, vel uti vera ab adversario supposita. In hoc secundo casu habetur argumentatio ad hominem, quae suadendo adversario, atque fini disputationis obtinendo quidem valet, sed veritatem intrinsecam principalis hoc ipso non evincit. Sin autem principium ceu postulatum ab adversario admissum, et ex quo nobis est proficiscendum, falsum deprehenditur, tunc series argumentationis eo usque producitur, douec in principium contradictionis impingat, quo evidenter demonstratur adversarium sibi contradicere, atque in absurdum prolabi. Haec argumentatio dicitur ab absurdo, quae hominibus obstinatis praesertim, et rudibus convinciendis est validissima (1).

(1) Ex principio erroneo, logica, seu legitima potest esse consequentiarum deductio, quia consequentiae huiusmodi sunt tot partiales erroris principalis evolutiones, nondum tamen verae. Hinc aliud est illatio logica vel recta, aliud illatio vera, quae necessario principii veritatem supponit.

469.° Conclusio — Hisce de ideis, de iudiciis tam perceptionis, quam reflexis, necnon de propositionibus, quibus omnibus homo ceu mediis veritatem sibi immediate exhibere potest, iam hactenus delibatis, tempus est, ut ad argumentationem, qua veritates immediate haud nobis praesentes, menti veluti appropinquamus, gradum faciamus, eoque magis, quod in perlustrandis variis idearum ordinibus, iisque simul conferendis, uti verum decet philosophum, argumentationem ceu medium unicum natura nobis concessum, ut intuitionis mentalis imbecillitati prospiciamus, semper adhibere cogamur.

LOGICAE PARS SECUNDA

DE ARGUMENTATIONE

CAPUT PRIMUM

QUAEDAM INTER DEDUCTIONEM SIMPLICEM, ARGUMENTATIONEM, ET DEMONSTRATIONEM NOTANTUR DISCRIMINA

470.° Tria et quidem maximi momenti iam nobis initio sectionis occurrunt probe ad invicem separanda, utpote eorum distincta postulat natura: haec autem sunt 1.° deductio simplex, 2.° argumentatio, 3.° demonstratio; quas imbelles philosophiae cultores saepe miscuerunt. Aut enim propositio quaedam ab altera immediate ac simpliciter eruitur, aut auxilio alicuius medii deducitur, aut nedum immediate aut mediate deducitur, sed vera etiam probatur.

Primo casu, *deductio simplex*, secundo, deductio mediata, vel *argumentatio*, tertio, *demonstratio* habetur. Quoniam autem argumentatio ideo propositionum unam deducit ex altera, ut effulgeat veritas, patet deductionem mediatam esse finem proximum argumentationis, in forma praesertim logica ratiocinii situm, demonstrationem autem finem ultimum, atque in veritatem ratiocinii potissimum directum. Insuper argumentatio potest esse vel obiectiva, vel conceptualis seu dialectica, vel verbalis, prout aliquam propositionem ad identitatem obiectivam, vel conceptualem seu dialecticam, vel verbalem alterius propositionis reducit ad eius veritatem ostendendam.

471.° Cum porro finis, in quem spectat argumentatio duplex sit, nempe deductio simplex vel logica, seu forma syllogistica, et deductio demonstrativa, seu veritas deductionis, hinc hanc, quam de argumentatione tractationem sumus daturi, in duas partes dispescimus: prior de forma, et quidem statim discutietur; posterior de veritate argumentationis erit, quae in methodum demonstrativam transfertur.

ARTICULUS PRIMUS

DE FORMA LOGICAE ARGUMENTATIONIS

472.° Forma propria argumentationis est syllogismus; discursus scilicet constans tribus propositionibus adeo mutuo connexis, ut ex

duabus praecedentibus, vel praemissis, tertia inde, ceu earum corollarium, fluat. Huiusmodi dispositione syllogistica propositionum utimur, cum terminos, idest subiectum et praedicatum, alicuius propositionis simul cohaerere statim et immediate non deprehendimus. Defectus ergo immediatae cognitionis identitatis inter terminos cuiusdam propositionis, menti suggerit formam syllogisticam, ut quae principio identitatis sic expresso — quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se — subnixa, identitatem propositionis conquisitam nobis patefacit ope ideae tertiae, ceu mensurae duorum, quibus propositio cognoscenda componitur, si enim subiectum et praedicatum (1) idea tertiae conformantur, cur sibi invicem non convenient? Haec autem inter mediam ideam, et terminos propositionis identitas aut vera est, aut logica tantum; si primum, argumentatio est etiam demonstratio; si secundum, pura vocatur deductio logica. Ita: quod vivit numquam morietur —; bellua vivit —; ergo numquam morietur — deductio legitima est, deficit tamen demonstratio, quia inter medium terminum — quod vivit — et praedicatum conclusionis — numquam morietur — non adest nisi fictitia identitas.

Totus ergo organismus syllogisticus tribus terminis, vel obiectis tribus affirmationibus coniunctis componitur sub regimine principii identitatis.

ARTICULUS SECUNDUS

SCHEMA ORGANICUM GENERALE FORMAE SYLLOGISTICAE EX PRINCIPIO IDENTITATIS DEDUCTUM

473.° Syllogismi etsi in fines innumeros dirigi possint, unicum semper atque universalissimum supponunt principium, unde incipiunt et quo fundantur: huiusmodi est principium identitatis, quod postulatum commune, et fundamentale syllogismorum evadit vix in hac formula repraesentetur — quae cuidam tertio conveniunt, sibi invicem, conveniant oportet: atqui A convenit tam cum B quam cum C; ergo B et C inter se debent quoque convenire. Maior huiusce syllogismi est, uti patet, immediata principii identitatis applicatio.

474.° Iamvero quatenus syllogismi huiusmodi semper formulam supponunt ceu principium dialecticum, merito dependentes vocantur sin vero hoc principium non supponerent, sed continerent in praemissis, independentes forent. Hoc autem interest inter syllogismum dependentem et crypticum, quod ille licet principium dialecticum sup-

(1) Subiectum conclusionis vocatur *minus extremum*, eius praedicatum, *maius extremum*, idea media, seu mensura communis, *medius terminus*.

ponat, tribus tamen constat propositionibus: iste contra aliqua caret ex tribus propositionibus, quae subintelligi potest, ideo crypticus vel absconditus nuncupatur. Igitur alia est ratio, cur syllogismus vocetur dependens, alia cur sit crypticus: vocatur dependens ex suppositione principii dialectici praefati, est crypticus ex defectu propositionis cuiusdam. Praeterea, crypticus potest etiam dependens esse, idest principium dialecticum supponere.

475.° Atque hinc iam illucet ideam entis nedum esse idearum parentem, et regulam iudiciorum, verum etiam principium fundamentale syllogismorum, vel argumentationis. Quin imo in ontologia ostendemus ens triplici forma constitutum speciem cuiusdam syllogismi subsistentis praeseferre, a cuius expositione nunc abstinemus, ne trinitatem entis formarum, earumque intrinsecas relationes nescientibus confusioni simus. Id unice hic recordamur, scilicet fundamentum argumentationis esse principium identitatis, quod, ut innuimus; est principium ordinis intrinseci entis.

ARTICULUS TERTIUS

DE ORDINE QUO IN ORGANISMO SYLLOGISTICO TRES PROPOSITIONES DISTRIBUUNTUR

476.° Eodem ordine propositiones in organismo syllogistico distribuuntur, quo in mente: atqui in mente, et maxime argumentante, propositiones ita invicem disponuntur, ut primum locum generaliores teneant, deinde minus generales succedant, et ita porro iuxta decrescentem extensionem, ita eodem ordine sunt in syllogismo disponendae. Hinc prima propositio ea esse debet, quae prae caeteris plus habet extensionis, idest cuius affirmatio vel negatio magis extenditur, atque vel obiectum generalius, vel maiorem rerum quantitatem comprehendit (1). Deinde excipit alia propositio minoris extensionis; demum tertia, quae respectu praedictarum est extensionis minimae. Hinc forma organica argumentationis est una et trina: una, quatenus idea quadam universali, ceu toto quodam innititur; trina, quatenus ex toto huiusmodi, ope trium propositionum, conclusionem in toto implicitam deducit. Harum autem propositionum prima dicitur maior, secunda minor, tertia conclusio, vel thesis.

477.° Cum autem syllogismi generatim in categoricos, conditionatos et disiunctivos dividantur, inde evidenter patet, in categoricis eam caeteris propositionem praeire, quae, uti diximus, plura affirmat

(1) Vel, uti mox videbitur ubi de regula generali argumentationis, ea propositio est maior, quae totum (il tutto) syllogisticum complectitur.

vel negat: in conditionalibus autem et disiunctivis propositionem antecedere, quae conditionem et disiunctionem gerit, quia magis eo ipso affirmat, ideoque iuxta regulam caeteris anteponenda est.

478.° Saepe tamen, praesertim rudes, atque etiam naturalistae leges naturae inductione inquirentes, in ratiocinando, locum mutant propositionis, atque maiori minorem sufficiunt; quod sine syllogismi iactura fieri potest: munus enim maioris et minoris, comparandi scilicet subiectum et praedicatum seu terminos conclusionis cum termino medio, aeque adimpletur, etiamsi comparatio subiecti conclusionis cum medio termino (minor) comparationem praecedat praedicati conclusionis cum eodem medio termino (maior). Id tantum ex ipsa inversione consequitur, quod propter minoris in locum maioris substitutionem, syllogismus syntheticus fiat, a partibus nempe ad totum gradiens; contra si maior, ut exigit, minori praemittitur, syllogismus est magis analyticus, idest a toto maiore incluso ad partes progreditur.

ARTICULUS QUARTUS

VARIAE EXPLICANTUR SYLLOGISMORUM FIGURAE

479.° Nomine figurae syllogisticae intelliguntur variae medii termini collocationes in praemissis, vel sedes, quae sub variis velut aspectibus, varium ipsum exhibet syllogismum. Ex logicis, Peripatetici putant tres solum medio termino sedes assignari, ideoque syllogismum triplici figura donari. Alii complures contra, duce Galeno, quatuor sedes ipsi statuunt, proinde quatuor etiam syllogismi figuras.

480.° Prima figura exurgit, si medius terminus est subiectum maioris, et praedicatum minoris secunda autem figura obtinetur, si medium terminum tam maior, quam minor in praedicatum recipiunt. Tertia figura componitur, si ipse terminus medius sit utriusque propositionis maioris et minoris subiectum. Quartam demum syllogismus induit figuram, cum medius terminus in maiore praedicatum, in minore subiectum extet (1).

(1) Quae figurarum sillogismi classificatio fieri etiam potest 1.° secundum mutationes, quas subiectum et praedicatum conclusionis subeunt in praemissis. Quocirca prima figura erit, si subiectum et praedicatum conclusionis conditionem respectivam subiecti et praedicati ubique conservant. Secunda figura, si praedicatum conclusionis vertitur in subiectum. Tertia, si subiectum conclusionis evadit praedicatum in praemissis. Quarta si tum subiectum, cum praedicatum conclusionis in praemissis mutantur. 2.° Habita solum ratione ad positiones medii termini in maiori, qua conclusio involvitur. Hinc prima figura

481.° At enim, ex principio, qnod ille tantum censeatnr legitimus et perfectus syllogismus, qni in primis totum (il tntto) syllogisticum, vel, ut ainnt, conclnsionem contineat, iam prono alveo infertur syllogismum tantum primae figurae hac gaudere proprietate, atque alias figuras plus minusve a vera forma syllogistica recedere, quo magis, aut minus a prima distant fignra. Verum enim vero, ut conclusio evidenter conspiciatur praemissis convoluta, oportet ut eius praedicatum et subiectum naturam praedicati et subiectl in praemissis habeant, quod profecto in prima figura dumtaxat deprehenditur: hoc enim modo luculentior fit comparatio medii termini cum terminis respectivis conclusionis. Secus autem praedicatum, id nempe, quod de aliqno praedicatur, verteretnr in subiectnm, in id nimirum, de quo aliquid praedicatur; ideoque termini comparationis mutarentur; sicqne ipsa quoque inverteretur comparatio, qnae amplius non fieret de eodem secnndum idem.

482.° Verumtamen haud tuemnr in tribus nltimis figuris nil posse ex praemissis concludi. Concluditur equidem, dummodo mentaliter saltem praedicatum, et subiectum conclusionis, qua talia etiam in praemissis retineantur; alias, idest si ore tenus hac terminorum conclusionis reintegratio, ut sic dicam fieret, tunc plures, quam tres forent propositiones syllogismi; ideoque vel nulla inde sequitur recta conclnsio, aut duae sequerentnr. Id clarum fit huiusmodi exemplo primae et secundae figurae — qui carnem macerant, Christi sunt —; atqui ieiunantes carnem macerant —; ergo Christi sunt (syllogismus primae figurae). — Qui Christi sunt, carnem macerant; (secunda figura) — atqui ieiunantes carnem macerant: — ergo (en dnplex conclusio) qui Christi sunt ieiunant, — vel — ieinnantes Christi sunt —. Par enim est ratio tum snbiecti unius praemissarum in praedicatum conclusionis, quam subiecti alterius praemissarum in idem praedicatum conclusionis traducendi. Duas pariter in tertia et quart figura conclusiones inferimus, cum in tertia aut unum aut alternm praedicatum in subiectum thesis; in quarta autem praedicatum in snbiectum thesis, et vicissim convertere cogimur.

syllogisni exhibet medium terminum in subiecto maioris, et praedicatum conclusionis in praedicato eiusdem maioris. Secunda exhibet medium terminum in praedcato maioris, et in subiecto subiectum conclusionis. Tertia exhibet in praedicato maioris medium terminum, et in praedicato praedicatum conclusionis. Quarta exhibet in subiecto maioris medium terminum, et in praedicato subiectum conclusionis.

ARTICULUS QUINTUS

DE MODIS PROPOSITIONES IN SYLLOGISMO COMPONENDI, UT ALIQUID INDE RECTE CONCLUDATUR

483.° Eo pacto quo ex diversa sede medii termini varias inde syllogismi figuras logici deduxerunt, eodem pariter ex diversis propositionum speciebus varios modos syllogismi confecerunt. Enimvero syllogismus potest propositionibus generalibus vel particularibus, affirmativis vel negativis componi, quae ita ordinari possunt, ut syllogismus aut tres eiusdem speciei propositiones habeat, aut modo unam modo alteram: quae propositionum ordinatio (combinatione) tam multiplex et varia deprehenditur, ut, facta supputatione, sexaginta quatuor ordinationes possibiles inventae fuerint, quae modi syllogismi appellantur. Pro unaquaque enim syllogismi figura sexdecim modi numerantur, qui quater ducti 64 efficiunt.

484.° Ast pariter repertum est quinquaginta quatuor ex praefatis propositionum ordinationibus syllogismum adeo vitiosum reddere, ut nulla inde conclusio progigneretur, partim quia ambae praemissae vel particulares, indeterminatae, et vagae, vel negantes erant, ideoque consecutioni ferendae prorsus ineptae; partim quia praemissae minus quam ipsa conclusio complectebantur; partim quia ex praemissis affirmantibus conclusio emergebat negativa: partim demum, quia conclusio haud immediata, sed mediata tantum obtinebatur. Hinc novemdecim (supputatis etiam earum repetitionibus) tantum ordinationes vel modi syllogismi superfuerunt, reapse legitimi et concludentes. Ex quibus subterductis novem, tum quia septem convertunt in subiectum peculiare praedicatum universale praemissarum, tum quia duo subiectum thesis affirmative in praemissis, negative autem in conclusione habent, decem tantum vere logicae remanent ordinationes propositionum, ex quibus recta et immediata profluat conclusio, hisce autem earum repetitionibus detractis, quinque solum remanent. Quae ut veluti sub oculis ponantur, exemplum exhibemus ordinationum huiusmodi. Interea monemus 1.° hisce quinque modis addendos fore eos, uti mox videbitur, quos binae veterum leges — nil sequitur geminis ex particularibus unquam —; utraque si praemissa neget nil inde sequetur — proscripserunt.

485.° 2.° Propositiones quoad quantitatem perspectae dispesci possunt in determinatas, et indeterminatas: generales quippe et singulares, sunt determinatae; peculiares autem *(aliqui aliquid)* modo indeterminatae, modo fixae, vel determinatae. Quoad qualitatem autem dividuntur in affirmativas, et negativas. Quare syllogismus legitimus

est, si propositiones praedictae (litera initiali indicatae) his modis disponantur in maiore, minore, et conclusione: 1.° si maior sit D A, minor D A, conclusio D A; 2.° vel D A, I A, I A: 3.° vel D N, I A, I N, 4.° vel D A, D N, D N: 5.° vel D A, I N, I N, si igitur aut uno aut altero ex hisce quinque modis propositiones disponantur, directa et immediata conclusio subsequitur.

CAPUT SECUNDUM

DE REGULIS RECTE, AC SOLIDE ARGUMENTANDI

ARTICULUS PRIMUS

REGULAE UNIVERSALES PRO RECTA ARGUMENTATIONE

486.° Triplex est, uti meminimus, argumentationis species, nempe argumentatio *entica* vel *obiectiva, conceptualis* vel *dialectica,* et *verbalis:* hinc triplex itidem syllogismus, *enticus* vel *obiectivus, conceptualis*, vel *dialecticus*, et verbalis (1). Hisce autem recte conficiendis unica, atque universalis praescribitur regula, scilicet — argumentatio ad rectam conclusionem procedit, si conclusio in toto syllogistico maioris per medium terminum expresso contineatur, altera autem ex praemissis revera eam includi manifestet —. Exinde enim ceu regula consequitur — quod de toto syllogistico praedicatur vel negatur, etiam de eius partibus (inter quas conclusio) praedicari —. Hoc est principium Aristotelicum — dictum de omni, dictum de nullo.

487.° Totius autem syllogistici plures species numerantur secundum syllogismi entici, conceptualis, vel verbalis naturam. In syllogismis *enticis*, qui rerum naturam respiciunt, totum syllogisticum aut est extensionis aut comprehensionis (2). Totum syllogisticum extensionis est conceptus genericus vel specificus, quibus ideae specierum et individuorum subsunt. Totum syllogisticum *comprehen-*

(1) Haec trina syllogismi distinctio respicit modum, quo identitatem termini medii cum terminis conclusionis probamus. Identitas enim probari potest 1.° vel entitates aut naturas terminorum oum entitate medii termini exigendo (syllogismus enticus): 2.° vel formam conceptualem terminorum cum forma conceptuali medii termini comparando (syllogismus conceptualis vel dialecticus): 3.° vel formam verbalem terminornm formae verbali medii termini referendo (syllogismus verbalis).

(2) Hinc syllogismus enticus pariter in syllogismum extensionis, et comprehensionis partitur.

sionis est conceptus integer, qui respectu ad sua elementa uti totum consideratur. Praeterea totum comprehensionis multiplex est, 1.° comprehensivum formale, idest conceptus characteristicus rei alicuius, puta hominis, referens animalitatem videlicet, intelligentiam etc. — homo ornatur animalitate etc. atqui Petrus est homo; ergo et ipse ornatur animalitate etc. — 2.° Comprehensivum reale, vel totum aliquid reale, quod vel reapse, vel mentaliter in plura discerpi potest. Huiusmodi potest esse vel totum comprehensivum temporis — Deo quovis tempore serviendum est —; atqui nunc est tempus —: ergo etc. vel totum spatii — anima toto corpore effunditur —; atqui pes est pars corporis —; ergo etc.; vel totum compositum — bellua anima et corpore componitur —: atqui leo est bellua — ergo etc.; vel totum copulativum, vel collegatum, ex quo aliud infertur — si fumigat, latet ignis — atqui cineres fumigant — ergo etc.; vel totum collectivum — septem referuntur sapientes Graeciae — atqui Thales unus ex his septem fuit; ergo etc. Totum autem syllogisticum cuiusque speciei in medio termino syllogismi residet.

488.° Syllogismi conceptuales eo contendunt, ut varias formas, quibus eadam veritas concipi potest, cum termino medio formae aequivalentis identificando, identitas veritatis in variis expressionibus pateat (1). Sic, ut ostendatur non aliud esse obiectum primitivum mentis, vulgo lumen rationis dictum, ac sit idea entis, uti aiunt philosophi, sed idem prorsus duabus hisce formulis, luminis rationis, et idea entis enunciari, sequens syllogismus conceptualis institui potest — vulgus tanti habet lumen rationis, ut sine ipso mens nihil cognoscat —: atqui philosophi tantidem aestimant ideam entis —; ergo hoc est lumen rationis, quod idea entis —. En quomodo syllogismus conceptualis eamdem sub formis diversis veritatem detegit. Huiusmodi syllogismi genere utuntur maxime iudices, et advocati, ut detractis variis circumstantiis, relationibus, adiunctis, nudam vel revelent, vel inquirant veritatem facti. In hisce argumentationibus totum syllogisticum potest esse quidpiam ad veritatem spectans, puta, qualitas, relatio etc. quibus aliae qualitates et relationes diversimode expressae vix referuntur, tota atque integra veritas comperitur; ideoque totum syllogisticum in medio termino etiam situm est.

489.° Syllogismi verbales veritatem diversis vocabulis prolatam eamdem esse pandunt: v. g. si scirem quemdam, qui Petrus dicitur,

(1) Diversitas conceptualis rei alicuius provenit 1.° vel ex diversitate organi, quo res percipitur, visu, tactu, etc. 2.° vel ex diversa reflexione, quae quo sublimior est, sublimiorem etiam formam concipiendi praebet, uti colligitur ex discrimine cognitionis popularis et philosophicae: 3.° vel ex diversis relationibus, sub quibus res perpenditur.

aliquod facinus commisisse; deinde alterum, nomine Paulum, exilio mulctatum fuisse, atque demum utrumque esse filium primogenitum cuiusdam Ioannis, statim infero, duo nomina Petrum et Paulum idem individuum significare. Terminus medius in hoc syllogismo, scilicet — filius primogenitus Ioannis — totum syllogisticum continet.

490.° Quibus seorsim explicatis, concludimus 1.° cuiuslibet speciei syllogismum recte concludere, si adest in una praemissarum totum syllogisticum, quo conclusio implicatur, atque altera praemissarum eam reapse implicari declarat. 2.° Atque ideo medium terminum totum syllogisticum evadere, si maiorem aut saltem tantam babeat extensionem, quantam subiectum conclusionis, vel thesis, necnon maiorem vel tantam comprehensionem, quantam thesis, vel conclusionis praedicatum (1).

ARTICULUS SECUNDUS

EXIBENTUR REGULAE SPECIALES ARGUMENTATIONIS

491.° Huiusmodi regulae speciales, quae scilicet singulos terminos, et propositiones argumentationis seorsim considerant octo recensentur.

1.° — Propositiones syllogismi, neque plus neque minus quam tres sint oportet —. Si enim due fieri debent comparationes in syllogismo, subiecti nimirum et praedicati thesis cum termino medio, atque inde conclusio deducenda, tres tantum requiruntur propositiones. Quod etiam valet pro syllogismis dependentibus, quia principium dialecticum subintellectum est ipsis extraneum, atque alio syllogismo superiore exponi potest, cuius thesis fit maior syllogismi dependentis.

2.° — Unicus tantum sit in syllogismo terminus medius —. Ipse enim est mensura, cui termini conclusionis exiguntur; ergo unicus esse debet; secus terminorum relatio non deprehenderetur.

3.° — Termini idest subiectum et praedicatum thesis, atque ipse medius terminus, eodem sensu semper intelligantur —. Nam si pollerent aequivocatione tunc plus quam tres termini, atque duplex terminus medius haberetur, quod est contra formam et finem syllogismi. Haec duplicitas medii termini exurgeret, si ipse bis particulariter etiam sumeretur.

(1) Hinc philosophi germanici qui ex idea infinitae extensionis et minimae comprehensionis, cuiusmodi est idea entis, intulerunt — intuitionem ipsius absoluti infinitae comprehensionis, et nullius extensionis — , hanc regulam rectae argumentationis infregerunt.

4.ª — Terminus medius conclusionem non ingrediatur —. Conclusio est sedes termini comparati; terminus medius e contra est terminus comparationis, qui ideo in praemissis ubi comparatio peragitur, esse debet.

5.ª — Conclusio in affirmando vel negando non excedat praemissas —. Ipsa enim ex comparatione terminorum cum termino medio resultat, ideoque debet tantum negare et affirmare, et quidem generaliter et particulariter, prout comparatio praemissarum expostulat.

6.ª — Binae praemissae si particulares indeterminatae aut vagae sint, nullam edere possunt conclusionem —. Atque hinc emendata conspicitur regula veterum, quod ex praemissis particularibus et singularibus nihil recte inferatur. Nihil quidem inde infertur si peculiares indeterminatae, non autem si fixae et determinatae fuerint, ut quae totum syllogisticum includunt: v. g. quaedam animalia sunt quadrupedes, — atqui quidam quadrupedes sunt carnivori —; ergo quaedam animalia sunt carnivora —. Praemissae sunt ambae particulares, sed fixae, seu ut ait Volfius, propriae, ideoque conclusionem pariunt.

7.ª — Similiter ex duabus praemissis negantibus generatim nulla fluit conclusio —. Ex eo enim quod medio termino non conveniant termini conclusionis, non sequitur profecto inter se convenire aut non convenire. Haec regula non est tamen absoluta, uti veteres opinabantur, sed duas exceptiones admittit, in quibus recta emergit conclusio. 1.° Si negatio aut ad subiectum, aut ad praedicatum transferri potest — ex. gr. — quod est simplex non dissolvitur —; anima humana non dissolvitur —; ergo est simplex —. Recta quidem conclusio, quia negatio tam subiecto, quam praedicato uniri potest; — quod est simplex est non dissolvibile (praedicatum negativum), atqui etc. ergo etc.: vel, — quod non dissolvitur (subiectum negativum) est simplex; — atqui anima etc.: ergo etc. 2.° Ex duabus negativis descendit quoque conclusio, si de praedicato iam denegato aliquid amplius inficiatur adeo, ut subiectum maioris negativum fiat — quidam homines non sunt humiles —; atqui quidam homines non humiles neque virtutem diligunt —, ergo quidam homines virtutem non diligunt.

8.ª — Identitas medii termini cum duobus terminis thesis ope trium tantum propositionum innotescere debet —. Hac lege praescribitur, ut praeter tres propositiones syllogismi, atque principium dialecticum eiusdem, nihil aliud, vel alia non advocetur propositio; secus enim signum est conclusionem inde illatam non esse immediatam, sed mediatam, uti est conclusio peculiaris affirmativa ex duabus praemissis universalibus affirmativis, quae ope quartae propositionis utique nanciscitur; ideoque mediata nuncupatur. Ideo superius dictum est, quod forma syllogismi sit una et trina; una in toto syllogistico, trina in propositionibus.

Atque hae quidem regulae tot sunt regulae supremae argumentandi applicationes.

CAPUT TERTIUM

DE VARIIS ARGUMENTATIONIS SPECIEBUS

492.° Argumentatio potest dupliciter inspici, quoad formam, et quoad materiam. Quoad formam innumerae esse possunt argumentationis species tum 1.° secundum varias vocabulorum significationes, quibus ideae exprimi soleut, atque locationes ellipticas, pleonasticas, implicitas, explicitas, complexas, aequivocas linguae (del linguaggio) quae, uti notum est, in inflexionibus, phrasibus, periodis, pronuntiatione infinite propemodum variare potest, adeo ut sit pene impossibile signa et formas syllogisticas eodem modo determinare, quo formulae supputationum algebricarum ; 2.° tum secundum diversas mentis operationes, quae in eodem conceptu versantur, atque sub pluribus aspectibus ipsum repraesentant. Satius ergo nobis est, quasdam tantum formas speciales syllogismi caeteris usitatiores excerpere, cuiusmodi sunt *enthimema*, *epicherema*, et *sorites*.

493.° Quoad materiam vero syllogismi, quaedam etiam inde emergunt species, vel modi intrinseci syllogismi, quorum praecipui quinque censentur, nempe *additio, subtractio, proportio, integratio, circulus solidus* vel *regressio*. Hae totidem sunt formae logicae verae argumentationis, quibus mathematici potissimum utuntor, etsi earum haud logicae tractatores hactenus nusquam meminerint; et quod peius est, ac vehementer deplorandum, etiam nunc postea quam detectae et exploratae fuerunt, parvipendantur, aut diris devoveantur aut clandestinis consiliis oppugnentur, aut proditorio silentio palam praetergrediantur ab iis etiam, qui caeteroquin ex infimis opellis vilia quaeque et pudenda conscribillant, atque interea se iuventutis magistros peritos, aequos, infallibiles, ac sequendos tamquam servum pecus iactant. Vae invidis veritatis impugnatoribus, qui bonum malum, et malum bonum dicunt! *Spiritus veritatis*, in quem audacter peccant, testis erit inter eos et veritatem, necnon iudex districtissimus in revelatione conscientiarum.

ARTICULUS PRIMUS

SPECIES ARGUMENTATIONIS IUXTA FORMAM SYLLOGISMI DISTINCTAE

§. 1. *Enthimema.*

494.° ***Enthimema*** est = syllogismus obtruncatus, vel crypticus, cui videlicet aut una, aut alia ex praemissis, utpote per se evidens et facilis subintellectu, brevitatis gratia omittitur =. Saepe unica propositione videtur enthimema contineri, quae ideo enthimematica nuncupatur, uti — religiosus evadisti, ne amplius mundo commiscearis —. syllogismus perfectus enthimati subsequenti coniunctus dicitur ***polysyllogismus***.

§. 2. *Epicherema.*

495.° ***Epicherema*** = est syllogismus, cuius praemissae probatione roborantur, sive quod ea indigeant, sive ex abundantia, et maioris claritatis causa =. Oratio concinne disposita, ac numerosa, quoddam epicherema est, iuxta eloquentiae praecepta exornatum atque effusum.

§. 3. *Sorites.*

496.° ***Sorites*** dicitur = series propositionum adeo inter se connexarum, ut praedicatum primae succedat in subiectum secundae, et ita porro, donec subiectum primae adstipulatur praedicato ultimae, quae est soritis conclusio =. Haec argumentatio adhibetur, si unus tantum terminus medius non sufficit identitati inter subiectum et praedicatum conclusionis statim cognoscendae; ideoque plures termini eliguntur, quorum unus identificatur altero, atque primum identificatur ultimo. Rectum tamen est hoc argumentandi genus, utpote innixum hoc principio — quod praedicato tribuitur, tribuendum pariter est subiecto eiusdem —. Hinc v. g. si verum est avaris cupiditatem competere, cupiditati insatiabilitatem, insatiabilitati privationem, privationi infelicitatem, verum consequenter erit — avaros esse infelices — quia infelicitas, praedicata alternando, ostenditur virtualiter inclusa in cupiditate, quae si avaris congruit, congruunt itidem ipsis quae insunt cupiditati, itemque infelicitas.

ARTICULUS SECUNDUS

SPECIES ARGUMENTATIONIS SECUNDUM MATERIAM SYLLOGISMI, AUT ORDINEM INTRINSECUM ENTIS

497.° Propositiones, quae materiam syllogismi constituunt, aut ideas puras, aut realitates cognitas continent, quae, uti patet, varias inter se relationes, et nexus ideales, vel reales habent; quibus proinde cognoscendis variae praesto sunt viae secundum earum naturam idealem vel realem. Hinc tot argumentationis modi intrinseci oriuntur, seu secundum materiam syllogismi, qui principio — aequalitatis duorum terminorum cum tertio — vel principio — totius syllogistici — reguntur, cum eo quidem discrimine, quod tot species totius syllogi-gistici occurrunt, quot sunt argumentationis.

§. 1. *Additio —, Inductio — Exemplificatio.*

498.° *Additio* = est species quaedam argumentandi, quae partes singillatim enumeratas unica propositione complectitur =. Ioannes fuit, Apostolus; Ioannes fuit Evangelista: ergo Ioannes fuit Apostolus et Evangelista. Quod si habeatur vocabulum aequivalens summae partium, tunc ultima propositio potest hoc vocabulo simul confici. Aliud tamen est, ac syllogismus, utpote medio termino destituta. Nihilominus solida est, et hoc principio dialectico eius totum syllogisticum subauditum comprehenditur — partes simul sumptae adaequant totum, vel, e converso —.

Additioni similis est *inductio*, = qua ex multis rebus singularibus observatis, atque quasdam qualitates, aut operationes fixas semper ferentibus, concluditur ad speciem, vel ad legem generalem rebus perpensis communem =. Quae quidem conclusio inductiva, licet maximi usus, atque scientiarum naturalium fundamentum, necessitatem absolutam non inducit.

Inductioni quodammodo adscribi videtur *exemplificatio*, seu = argumentandi genus, quo facto aliquo peculiari principium aliquod universale, quod interdum necessarium esse potest, in mentem revocamur =: ex. gr. si quaeras quaenam ex duabus gemmis, quas cernis, pluris sit aestimanda, tibi respondetur — pretiosior — cur? — quia meliora sunt inferioribus anteponenda —. En veritas universalis gemmarum occasione recordata, non autem primo inventa, uti in inductione accidit.

§. 2. *Subtractio — Dilemma*.

499.° *Subtractio* = ea est argumentatio, qua cuidam datae propositioni aliquid detrahitur =. Cum autem propositiones aut ideis, aut affirmationibus possibilibus, aut affirmationibus realibus vel assensibus, aut dubiis constent, binc variae consequuntur subtractionis species, subtractio scilicet idearum, affirmationum possibilium, assensuum, et dubiorum. 1.° Subtractio idearum fit, cum ideae cuidam quidquam subducitur, atque residuum tantum exprimitur. Sic ex idea mille florenorum, quibus villa aestimatur, deductis decem florenis pecuniae vectigalis, remanent nongenti ac nonaginta floreni, quanti scilicet villa babetur. Item: — idea entis menti erepta exurgit idea nihili —. Item: — si, omnibus domus locis perlustratis, Petrus v. g. nondum invenitur, infertur domi non esse —: — si ab ente quodam aliquae partes removeantur, remanent caeterae; si omnes, nihil —.

500.° Huinsmodi subtractionis species est etiam *dilemma*, seu = argumentatio, quae ex duobus membris propositionis disiunctivae duas infert conclusiones utrinque adversario contrarias =. Ast adversario duabus bisce conclusionibus perstringendo requiritur 1.° ut enumeratio propositionis disiunctivae sit perfecta, sicque ipsi nullum pateat effugium; 2.° ut propositio disiunctiva certa sit, atque adversario probabilitatem contradicendi auferat; secus dilemma facile poterit intorqueri: v. g. si quis vellet hoc dilemmate probare, reges odio habendos fore: — reges aut impios puniunt, ant ipsis indulgent: si primum, impii eos odio habent; si secundum, probi; ergo reges semper odio babentur —. Quod dilemma sic retorqneri posset, probando reges amore semper prosequi: — aut enim ipsi impiis blandiuntur, aut poenas decernunt: si primum, ab impiis amantur; si secundum, a bonis; ergo amore etc.

501.° 2.° Subtractio affirmationis possibilis evenit, cum propositio, quae possibilis, vel affirmatu possibilis censebatur, impossibilis aut absurda detegitur, idcirco nihil significat: v. g. — datur numerus infinitus —. Latente enim adhuc repugnantia numeri infiniti, prima fronte haec propositio ceu possibilis admittitur, respuitur autem, hac repugnantia detecta. Eius principium est — si una propositionis pars alteram repellit, propositio est tantum opinativa, vel apparens, idest sine affirmatione possibili, seu affirmari neqnit, etiamsi mens serio vellet —.

502.° 3.° Subtractio assensus exercetur, cum propter defectum rationis sufficientis, ab aliqua propositione iam gratis recepta, assensus cohibetur, atque vel falsa, vel dubia declaratur. Cuius argumentationis principium dialecticum eiusmodi est, — numquam sine ratione sufficienti assentiatur —.

503.° 4.° Subtractio dubii habetur, si dubium ab aliqua propositione removetur, et uti vera accipitur. Principium autem dialecticum huiusce subtractionis est: — propositio dubia, dubitatione depulsa, vera evadit —.

§. 5. *Proportio*.

504.° *Proportio* est = genus intrinsecum argumentandi, quo, cognita ratione quantitativa duorum terminorum, deducitur relatio item quantitativa tertii cuiusdam termini noti ad quartum terminum ignotum =. — v. g. 2 : 6 :: 3 : x seu 9 —. Ex hac argumentatione duplex exoritur quantitatis illatio, argumentativa et diminutiva, seu a minori ad maius, et a maiori ad minus. Exemplum primae: — si virtus decet Christianum, a fortiori Presbyterum —. Exemplum secundae: — si in Presbytero non est honesta recreatio improbanda, multo minus in laico — (1).

Triplici autem modo conficitur proportio; 1.° si praedicatum cuidam subiecto respectu suae maioris, vel minoris magnitudinis competit, tum aucta, vel diminuta subiecti magnitudine, mutatur etiam magnitudo praedicati. Hac proportione vim respectivam triplicis vectis physici cognoscunt. 2.° Si subiecta quaedam alicuius generis, aut speciei dato praedicato pro data eorum amplitudiue gaudent, cognita ut primum ratione quantitativa inter subiectum et praedicatum, infertur etiam ratio quantitativa praedicati cum altero subiecto cognito: ex. gr. equus tantae fortitudinis currum A pondere B vehit, equus alter, qui dimidio minoris fortitudinis potiatur equi prioris, dimidium solummodo curri A ponderis B vehere potest. 3.° Si aliquid, puta quantitas actionis adhuc incomperta, inquiritur de aliquo subiecto, cuius maior quantitas iam praenoscitur, saltem concludi potest ipsum caeteras minores quantitates actionis ferre: ex. gr. — Si Petrus integram eamque prolixam lectionem memoriter discit, potest etiam quasdam preces breviores memoriae mandare —: qui pondus sustulit mille librarum, cur non centum (2)?

505.° Iamvero principium dialecticum progressionis a minori ad maius, vel ascendeutis est, — subiectum et praedicatum sunt in

(1) Specimen proportionis habetur in hac celeberrima Ioannis Kepleri propositione, quae legem fundamentalem, et quasi clavem continet totius nostri systematis caelestis: — quadrata temporum periodicorum planetarum, sunt cubis distantiarum a sole proportionalia —.

(2) Proportio aut certa, aut probabilis esse potest, prout certe aut probabiliter tantum cognoscitur ratio quantitativa trium terminorum, eorumque relationes reciprocae.

ratione directa — ; idest aucto, vel imminuto subiecto, augetur, vel imminuitur praedicatum. Principium dialecticum progressionis a maiori ad minus, vel descendentis, est — subiectum et praedicatum sunt in ratione inversa — ; idest dum subiectum augetur minuitur praedicatum, et vicissim.

306.° Operationibus arithmeticis, multiplicationis, et divisionis fere semper immiscetur proportio. Cum enim ex. gr. tabernarius quaerit praetium totale 20 librarum casei, quem nuper pretii libralis 15 obulorum emerat, atque invenit esse tercentorum obulorum, videtur numerum 20 duxisse per 15: ast ipse potius proportione in mente usus est hac pene formula — si unam casei libram tanti pependi, quanti ergo librae 20 —? En vera proportio. Eodem pacto si ipse inquirit quanti minutatim caseus aestimetur, quem in globo emit, haud profecto divisione sed proportione magis utitur huic problemati solvendo, scilicet — omnes casei libras tanti acquisivi; quanti ergo libram unam? quanti drachmam? Miscentur ergo quam saepissime modo una, modo altera, modo ambae simul hae duae operationes arithmeticae cum proportione, cui coniunctae ad logicam, inde autem solutae ad arithmeticam pertinent.

§. 4. *Integratio — Analogia*.

307.° *Integrationem* = eam appellamus argumentationis intrinsecae speciem, qua ex notis ad ignota assurgimus, ut conceptum imperfectum rerum iam cognitarum, ignotorum inventione, quibus cognita ontologice referuntur, perficiamus =. Qua certe argumentandi specie ex visibilibus ad invisibilia provehimur, ex factorum notione ad eorum causas, ex sensationum imaginibus, quae in animos nostros irrumpunt, ad corpora externa attingenda veluti prosilimus (1), eadem semper ducti ratione, scilicet — cognitione alicuius rei conditionalis, quae conditionem vel causam suae existentiae expostulat —.

308.° Sicut philosophi in conceptibus integrandis, item artifices in operibus instaurandis, ad integrationem confugiunt, uti videre est plerumque inter artifices, qui defosso aliquo antiquo simulacro, pedes aut manus, aut aliquam partem fractam, tanta partium adiunctarum perfectione, regularitate, et aptitudine ipsum ad propriam formam restituunt, ut fortuito postmodum parte amissa ruderibus reperta,

(1) Hinc perceptio intellectiva corporum quaedam est integrationis species naturalis et immediata, idcirco nondum vera argumentatio, quae est essentialiter mediata. Potest tamen factum perceptionis intellectivae in formam argumentationis a reflexione converti.

simillima, atque eiusdem prorsus formae visa fuerit. Quae quidem similitudo ex eo deducta est, quod artifex essentiam integram et perfectam simulacri statim divinatus fuerit, cui perficiendae partes confractas iterum appinxit iuxta nativum ordinem completum earumdem. Item se gessit Cuvier, geologus celeberrimus, qui ex quibusdam sparsis animalium ossibus petrificatis, integram corporum structuram collegit. Item astronomus Leverier, qui ex irregularibus Urani oscillationibus intulit existentiam et situm planetae ignoti optycis instrumentis postea comperti, qui Neptunus dictus est. Integrationi ergo recte exercendae requiritur cognitio ordinis intrinseci entium, quorum idea vel realitas est studio aut arte perficienda. Quocirca si ordo intrinsecus rei sat non fuerit perspectus, aut solum accidentaliter, integratio haud ad rei veritatem infallibiliter conducit, sed ad probabilitatem eiusdem dumtaxat: fieri enim potest, ut pars adhuc incomperta ordini intrinseco rei absolvendo non sit necessaria, ideoque neque potest necessario inferri: v. g. si viso per fenestram usque ad pedes homine, inferrem subter fenestram pedes habere, illatio non foret necessaria, neque propterea infallibiliter vera, quippe quod nil repugnat, quin saepe accidit, ut homo pedibus careat, quia pedes non sunt pars essentialis naturae humanae. Contra si hominem ratiocinantem audiam, sine haesitatione, et quidem necessario inferre licebit, eum animo pollere invisibili, quia animus de essentia hominis est.

509.° Principia dialectica istiusmodi argumentationis plura sunt iuxta conceptus perficiendi naturam. Si enim agitur de entibus finitis generatim, duo principia habentur, nempe causalitatis, et substantiae: si autem de entibus finitis in specie, loco principii sunt eorum essentiae genericae, vel specificae hac formula expressae — unumquodque ens sua debet integra essentia constitui: hinc admissa eius existentia, tota consequenter est eius essentia item admittenda —. Sin autem sermo est de integratione, quae versatur in relatione inter ens infinitum et finitum, tria ipsi sunt principia dialectica, 1.° principium causae; 2.° principium rationis sufficientis; 3.° principium dependentiae entis finiti ab infinito, quod dici etiam solet principium religionis.

510.° Integratio probabilis *analogiam* generat, quae est = argumentatio ex propositione generali per inductionem comparata, factum aliquod inducens =. Sic ex eo quod inductione constat, legem esse naturae constantem, ut singulis diebus mane diluceat, concludimus per analogiam, cras quoque idem futurum esse. Analogiae maximus usus est in physicis iuxta ac in historicis et civilibus. In rebus physicis analogia est unum ex physicae principiis, in historicis est regula artis criticae, in civilibus norma prudentiae. Nullibi autem ex se certitudinem rei illatae parit, quia propositio universalis, cui insistit, est inductiva, idest ex contingentium regularitate solum collecta.

§. 5. *Circulus solidus, seu regressio.*

311.° *Circulus solidus*, vel *regressio* dicitur = argumentatio, qua mens cognitione virtuali et implicita totius, vel principii universalis, (d'un tutto) naturaliter innixa, ad cognitionem actualem et explicitam rei cuiusdam specialis progreditur, ex qua cognitione actuali veluti subsiliens ad cognitionem plus minusque actualem, et explicitam totius, vel principii universalis, unde caepit, quodam ferme circulo in girum acta, regreditur =. Hanc regressionem praecipit ipsa mentis conditio, quae cum nihil peculiare explicite cognoscere valeat, quin prius virtualiter totum aliquod universaliter noverit (uti saepe inculcat s. Thomas; nimirum mentem ab universalibus ad singularia transire) eius ductu ad peculiaria cognoscenda quasi descendit (1).

Hoc pacto mens ideam entis, ceu medium et formam rebus percipiendis, quin id animadvertat, adhibens, statim ac ope reflexionis abstrahentis, eam singulis ideis latentem deprehendit, sibi baud amplius ipsam aut ut formam aut ut medium cognitionis, sed qua obiectum exhibet, vel, ut ait s. Thomas, rationem entis, idest eius naturam, leges, usum et miram fecunditatem apprehendit: procedit ergo a notitia virtuali et implicita ideae entis ceu formae et medii cognitionis ad ipsam ideam entis uti obiectum cognitionis inspectum; non est ergo eadem cognitio, neque propterea de eodem in idem secundum eumdem respectum, uti in circulo vitioso contingit. Item, mens corpora primo percipiens, virtualiter tantum in primis novit ea contingentia esse; deinceps reflexione accedente, explicitam acquirit ideam eorum contingentiae, qua virtualiter notio relativa infiniti involvitur, eoque, cum explicita et actualis evaserit, regressio completur. Immensum systema Rosmini hoc circulo volvitur. Ex idea entis utpote medii cognitionis proficiscens scientias ideologicas, psychologicas et morales ab eiusmodi medio cognitionis fluentes perlustrat: deinde ideam entis veluti obiectum perpendens, invenit ens perfectum triplici forma essentialiter constitui, quibus formis abstracte expensis, ontologia, concrete autem sumptis theologia naturalis nanciscitur, atque ita scibile humanum a fine usque ad finem totum pertingitur, itemque unitati cuidam potentissimae, atque universalissimae coadunatur, ut centro circumscribitur circuli peripbaeria (2).

(1) Idipsum in ideogonia saepe recurrit, cum fere ubique diotum fuerit cognitionem ex quadam applicatione universalis ad singularia oriri.

(2) Iam in praef. protolog. vidimus — scibile humanum in orbem veluti circumquaque ferri —; quod quidem veteres nonnulli videntur praesentire cum animae tribuunt figuram sphaericam.

512.° Haec argumentatio tota fulcitur synthesismo naturae, quo plura simul intrinseca relatione adeo complectuntur, ut ipsa mens prius eorum totum, vel complexum sed confuse, cognoscit, postea partes seorsim et quidem explicite, deinde ad totum explicite cognoscendum redit. Hinc lege huiusmodi synthesismi naturae obstricti, nequimus v. g. de ente reali loqui, quin ens ideale uti medium et formam cognitionis subintelligamus, neque de ente ideali tamquam obiecto, quin eius realitas et moralitas subiectiva supponatur. Idem dicendum de argumentatione ab effectu ad causam, et a causa ad effectum. Prima argumentatio vocatur ab Aristotele — demonstratio quod —, posterior — demonstratio quid —.

SOPHISTICA

513.° Haec de sophismatibus sectio eas comprehendit apparentes argumentationis species, quae magis aut minus formae syllogisticae similes numerantur, etsi tales de facto non sunt, atque perinde falsitati vel errori magis, quam veritati insinuandae solent a sophistis adhiberi (1). Hae propterea species adulterinae, vel captiosae argumentationis ad cavillandum usae, sophismata fuerunt passim nuncupata, quorum falsitas modo ex defectu verae formae syllogisticae; modó ex defectu veritatis in materia eiusdem; modo ex disputationis scopo originem ducit. Atque hinc triplex sophismatum genus, quod seorsim nobis persequendum, enucleandumque praescribitur.

CAPUT QUARTUM

SOPHISMATA, QUAE IN ARGUMENTATIONIS MATERIA PECCANT

514.° Materia syllogismi in tribus, quibus ipse componitur, propositionibus reperitur: propositiones autem subiecto et praedicato invicem copulatis constant; ergo veritas materiae syllogisticae est ipsa eademque propositionum veritas, quae ex relatione reciproca subiecti ad praedicatum dependet. Hinc vera tunc censetur propositio, si relatio istiusmodi item vera aestimatur, secus autem falsa. Porro mens quoad relationem praedicati ad subiectum discernendam potest tribus de causis hallucinari, 1.° vel quod subiectum sat accurate ipsa non

(1) Sophistes appellabantur ii, qui ostentationis et quaestus causa philosophabantur: maxima fuit et gravitatis et ingenii gloria — Cic. in Lucull. Quam quidem ostentationem ut adsequerentur, nonnumquam confundebant fas nefasque: inde sophistica despectui haberi caepit. — Vid. Plat. proth. — soph.

cognoscit; 2.° vel quod praedicatum ipsius item quantum opus foret non attingit; 3.° vel quod apparentem aut partialem nexum inter praedicatum et subiectum interpolat. Quapropter tria iam inde exsiliunt sophismatum genera habito ad materiam syllogismi respectu 1.° sophismata ex confusa subiecti notione; 2.° sophismata ex confusa notione praedicati; 3.° sophismata ex nexu erroneo, vel ex supposititia convenientia totali praedicati cum subiecto, de quibus mox singillatim.

ARTICULUS PRIMUS

SOPHISMATA EX CONFUSA SUBIECTI NOTIONE CONGESTA
SOPHISMA ABSURDI, UT AIUNT, IMPLICITI

315.° Hoc sophismate propositio antiperistasis, laborat, in cuius subiecto veluti funditus aliquod tegitur absurdum non sat, neque extemplo perspectum; ex. gr. — plantae numero infinitae ideam genericam plantae exhauriunt —. Absurdum subiecto huiusce propositionis implicitum, si vides, certe delitescit, nempe numerus infinitus, qui ex absurdis est. Ideoque haec propositio, itemque aliae permultae mathematicae, quae perinde suppositione — numeri infiniti — fundantur, idem necessum est absurdum redoleant, nihilque veri in seipsis includant, si vocabula, quibus sane haud sane nexum, at elementa tantum propositionum huiusmodi seorsim proferre consuescimus, ademeris.

Eiusdem generis aestimantur propositiones quaedam, mendaces nuncupatae, quae tria tempora in unum congerentes, praeteritum nempe, praesens et futurum, rem adeo congeste exprimunt, ut ipsa eademque una esse ac non esse videatur. Quibuscumque ergo ex hisce propositionibus syllogismus componitur, sophisma est absurdi impliciti.

ARTICULUS SECUNDUS

SOPHISMA INFINITI NON PERCEPTI

316.° In hoc sophisma toties homo impingit, quoties in Deum, cuius existendi modum, ordinem et dignitatem directe et positive non intuetur, quae sunt creaturarum transfert, eique applicat, iuxta atque si Deus a nostra natura disiunctissimus, sit nobis in existendo persimilis. In hanc autem confictionem pertrahimur, quia idea negativa et vacua, quam fuimus naturaliter de divinitate nacti, minime contenti, nitimur eam, operantè, et suggerente imaginatione qualitatibus

creatis confercire seu positivam et plenam reddere. Systemata Schelling, Hegel, Gioberti, aliorumque pantheistarum speciei cuiuslibet, si penitus introspiciantur, tot sunt commenta sophismati infiniti non percepti superstructa.

Ex hoc sophismate initia subinde traxerunt anthropomorphismus, zoomorphismus, idololatria, atheismus et fatalismus. Tres enim primi errores inde conflati fuerunt, quod homines rudes nimis et effraeni imaginatione potius, quam ratione compulsi, sensibilia vel quae ad homines, vel quae ad res mundanas, animatas vel inanimatas pertinent simul, ideam Dei implendi causa, coacervantes, Deum corporeum, ac interdum monstruosum sibi plasmarunt, formis scilicet hominis, aut belluarum, aut etiam entium materialium refertum. Atheismus praeterea exhinc itidem deductus est, quia homines cum Deum nullis posse creaturis finitis conformari rectius perspexissent, de idea negativa et vacua divinitatis tamquam de chimaera suspicari caeperunt, atque eo deducti fuerunt dementiae ac impietatis, ut nullum Deum esse decernentes, atheismum invexerint. Fatalismus denique ex sophismate infiniti non percepti item pullulavit, quippe cum homines, ob defectum ideae positivae Numinis supremi, lateat eius modus et ordo res humanas et cosmicas in finem praeordinandi, in hanc desperatam sententiam concessere — nobis nihil curae esse amplius vitae negótia, quia gratuite plane ac ineluctabiliter aut ad penam, aut ad gloriam, sic Deo iubente, praeordinamur —.

ARTICULUS TERTIUS

SOPHISMA INDETERMINATI

517.° Huiusmodi sophisma tunc obtruditur, cum subiectum indeterminatum propositionis cuiusdam pro determinato accipitur; indeque, successive intexitur argumentatio. Huic sophismatum generi referuntur ea, quae nonnumquam pertractantur circa divisionem indefinitam spatii puri, et illimitati; quam quidam determinare cupientes, alii finitam statuunt, ideoque spatium purum constare partibus extensis; alii contra infinitam, atque proinde spatium punctis tantum simplicibus componi asseverant. Ast utrinque erratur, quia spatium purum simplicissimum suapte natura est, atque partium expers undequaque, ut ut imaginatio adnitatur, licet perperam, alias atque alias ipsi portiones postea indefinite dividendas, inserere.

518.° Hoc itidem sophismate peccatur, cum vocabula aut ideae significationis indeterminatae, determinantur, ut ex. gr. accidit iis rebus, quae successivo partium augmento, aut subtractione exurgunt, et diruuntur, uti acervus lapidum, cui formando lapides sunt qui-

dem multi conglomerandi, quin numerus eorum definiatur. Iamvero si quis modo diceret; quemadmodum ex priorum lapidum subtractione nondum acervus destruitur, ita adhuc deinceps perseverat, etiamsi pauci, puta duo aut tres lapides remanserint, sophisma iam hoc ipso perpetraretur. Multae equidem partes acervis construendis requiruntur: earum tamen numerus est indeterminatus; ideoque inferri nequit, sicuti in primis, ita in ultimis lapidum subtractionibus acervum integrum superesse. Non enim elabitur in primis acervus, quia tot numeratis lapidibus non eget; elabitur autem in ultimis, quia lapides videntur minores quantitate indeterminata acervi. Ex hoc acervi exemplio praesens sophisma nomen acervale vel conglobatum penes graecos obtinuit.

CAPUT QUINTUM

SOPHISMATA EX CONFUSA PRAEDICATI NOTIONE

ARTICULUS PRIMUS

SOPHISMA FALSAE CAUSAE

519.° Sophisma *falsae causae* toties committitur, quoties non causa pro vera causa alicuius facti, uti aiunt, admittitur. Eo aliud arbitror non esse sophisma inter homines frequentius. Ad istud enim moliendum homines quadruplici ratione moventur: 1.° moventur ex ipsa inclinatione ingenita res in propriis causis cognoscendi, quibus nondum compertis, alias verisimiles et affines causas pertentant, atque passim, si res politicae agantur, cum ingenti rei publicae et domesticae iactura. Quot enim vessationes, quot seditiones, iurgia, dissidia, caedes, bella sophisma falsae causae non caepit, non incitavit, non fovit usque etiam, uti nuper saevitum est in Urbe Roma, ad crudelissimas insontium interneciones?

520.° 2.° Moventur ex constanti successione quorumdam factorum, quorum tempore primum, causam, secundum, effectum, confestim nuncupant, ac si quia — post hoc, ergo propter hoc —. Sola enim prioritas temporis non sufficit naturae causae constituendae, neque consequenter eius posteritas effectui.

521.° 3.° Moventur ex confusione causae cum occasione, conditione, circumstantiis, obstaculi remotione, aliisque id genus, quae licet magis aut minus in causam influant, ab ea tamen disiunctissima sunt, atque alterius prorsus naturae.

522.° 4.° Moventur demum ex nimia reverentia erga comaedos, histriones, circulatores, aut etiam viros positive doctos, et praece-

ptores, quibus idioti praesertim ac imbecilles ad quaeque ridicula etiam sine examine admittenda inducuntur, ea solum de ratione quia — ipse dixit — (1).

ARTICULUS SECUNDUS

SOPHISMA — FACTI CHIMAERICI

523.° Sophisma *facti chimaerici* illud est, quo, facti memoriae quidem proditi, at numquam habiti, causa inquiritur. Hac enim inquisitione iam facti existentia tueri videtur, quae aliunde in primis foret solide probanda. Eiusmodi sophismate peccant fere omnes quaestiones de phaenomenis opticis, ac de praevisionibus magnetizzatorum, quorum causam in magnetismo animali inquirere mos physicis quampluribus est. Eodem vitio item investigationes phrenologicae doctoris Gall inficiuntur. Huic autem falsae argumentationi refellendae nil aptius est, quam facti existentiam ante omnia firmis explodere argumentis.

ARTICULUS TERTIUS

SOPHISMA INDUCTIONIS VITIOSAE, AUT ENUMERATIONIS IMPERFECTAE

524.° Sophisma *inductionis vitiosae*, vel imperfectae enumerationis, conficitur, cum ex levi et imperfecta consideratione nonnullorum dumtaxat eventuum, vel individuorum, statim propositio generalis colligitur, quae est praemissis fortior ac redundantior. Quam argumentandi speciem ut quis evadat, duo sunt notatu dignissima: 1.° propositiones vere universales, seu singulis individuis alicuius classis congruentes, ex eorum essentiis educendas fore: 2.° propositiones, ex naturae tantum regularitate, ac ordine, vel ex hominum consuetudine deductas, nullatenus, nec vere, nec essentialiter universales esse, ac proinde neque immutabiliter veras, quamdiu impossibilitas, quod ipsae aliter contingant, non constet; quod si constet, verae; secus autem aut qua probabiles, aut qua falsae sunt existimandae.

(1) Fere omnes blaterones qui absque rubore et plane audacter contra Cl. Rosminium debacchantur ex ipsis sunt, qui eius scripta ne vel summis labiis quidem unquam delibati caecam fidem nonnullis praestant qui in ruinam tanti viri per fas, nefasque, coniurarunt.

CAPUT SEXTUM

SOPHISMATA EX DEFECTU DEBITAE CONNEXIONIS PRAEDICATI CUM SUBIECTO

ARTICULUS PRIMUS

SOPHISMA ACCIDENTIS

525.° Cum praedicatum totaliter ac essentialiter decernitur cuidam congruere subiecto, cui caeteroquin partialiter tantum, vel accidentaliter congruit, in sophisma *accidentis* incurritur. Hoc sophismate vitiantur sententiae eorum, qui propter medicorum imperitiam, artem medicam proscriptam vellent, atque etiam illae ad ravim usque increpitae criminationes in Ecclesiasticos utriusque ordinis, quibus collective sumptis, atque indiscriminatim imputantur scelera et crimina nonnullorum ex his ordinibus, perinde quasi iuxta praescriptum legis cuiusdam canonicae vel monasticae ad flagitia perpetranda, aut aliorum sociorum consensu, suasionibus et minis fuerint ipsi compulsi.

ARTICULUS SECUNDUS

SOPHISMA GENERIS

526.° Sophisma *generis* ex eo producitur, quod alicui subiecto elementum ipsius genericum tamquam praedicatum specificum affingitur, fere ac dicerem: — homo animal est —; canis est animal — ergo canis est homo —. Quod sophisma aperte exploditur hac sola animadversione, scilicet, hominem quoad genus animal quidem esse, non vero quoad speciem rationalem, qua a cane discriminatur. Quare haec propositio, licet auditu creberrima, — homo est animal — strictim sumpta, et prout sonat, falsa conspicitur, ac sophisma gignit falsae propositionis, sin contra ita traducitur — homo quantum ad corpus vivens ex animantibus est — vera evadit; at hoc ipso, propter istam nempe conversionem ut ambigua et aequivoca haberi debet, ideoque adversa legi syllogismi, qua iubetur — significationem terminorum syllogismi eamdem in praemissis permanere —.

CAPUT SEPTIMUM

SOPHISMATA EX DEFECTU FORMAE IDEALIS ARGUMENTATIONIS

ARTICULUS PRIMUS

SOPHISMA AEQUIVOCATIONIS, ET AMPHIBOLOGIAE

527.° Sophismata hactenus enumerata eam in syllogismo legem infringunt, qua veritas in materia, vel in propositionibus syllogismi praescribitur. Quae autem sequuntur ex defectu formae idealis eiusdem, alteri opponuntur legi, qua statuitur — conclusionem in una praemissarum contineri, alteram autem reapse eam includi declarare — quod certe, identitate verbali terminorum integra manente, obtinetur; alias, admissa vel minima sensus verbalis varietate, tota lex periclitatur, iamque sophismata quoad formam incipiunt.

528.° Horum autem sophismatum primum occurrit, quod *aequivocationis* dicitur, idest vocabulis duplicem sensum redolentibus confectum: ex. gr. — vir pius est Deo acceptus —; atqui ego pius sum — (nomine tantum); ergo sum Deo acceptus —.

529.° ***Amphibologia*** vero species est aequivocationis per linguae sintaxim inductae, quae item bifariam intelligi potest: ex gr. — quod est Ciceronis a Cicerone possidetur —; atqui hic liber est Ciceronis —; ergo ab ipso possidetur —.

ARTICULUS SECUNDUS

SOPHISMA PRONUNTIATIONIS

530.° Etiam diversae verborum prolationes solent multoties sophisma conflare: ex diversa enim vocis inflexione, syllabarum coniunctione, vel disiunctione, vel duplicatione, aut reticentia, gravi aut levi accentus sono, vel etiam defectu, vocum aspiratione interiecta vel omissa, dyphthongis positis vel correptis, aliisque id genus plurimis secundum linguarum naturam, totidem aequivocationes oriri possunt sophisticae. Sic versipellis, qui inter risum et nutum, necnon labia ad subridendum concrispata, lacemque malignam oculorum, cuidam theoriae rosminianae addicto, audientibus aliis posceret: — tu qui in naturae, Deique arcanis rimandis recte, semper, feliciterque terribili idea entis duceris, hoc mihi nunc mysterium, quaeso, enuclea —. Quo in casu aliud profecto verba praeseferrent, aliud animus ea proferentis; latet enim sub verborum dulcedine venenum; idcirco qui

ipsi credit, eius praeda fit, cum ad loquendum incitetur non utique, ut inde occasio capiatur eius doctrinae collaudandae, sed maiori despectui habendae.

ARTICULUS TERTIUS

SOPHISMA LOCUTIONIS FIGURATAE

531.° Licet locutionis figurae plurimum ideis explanandis, atque ferme mente pingendis inserviunt, cavendae sunt tamen, ubi res scientificae praesertim aguntur. Imminet enim periculum figurae pro re ipsa figurata usurpandae. Id saepe in sacris aetatis nostrae oratoribus occurrit, quorum orationes plus figuris et allegoriis, quam solidis argumentis redundantes (1), a rudibus auditoribus, numquam in hisce symbolis et figuris ex professo edoctis, vix et ne vix quidem intelliguntur, aut earum figurae tantum, non figurata; quo fit ut audientium cognitiones sub concionem comparatae parum mehercule differant a notionibus materialistarum, vel pantheistarum. Paucos enim arbitror unquam extitisse ex gentilibus sacerdotes aut philosophos, qui de eorum diis corporeis loquentes, tot et tantas adhibuerint materiales figuras rebus divinis exponendis, uti plerisque ex nostris concionatoribus moris est.

ARTICULUS QUARTUS

SOPHISMA SENSUS COMPOSITI ET DIVISI

532.° Sophisma *sensus compositi* illud est, quod propositioni falsae quoad sensum compositum superstruitur: sophisma autem *sensus divisi*, illud item dicitur, quod propositioni in sensu diviso falsae incumbit. Propositio autem vera in sensu composito est, si eius subiecto complexo vel composito praedicatum omnimode convenit, secus est falsa. Qua in re sedulo ea quae subiecto nectuntur sunt perpendenda; scilicet inquirendum est an indicativa, vel etiam determinativa, seu effectiva sint; posteriora enim tantum subiectum compositum vel complexum efformant: v. g. — hoc praedium erbis virescens, et irrigatum est Pauli —. Ly — erbis virescens et irrigatum —, sunt verba indicativa praedii, non determinativa, adeo ut, etsi neque virescens, neque irrigatum fuerit, praedium semper res Pauli esset. Contra: —

(1) Recordentur sacri oratores, quod regula extet antiquissima, atque ab ipso Platone invecta, quod — exempla et similitudines loco argumenti demonstrativi poni non debeant —.

Petrus, mentis praestantissimae plurimum in mathematicis profecit —. Haec propositio item complexa est, ast verba — mentis praestantissimae — ita determinant ac afficiunt subiectum, ut attributum, idest profectus in scientiis mathematicis, ipsi sub ista conditione solum congruat. Quapropter in primo exemplo propositio est vera in sensu diviso, non autem in sensu composito; in sensu composito siquidem praedium eatenus Pauli foret, quatenus virescit et irrigatur, quod oppido falsum est. In secundo exemplo propositio est vera in sensu composito, falsa in sensu diviso, quia in tantum Petrus in mathematicis profecit, in quantum perspicaci est ingenio. Idcirco in primo exemplo verba — erbis virescens — etc. utpote indicativa omitti possunt; secus autem in secundo exemplo, ubi verba — mentis praestantissimae — sunt determinativa, et exprimenda.

ARTICULUS QUINTUS

SOPHISMA IUDICII ABSOLUTI

533.° Si quae sub aliquo respectu vera sunt, absolute, et simpliciter affirmentur, sophisma exurgit *iudicii absoluti*. Ita, quoniam, respectu hominis verum est mentem non posse sensibilia corporea percipere sine sensuum auxilio, aut sensationis interventu, si quis inde concluderet, nullam mentem, neque divinam, neque angelicam, utpote sensibus corporeis destitutam, sensibilia ullo pacto cognoscere, tueretur tamquam verum absolutum quod non est nisi relativum, idest verum equidem quoad mentem humanam, sensibus revera corporibus percipiendis utentem, falsum contra si propterea quaevis mens absolute eisdem sensibus conformata ad corporum perceptionem censeatur (1). Huiusmodi sophisma, uti perspicuum est, — a dicto secundum quid ad dictum simpliciter progreditur —.

ARTICULUS SEXTUS

SOPHISMA PETITIONIS PRINCIPII, VEL CIRCULI LINEARIS

534.° Notum est, ex syllogismo conclusionem eatenus veram educi, quatenus prius praemissae uti verae receptae fuerunt, adeo ut ipsa sit veritas praemissarum, quae veritatem parit conclusionis. Iamvero si e converso res esset, vel, si praemissae postmodum, idest post conclusionem verae tantum arbitrentur, haudamplius praemissae fe-

(1) Hac ferme ratione apud Ciceronem argumentatur Epicurus, formam humanam diis adscribens. De nat. deor. Lib. 1.

rent quae veritatem conclusionis ostenderent, sed potius conclusio, quae in argumentum, vel in praemissam praemissarum verteretur, atque inde exurgeret sophisma *petitionis principii*, quia conclusio peteretur veluti principium demonstrativum totius syllogismi. Cum autem conclusio id sit, quod syllogismo probandum est, si ipsa igitur ceu principium demonstrationis postularetur, id, quod est in quaestione, peteretur, atque ipsa conclusio acciperetur ut principium demonstrativum etiam suipsius, quae aliunde, praemissis videlicet, foret confirmanda; ideoque volveretur *circulo vitioso*, vel lineari, idem per idem probando. Assimilatur hoc sophisma circulo lineari, quia unde caepit post absolutam periphaeriam eius linea regreditur. Hinc est, quod circulus linearis evidenter differt a circulo solido, cuius linea non redit unde fluxit, sed in aliud punctum regreditur, uti videre est in linea spirali cylindro circumvoluta, ex cuius similitudine logica argumentatio circuli solidi supra memorata, vocari etiam potest cylindrica. In hanc rem iuvat tamen observare, quod sophisma eiusmodi evenit quidem necessario, si propositio demonstranda est falsa, quae cum a praemissis non fluat, arguit totum syllogismum item in forma, ut in materia vitiatum esse; ideoque praemissas dignas non esse, quae concedantur, sin antem propositio demonstranda vera est, tunc sive ipsa, sive praemissae possunt legitimo syllogismo probari.

535.° Huic sophismati tota superaedificatur theoria sensistarum, qui concludunt — cognitiones a sensibus oriri, quia ex ipsis hauriuntur obiecta cognitionis —. Constat enim haec duo idem re plane esse, atque non posse maior concedi, nisi sub conditione, quod scilicet concedatur conclusio, quae hoc in casu fortior esset praemissis quin etiam earum conditio. Totum ergo hoc lutulentum ac turpe systema circulo innixum vitioso, cadat oportet.

ARTICULUS SEPTIMUS

SOPHISMATA NULLIUS AUT FALSAE CONSEQUENTIAE, NECNON INTERROGATIONUM MULTARUM

536.° Sophisma aut nullius, aut falsae *consequentiae* enascitur, cum ambae praemissae, tametsi verae, totum non habent syllogisticum, vel conclusionem non complectuntur; ex quibus propterea aut nulla deducitur, aut falsa conclusio.

537.° Sophisma *interrogationum multarum* in eo consistit, quod multae sibique oppositae confestim proponantur interrogationes circa aliquid, quibus unico verbo negativo vel affirmativo responderi sine contradictione non potest, ac si peteretur — idea est obiectiva? su-

biectiva? realis? intelligibilis? interna? externa? Ita ne haec tueris?... Quibus simul unico vocabulo responderi non potest, quin contradictionis implicemur. Hisce sophismatibus saepe in aestu disputationis digladiatur.

CAPUT OCTAVUM

SOPHISMATA EX SCOPO DISPUTATIONIS

538.° De sophismatibus quoad materiam primo, deinde quoad formam syllogismi hactenus. Nunc item de aliis, quae ex scopo disputationis profluunt. Crebro siquidem accidit, ut syllogismus forma et materia legitimus, potius noceat quam faveat adversario, cuius thesim videlicet magis impugnare videtur. Ex istis recensentur duo, suntque.

ARTICULUS UNICUS

SOPHISMATA QUAESTIONIS ERRATAE, ET IGNORANTIAE ELENCHI

539.° Quaestio erratur, quoties alteri alia ac ipse sibi vindicet, ac profiteatur, doctrina vel opinio adscribitur, atque ita aer disputando verberatur: retur enim alter alterum sibi ipsi adversarium esse, etiamsi de facto non sit, sed consonet.

540.° Sophisma *ignorantiae elenchi* conflatur, cum firmiter tenetur inter doctrinam adversarii et nostram realem interesse contradictionem, proindeque minime eas simul conciliari posse, quod caeteroquin falsum est, si qua enim inter utramque doctrinam suspicatur contradictio, haec magis apparens est. Quibus sophismatibus cavendis oportet maiori qua fieri potest claritate statum quaestionis praemittere, argumenta pro et contra sedulo, probe, attente, lente, iterum atque iterum accurate expendere, prurigine prorsus exclusa aut malignandi, aut vincendi. Sic extorres a nostra Religione, quacum scriptis et verbis atrox praelium diu tenent, hisce fraudulentibus armantur sophismatibus, quippe qui neque recte unquam quaestionem determinarunt, neque quid haec religio sibi velit agnoverunt, neque quid tandem senserint ipsi, constanter, evidenterqne dixerunt, ut ex eorum variationibus constat.

LOGICAE PARS TERTIA

DE ASSENSU

541.° In binis iam elapsis Logicae partibus eas potissimum animi facultates discussimus, quibus ad veritates sive directas, sive reflexas, sive immediatas, sive mediatas menti exhibendas, utimur, iudicium scilicet tam directum, quam reflexum, aut mente occultum, aut verbis patefactum, necnon ratiocinium, eiusque formas. Insuper ut hisce facultatibus veritati nobis praesentandae idoneis consuleremus, respectivas etiam sparsim subdidimus pro opportunitate leges, atque regulas congruentissimas. Ast nondum sufficit, ut hoc ipso homo iam iure dicatur veritatem visam vel deductam possidere: veritati quippe huiusmodi licet perspectissimae ipse potest assentiri, vel refragari, eam nimirum sibi adpropriare vel respuere: « Video meliora proboque: deteriora, sequor »; ceciuit iam pridem poëta. Quapropter operis nostri nunc est, naturam atque regulas istius assensus, vel subiectivae veritatis adpropriationis in lucem proferre; quod praesens sectio de assensu praestabit in quinque capita divisa. Primum aget de natura assensus; secundum de eius effectu, seu de persuasione; tertium de regulis assensus; quartum de ratione eiusdem; quintum de eius causis. Atque haec in tam pauciora conferemus, quam pro materiae copia et difficultate licebit. Id solum hic advertimus logicam de assensu vulgarem atque communem esse, ideoque ad omnes homines, quibus nil est frequentius, quam assensus et dissensus, pertinere (1) indiscriminatim.

(1) Hoc sub respectu duplex logica exurgit, popularis et scientifica; illa vulgares cognitiones, ista doctas et scientificas dirigit.

CAPUT PRIMUM

DE NATURA ASSENSUS

ARTICULUS PRIMUS

ASSENSUS DEFINITUR

542.° Assensus actus est subiectivus, quo homo obiectum cognitionis menti praesens voluntarie sibi adpropriat, vel vindicat, aut ipsi appropinquatur, atque adhaeret (1). Ex qua assensus definitione iam perspicuum fit, novas ex assensu cognitiones haud progigni, sed iam habitas, et menti praesentes hominem propius tantum accedere, aut eniti, ut sibi eas persuadeat. Persuasio igitur vel voluntaria adhaesio veritati id est, quod assensu comparatur.

543.° Haec autem voluntaria veritati adhaesio quadam semper affirmatione peragitur, quin imo ipsa iam est quaedam realis affirmatio, ac proinde verum iudicium. Non tamen omnibus iudiciis inest assensus: sunt enim ex iudiciis alia idealia, vel effatu possibilia alia realia, seu actu prolata. Iudicia idealia, vel etiam, ut aiunt, obiectiva et possibilia ea sunt, quae in ideis intuentur, quatenus videlicet in ideis id intuetur, quod potest affirmari. Iudicia realia, vel subieetiva ea nominantur, quae illa subsequuntur, atque reapse conficiuntur. Priora vel pure idealia sunt, ex. gr. — humilitas digna est laudari —, vel partim idealia, partim realia ex. gr. — extitit Rosminius ex philosophis celeberrimus, scientiarum instaurator, atque Ordinis Charitatis fundator piissimus —.

544.° In rebus exploratae evidentiae, mens ex iudiciis idealibus sine mora, vel nulla quaestione, aut dubio interiecto, uti in iudicio perceptionis intellectivae (2), ad proferendum iudicium reale, idest ad assensum iudicii idealis extemplo transit; contra in aliis iudiciis subobscuris, idest luce evidentiae minime adeo collustratis, mens quaestionem inter iudicium ideale, et reale aliquantulum moratur: inquirit nimirum an iudicio ideali sit assentiendum, necne: ex. gr. — principium sensitivum est simplex —. Huic priusquam assentiatur, sci-

(1) Dignum est quod hic recordetur, nempe assensum motum in voluntatem imprimere, atque actiones determinare, uti animadvertit Cicero, qui, sublata assensione, et omnem motum animorum, et actionem rerum perinde tolli tuetur in Lucull.; unde assensus partim theoreticus est, partim practicus.

(2) Ad rem Cicero in Lucullo, XII « qui enim quid percipit, assentitur statim ».

scitamur: teneor ne huic iudicio assentiri? Qua interrogatione iudicium ideale et quaestio simul includuntur.

545.° Huiusmodi porro quaestio appellatur secundaria, quae aliam hoc ferme ordine praeeuntem supponit — 1.° principium sensitivum est ne simplex? (quaestio prima vel scholastica, aut dubium methodicum iudicio ideali solvendum) 2.° principium sensitivum est simplex? (iudicium ideale vel possibile) 3.° debeo ne huic iudicio assentiri? (quaestio secunda assensu resolvenda): 4.° assentior (en iudicium reale, ex quo persuasio subiectiva).

546.° Atque hinc est, quod cohaerenter ad dicta assensus potest rursus definiri — iudicium reale et subiectivum — vel, — iudicium explicitum, et actuale —.

ARTICULUS SECUNDUS

DE ASSENSUS DIVISIONE

547.° Cum obiectum assensus sit ens, ens autem trinum forma, ideale, reale, et morale; idcirco assensus tripartitur 1.° in assensum ideis; 2.° in assensum realibus perceptis; 3.° in assensum rebus moralibus. De primo assensu, quo homo ideis devincitur agit ideologia et logica: de secundo assensu realibus perceptis concesso eloquitur anthropologia, et physiologia animae, quae est anthropologiae pars: de tertio assensu morali tractat ethica, et eudaemonologia.

548.° Assensus, idealis, ceu unio naturalis cum mentis obiecto ideali, fieri potest per cognitionem vel intuitivam, vel deductam, vel demonstratam. Assensus realis, si de realibus praesentibus et perceptis sermo est, fit per perceptionem intellectivam, sin de absentibus et invisibilibus vel per deductionem, vel per demonstrationem, vel per auctoritatem. Assensus moralis, si res morales sensibiles sunt, vel per perceptionem, vel per conscientiam, sin autem imperviae, et incospicuae, per ratiocinium, praebetur. Voluntaria adhaesio veritati virtutem moralem parit. Christiani autem etiam divinitati realem praebent assensum propter perceptionem supernaturalem eiusdem divinitatis per gratiam animae collatam. Ex quibus assensus speciebus, dummodo rationabiliter dentur, enascitur in homine status naturalis certitudinis, qui interventu activitatis personalis, et voluntariae potest nonnumquam immutari, minui, aut augeri, prout isthaec activitas in veritatem prona est, vel ipsi adversa. Qua tamen mutatione superveniente, non mutatur positio veritatis erga animum, sed mutatur potius animi dispositio erga veritatem, quo fit ut alii aliis enixius ac fortius veritati adhaerere videantur (1).

(1) Gradus fortitudinis tam in adversis perferendis, quam in veritate atque

ARTICULUS TERTIUS

DE ANIMI STATU QUOAD DEFICIENTIAM ASSENSUS

549.° Quam primum ergo assensus firmiter praebetur status certitudinis in animo exurgit. Ast quomodo animus se haberet, assensu deficiente? Quamdiu animo deest assensus, atque quaestio adhuc agitatur, quadam semper ignorantia ipse laborat. Etenim quousque vel iudicium possibile nondum homo concipit, aut conceptum non expendit, aut expensum quaestionem non solvit, aut probabiliter tantum solvit, et probabiliter indicat, aut etsi nedum probabiliter, sed certitudinaliter quidem solverit, renuit tamen ipsi voluntarie assentiri, ignorantia semper detinetur involuntaria, vel voluntaria, quae prorsus, accedente vero ac rationabili assensu, depellitur. Vero, inquam, et rationabili assensu opus est, secus tota minime sane expellitur ignorantia. Id evenit 1.° cum iudicio quidem vero assentitur, sed arbitrio voluntatis potius, quam cognitione rationis sufficientis (ignorantia rationis sufficientis); assensus huiusmodi praeiudicium verum vocatur. Ergo non omnia praeiudicia erronea sunt. 2.° Cum assentitur sine rationibus iudicio cuidam falso, vel sine rationibus reiicitur iudicium verum. Duae hic habentur ignorantiae, prima iudicii veritatis reiectae, secunda rationis eiusdem: atque unus error, quia falso iudicio creditur. 3.° Cum idipsum quod in casu superiori accidit, sed falsae ductu rationis; tunc enim duae ignorantiae, ac duo errores se produnt. Duae ignorantiae, uti supra; duo item errores propter duas falsas rationes, affirmationis quoad iudicium falsum, et negationis quoad iudicium verum, adhibitas. Ad hoc ergo, ut assensus omnes animo ignorantias depellat atque errores, nedum praeberi tantum, sed sub firmis et veris rationibus praeberi necesse est, ut alibi fusius videbimus.

ARTICULUS QUARTUS

DE VARIIS ASSENSUS PROPRIETATIBUS

§. 1. *Assensus contradictionem non excipit.*

550.° Id hoc sensu intelligitur, quod homo non valeat nec duobus iudiciis contradictoriis, nec contrariis simul assentiri; secus ipse as-

religione tuenda ex varia animi cum veritate unione praesertim dependet; si enim unio eiusmodi intima est ac plena, totus homo exagitatur, atque ad pro veritate pugnandum inflammatur.

sentiretur, atque simul dissentiret, quod nedum factu, sed conceptu etiam impossibile est. Quare 1.° si quis serio et pertinaciter vellet nihilominus ambobus credere, utroque privaretur assensu. 2.° Sin autem opinaretur, se utrique assentiri, oppido deciperetur, quia alter ex hisce assensibus contradictoriis illusorius, vel apparens est tantummodo, idest verbis expressus, non mente conceptus (1). Ideoque si qua est contradictio, in verbis quidem, non autem in ideis intervenit (2). Ideae siquidem unicam tantum, eamque aeternam et immutabilem exhibent rei possibilitatem, quae aliter nequit se habere, seu in duas possibilitates oppositas dispesci, idcirco iudicia ideis puris, vel cognitione obiectiva confecta, necessaria sunt, atque prorsus impossibile est, ut in ordine logico duo nanciscantur iudicia possibilia sibi invicem pugnantia. Contradictio enim est impossibilitas, aliud nimirum ac sunt ideae. Quae iudiciorum pugna, seu possibilitatis duplicitas nonnisi in iudiciis realibus (ideo contingentibus nuncupatis) vel ordinis physici, aut cognitionis subiectivae oriri potest, ubi ex. gr. arbor quaedam tam existere, quam non existere potest. Quo in casu contradictio non versatur in possibilitate, sed in realitate arboris, quae subsistendi, atque non subsistendi capax est. Semel autem posita subsistentia, ipsi assentiendum est.

§. 2. *Assensus verax est, atque sincerus.*

551.° Cum veri nominis assensus firma sit, voluntaria ac rationabilis adhaesio veritati, verax (3), atque sincerus sit suapte natura necesse est. Quam ob rem assensus qui ore tenus solummodo, atque verborum sono proferuntur absque animi consensu, pura sunt mendacia. Mendacium dixi, quia posthabita interna veritatis cognitione, homo mavult ipsi fidem verbis denegare, quam extrinsecus, ut eius

(1) Assensus illusorius posset — nominalismus erroris — nuncupari, quia mens verbis decepta verum assensum dedisse retur, atque hinc in errorem dilabitur. Reri ergo, quemadmodum et opinari ad cognitionem subiectivam, non ad obiectivam spectat, quia nullum est ipsis iudiciis verum obiectum, sed supposititium, vel mente effictum. Itaque aliud est iudicium formulare, aliud concipere: illud vocabulis, istud mente peragitur. Ratio cur saepe homo opinetur iudiciis contradictoriis assentiri est, quia ipsi contradictio latet.

(2) Ex eo quod contradictio nequeat ideis irrepere, atque multo minus ideae entis, infertur in ideis esse veritatem inquirendam, atque maxime in idea entis, quae, uti videbitur, ideo est veritas suprema.

(3) Verax appellatur assensus, si veritati directae adhibetur; vocatur autem rationalis, si post rationem reflexam veritatis praebetur. Primus est assensus spontaneus, necessarius, secundus reflexus, et liber.

fert, et efflagitat natura, eam profiteri. In hoc tamen cum interna cogitatione, verborum conflictu, veritas ab animo minime expungitur, quia praeter cognitionem reflexam, et liberam, quae mendacem emisit assensum, inest menti cognitio directa et spontanea veritatis, quam frustra homo enititur sibi ex animo funditus convellere, aut ipsi oculos claudere. Nihil enim fortius homo concupiscit, quam veritatem.

§. 3. *Assensus duplex, necessarius, et liber.*

332.° Assensus aut tribuitur veritati directe intuitae, et perceptae, aut reflexive cognitae. Si primum, assensus dicitur necessarius et spontaneus, idest instinctu quodam intelligentiae in verum nitentis expressus, quin in ipsum possit liberum arbitrium influere. Eiusmodi est assensus perceptionis intellectivae. Si secundum, assensus est liber, idest excitatus a libera voluntate, quae reflexioni praeest. Iste errandi capax est, ille nescius. Causae autem voluntatem ad reflexionis depravationem cogentes sunt instinctus, imaginatio, lucri, vel gloriae cupiditas, affectio, passio, praeiudicium, aliaque id genus, quae purum voluntatis affectum ad veritatem corrumpunt, atque etiam amplius et quidem consequenter, reflexionem a veritate recognoscenda retrahunt. Logico igitur cura habenda est, ut istas reflexionis aberrationes noscat, adamussim emendet, praeceptis eo reflexionem perducens, ut assensum veracem et rationalem semper ex animo depromat.

333.° Huius assensus duplicitas manifeste conspicitur ex. gr. in Berkeleio, cui profecto, uti caeteris, insidebat assensus spontaneus et necessarius existentiae corporum, cuius existentiae corporeae ratio perceptione intellectiva necessario continetur, estque identitas entitativa inter ens reale et ideale, quae actu perceptivo copulantur. Ast assensus reflexus vel liber ipsi deerat existentiae corporum, quia identitatem eiusmodi ipse reflexione aut non detexit, aut eam noluit pertinaciter recognoscere.

§. 4. *Assensus est per suam naturam absolutus.*

334.° Formula assensus simplici affirmatione *(è, sì)*, vel negatione *(non, no)* promitur; ideoque aut praebetur, aut denegatur absolute; idest, absque ulla conditione. Quandoquidem conditio, quae ob linguae imperfectionem videtur assensui immisceri, ad iudicium assentiendum magis refertur: ex. gr. — idea entis est omnium idearum mater, si eas reipsa occasione sensuum, progignit —; si vera est conditio, eius primatui annuam, sin falsa, dissentiam. Conditio ergo in iudicium possibile incidit, non in assensum. Idipsum intelligi de as-

sensibus debet rebus probabilibus saepe eodem modo praestitis, ac rebus certis, praestantur quidem iisdem particulis *utique*, vel *nequaquam*, conditione interea subintellecta — nisi contra aliquid occulte habeatur —. Qua suppositione — conditionis subintelligendae — maxime in legum, atque librorum interpretatione utendum est, ne imputationibus, calumniis et erroribus confingendis detur locus.

Interdum oppido intervenit, ut iudicium possibile nondum certum sit, simulque interim urgeat necessitas operationis, cui adimplendae, uti certum praesumitur indicium, atque ipsi assentitur. Porro eiusmodi assensus ut ut relativus (quia praesumptam arguit veritatem), atque (si praesumptio rationalis sit et practica) normalis etiam sit, et practicus, est item absolutus, non quasi affirmet absolute iudicii veritatem, sed quatenus sub eius veritatis suppositione reipsa conceditur, atque ideo relativus et partialis dici consuevit.

§. 5. *Discrimen inter varias assensus species.*

555.° Voluntaria veritati adhaesio, in qua ratio formalis assensus consistit, multimodos suscipit gradus firmitatis, idest fortior esse, remissiorque subinde potest. Atque id quidem ex duplici causa, subiectiva una, obiectiva altera. Quoad subiectum facultas assensus pluribus de causis mutatur: 1.° imaginatione, passionibus, varia mentis perspicacia, voluntatis constantia, potentiarum moralium perfectione videtur validior, et expeditior in veritatem amplectendam, tuendamque fieri. 2.° Prout ipsa magnis, habitualibus, penitioribus, et energicis exculta fuit, atque excitata persuasionibus, uti in senibus perspicitur qui profundis et inveteratis persuasionibus plurimum iuvenes superant, necnon in sectis politicis, religiosis et scholasticis, quae identidem usque ad sanguinem suos, suaque defendunt, iuste vel iniuste parum eorum interest. 3.° Prout reflexio magis, aut minus cavillis scepticorum tentata, et excussa fuit, necnon solidis, iisque gravibus meditationibus, priusquam assentiatur, assueta. Hinc munus pedagogorum in animis iuvenum rectas persuasiones, atque sublimes excitandi, etiam praemiorum et paenarum usu, ut ratio, qua imbuendi sunt, veluti sanciatur (1).

556.° Quoad obiectum assensus validior, vel debilior fieri potest 1.° prout iudicii affirmatio, intellectui, aut propter rei iudicandae sensibilitatem, aut determinationem, aut durationem, est facilior, atque ratio assentiendi luculentior et necessaria, aut luculenta minus, et

(1) Quid gerere, quidve iuvenibus praestare pedagogi debeant praeclarissime a Quintiliano recensetur. Lib. I. Cap. I Inst. orat.

contingens. 2.° Prout veritas assentienda maioris, vel minoris ponderis et utilitatis aestimatur.

557.° Ex his est, quod 1.° assensus obiectis realibus praestiti sint caeteris tenaciores, tum quia realia magis circumscripta sunt, et determinata, tum quia naturae humanae corpore et spiritu constitutae satius attemperantur, omnes facultates, et quidem ac vividius, ut sic dicam, titillant, afficiunt, ac imprimunt. Quantae autem energiae, realia, ad hominem evolvendum, atque ad eius facultates movendas, enutriendasque, sint, in psychologia demonstrabitur, ubi inter alia videbitur, mentem subiici legi motionis, quae ab realium actione deducitur.

558.° 2.° Assensus idealibus, id quidem habent respectu assensus realibus, quod etiamsi necessitati logicae incumbant, realibus tamen adhuc sunt in praesentiarum debiliores, ut qui facultates tantum moveant intellectivas, aliis relictis. In praesentiarum, inquam, quia homo lapsus haud amplius gaudet natura perfecta, cuius inferiores potentiae subdantur superioribus, istae autem idearum nutu, pene dixerim, dirigantur; quia potius saepe sane numero potentiae inferiores sensibilibus nimis affectae, perduelles consurgunt, atque ad superiores debellandas armantur. Habetur etiam hoc amplius, quod assensui idealium infirmando saepe accedat 1.° cognitio confusa huiusmodi necessitatis idealis, quae licet in primis principiis rationis evidentissime eniteat, in conclusionibus plus minusve obnubilatur: 2.° indeterminatio, et idealitas propositionis, quae cunctis hominis facultatibus explendis inepta est, atque ipsum intellectum, cui respondet, vel leviter movet. 3.° Varii reflexionis ordines, ex quibus non omnes ad tantam sunt altitudinem provecti, ut conscientiam, atque eas producant persuasiones explicitas, quae de propositionibus reflexis in systema redactis haberi solent. Vix enim aliquod excogitatur systema, sive de rebus scientificis, sive de rebus politicis, tantam conspicimus penes eius fautores persuasionem exurgere, tantamque ipsum propugnandi pertinaciam, ac ardorem, ut nullum non moveant lapidem, qui aptus fulciendo censeatur. Quibus ex laboribus, si systema verum est, serius ocius tandem praestolandum erit maxime fore scientiis et societati profuturum; sin autem falsum, omnia susdeque vertit, scientiam labefactat, publicam peculatur oeconomiam, dissidia et seditiones suscitat, ne de furente tyrannide dicam, quae in scelera quaeque, et caedes horrendas erumpit.

559. 3.° Ad assensus moralibus quod demum spectat, ipsi aut tribuuntur legibus et doctrinis moralibus, et eudaemonologicis, aut veritatibus speculativis convenientiae metaphysicae et moralis, uti immortalitas animae, et aeterna felicitas. Si primum, tunc homines virtutibus instruuntur, dummodo voluntate, non imaginatione loquaci legibus

assentiantur, idest dummodo non verbis inanibus virtutis pulchritudinem efferant, sed operibus mandata exerceant: si secundum, tunc potest firma inde certitudo supremae immortalitatis nancisci, imo necessitas eiusdem, cuius firmae apprehensioni tamen requiritur ingenii vis, atque etiam gratiae et revelationis divinae auxilium, quo cum Plato et Cicero carerent, factum est, ut ille dubiis undique his in rebus exagitatus, revelationem praecaretur: isti autem difficultates et timores confestim irruerent de immortalitate, quam paulo ante firmiter ex Platonis libris didicerat ceu verum nunquam ambigendum. Huiusmodi autem assensus ex penitissimo corde veritatibus metaphysico — moralibus praestandi difficultas ex eo depromitur, quod hae veritates in forma ideali menti solum panduntur, atque rem quidem futuram et inconspicuam innuunt, non autem modum eiusdem, neque propterea sub imagine sensibili possunt in mentem penetrare, quae nil est aptius veritati menti infigendae. Quibus sane defectibus nullimode, nec gratiae, nec fidei collatione medetur: omnino fides enim necessitatem vitae futurae nos quidem docet, ac confirmat; modum interea, et formam sensibilem vitae eiusmodi omnino praetergreditur; et ideo cognitio isthaec ex fide deducta imperfecta, et aenigmatica adhuc est, ut quae, ait s. Thomas, sit sine *apparitione*, vel *visione* (1). Qua de causa (etsi immerito) philosophos germanicos animis nimis pendentes circa rationis theoreticae documenta, ad rationem practicam confugisse conspicimus, vel ad instinctum naturae, cui, aiunt, magis fidendum est, eique credendum firmiter circa vitam aeternam, quam praestolamur.

§. 6. — *Assensus defectus.*

360.° Natura veri assensus toties deficit, quoties sine ratione elicitur: id autem cum tripliciter contingat, inde triplex assensus defectus. 1°. Gratuitas, si assensus sine ratione sufficienti, et inconsulto, licet periculum non impendeat errandi, praebetur. Sine erroris periculo, diximus, quia etsi error non immineat, assensus absque positiva cognitione rationis sufficientis, gratuitus adhuc dicitur. 2°. Ignorantia voluntaria, cum, cognita ratione sufficienti adstipulandi cuidam iudicio, nihilominus assensui reluctatur. Ex qua ignorantia enascitur proxima in errorem dispositio, hypocrisi ut plurimum, atque subdola pietate, prudentia, vanoque erroris timore palliata, quae veritati noxior est, quo astutior. Hac turpissima agendi ratione se gerunt quamplures rosminianae theoriae hostes ineptissimi ac bardi, qui erroris fortasse adhuc absconditi plurimum formidandi suspicione, iu-

(1) S. 1, 2, LXVII. 3.

venes ab ea discenda captiose detorquent, ipsis et interea (scholas novellandi causa!!) nedum frivolas, et perridiculas, ast lubricas, periculosas, et falsas opellas porrigunt, quarum nihil tam vehementer ipsis iuvenibus aetate provectis poenitendum erit, quam tempus iis pervolutandis trivisse: saepe enim quosdam eorum magistris, lectionibus, atque institutionibus, licet octies excusis, omnibus simul nedum dediscendis, sed lacrymis etiam deplorandis, irasci auribus nostris audivimus magno cum dolore. 3°. Error, in quem incurritur, si contra id quod ratio sufficiens expostulat, assensus datur aut inficiatur.

ARTICULUS QUINTUS

FACULTAS ASSENSUS DESIGNATUR

561.° De natura et proprietatibus assensus sat dictum habemus; nunc ad eius iam progredimur facultatem. Haec in primis simul propter iudicium possibile, cui assensus refertur, ac propter influxum liberi arbitrii, quo moderatur, videtur confestim potentiis vel intellectivis, vel volitivis adnumeranda: quam quod falsissimum sit ex eo protinus colligitur, quod homo in assentiendo neque unam, neque alteram adhibeat potentiam, sed totus quantus est, veritati assentiatur, vel sese ipsi appropinquet, et accommodet (1). In assensu enim sentitur totum subiectum humanum versus veritatem, ut sic dicam currere (tutto l'io, non una parte o l'altra dell'io), eamque amplexari, atque nec verbis solum, sed et corporis nisu, vitaeque etiam dispendio pertinacissime propugnare. Contra, si homo tantum aut intelligit, aut vult, aut sentit quidquam, tota sane activitas subiecti in id non movetur, sed eius pars quaedam in respectivum terminum contendit; ideo pars eiusmodi, potentia nuncupatur, valde quidem dissimilis a facultate, quo nomine videtur intelligi — tota ac omnimoda activitas subiecti humani — (2). Uti inconcussum possu-

(1) Indubium oppido est s. Thomam multoties docere — essentiam animae non esse principium immediatum suarum operationum —. Quod dictum operationibus intellectivis. volitivis et sensitivis referendum censemus, non autem assensui praestando, qui cum aliud non sit, quam subiectiva veritatis adpropriatio, vel eidem appropinquatio, totus homo eam sibi debet adpropriare, totus ad ipsam accedere. Potentiae ergo intellectus, voluntatis, et sensus respectu hominis totidem veluti sunt vehicula, vel organa, quibus ideae, veritates, vel, etiam paucis, entia apprehenduntur, seu in conspectu totius hominis ponuntur: quibus adeptis, totius hominis erit ea sibi vindicare, accommodare, et adpropriare, idest iis assentiri.

(2) Facultas differt a potentia, uti genus a specie: illa enim est activitas totalis subiecti rationalis, ista peculiaris; saepe tamen promiscue usurpatur.

mus ergo iam statuere — totum subiectum humanum ipsam esse facultatem assensus —. Quoniam vero facultas huiuscemodi ex tota activitate subiecti efflorescit, nil mirum si de intellectu, de voluntate, atque de sensitivitate dicitur aliquid mutuare. Mirabilius id profecto foret, atque memoriae mandandum, scilicet quod facultas assensus, qua homo cognitioni obiectivae adhaerescit, magnum continet arcanum naturae, cuius solutio ad Theosophiam pertinet. Arcanum autem hoc est — homo aeterno idearum ordini adhaerens propriam limitatam subiectivitatem fere ampliat in infinitum —.

562.° Hisce iam de assensus rationalis facultate cognitis, iuvat animadvertere, viro christiano facultatem assensus supernaturalis, vel rebus supernaturalibus superinfigi, atque id esse, quod theologis — gratiam fidei — nuncupare moris est. Quamplurimum profecto foret de hac facultate dicendum, si nostra studiorum ratio sineret. Ast non officit quominus saltem dicatur 1.° hanc facultatem obiectivam esse, 2.° ex confusa perceptione divinitatis oriri, 3.° confestim in ipsa perceptione divina eam exerceri, 4.° atque solius influxu reflexionis intendi ac remitti posse. Martyres, atque alii Ecclesiae atletae strenuissimi, qui tam fortiter probra et tormenta pro fide passi sunt, uti incomparabili facultate assensus celebrantur.

CAPUT SECUNDUM

DE EFFECTU ASSENSUS, SEU DE PERSUASIONE

563.° Duplex in vero et perfecto assensu tegitur elementum; 1.° naturalis adhaesio veritati: 2.° atque altera eidem adhaesio, sed voluntaria. Prior dicitur assensus et persuasio virtualis, et implicita (1); posterior assensus et persuasio explicita, et completa. Assensus ergo vix perfectus est, ipsam edit persuasionem, quae cognitione directa morabatur implexa, quaeque item iure, vereque nominari — subiectiva et conscia veritatis recognitio — potest.

564.° Quia autem persuasio in elemento voluntario assensus sita est; voluntas vero mentem in errorem inclinat; hinc constat errorem assensibus irrepere ductu ac impulsu persuasionis, quae nunc vera, nunc falsa conspicitur. Vidimus enim superius adhaesionem simplicem et naturalem veritati, activitati personali et liberae subii-

(1) Ex hoc colligitur in intuitione primitiva entis idealis, quae est simplex veritatis adhaesio, persuasionem implicitam et virtualem, caeterarum persuasionum fundamentum, iam latitare: quod est alte mente retinendum; exinde enim infertur ideam entis nedum ideis, iudiciis, ratiociniis verum etiam ipsis persuasionibus, ut opus est, principium esse.

ci, ac ideo pluribus ex causis posse vel turbari, vel magis etiam confirmari. Hoc tamen interest inter persuasionem veram et falsam, quod in prima prius habeatur adhaesio veritati, deinde persuasio; in secunda antecedit persuasio, dein succedit adhaesio. Nam in persuasionibus veris iam praeexistit obiectum assentiendum, in falsis contra, obiectum eiusmodi opera persuasionis in primis effingitur, deinde, ipsi assentitur, sicque tandem mens eidem unitur. Id explicat, cur persuasiones verae penitiores sint, atque fortiores falsis, quae fictitio fundantur obiecto. Utraque tamen tum vera, cum falsa, augeri potest, ex diversa licet ratione: prior intensitate intuitionis, vel affirmationis, posterior, duratione. Ast iterum inter se differunt, quod persuasio vera novam minime cognitionem obiectivam inducat, sed iam habitae ope cognitionis subiectivae unitur: ex adverso, persuasio falsa novam cognitionem obiectivam, etsi fictitiam, primo moliri contendit, cui postmodum per cognitionem affirmativam copulatur (1). Id iterum habent communis, quod utraque sit cognitio quaedam subiectiva, qua cognitio obiectiva (vera aut fictitia) affirmatur.

ARTICULUS PRIMUS

DE QUALITATIBUS ET DEFECTIBUS PERSUASIONIS

565.° Praecipua persuasionis proprietas in eo consistit, quod ipsa, primum assensus rudimentum, seu simplicem, ac naturalem adhaesionem veritati ferme insensibilem utpote penitissimam et connaturalem, nondum tamen moralem, ita activitate voluntaria et libera perficiat, ut eam in unionem personalem, et moralem convertat. Quo sub respectu persuasio merito appellatur — facultas hominis perfectiva —; quia etiam atque etiam ipsum strictius veritati adstringit, et primitivam unionem vinculis, semper firmioribus corroborat. Cui sane operi energicis, validisque persuasionibus opus est, quae minime tam crebro in hominibus inveniuntur, non quidem semper ob voluntatis defectum, sed naturae. Quot enim non perspiciuntur homines prorsus inepti sibi veritati ita fortiter persuadendae, ut saevissima etiam pro ipsa perferant, ac ardua et periculorum plena aggrediantur? Id debilitatis videtur provenire ex diversa primitivae intuitionis entis, vel adhaesionis originalis veritati intensitate, qua fit, ut

(1) Alibi passim discrimen inter cognitionem obiectivam, et subiectivam in medium protulimus, advertentes illam simplicem esse intuitionem idearum absque ulla affirmatione; istam vero cognitionem per affirmationem subiectivam elicitam, seu per verbum mentis: illam veracem semper, istam interdum falsam.

ex mentibus quaedam fortius, quaedam remissius veritati primitivae adhaerescant. Exhinc perspicitur quibusdam raris equidem illas inhaerere potentes, vividas, atque rationabiles persuasiones tam universales, quae sapientes constituunt, quam peculiares, quae Heroës; atque contra in compluribus manifestari persuasiones nedum partiales, verum irrationales etiam nunc quidem inconcussas, nunc nullius stabilitatis, cuiusmodi in phreneticis, vinolentis, et in stultis deprehenduntur. Iis autem firmissimae quamquam insideant persuasiones, numquam ad statum pervenient certitudinis, quae (en altera proprietas verae persuasionis) cum sit firma, et rationabilis persuasio veritati conformis, ex veri nominis persuasione oriri solet.

566.° Inter causas demum, quae voluntatem ad veram persuasionem, vel impediendam, vel alterandam (hinc varii persuasionis defectus) incitat, numerantur praeiudicia, habitus sub datis regulis cogitandi, opiniones praeconceptae et pervicaces, necnon diversi reflexionis ordines, opinamenta logica et methodologica fixa adeo et determinata, ut impossibile pene videatur aliis formis et ordinibus veritates intueri, exprimere, ac disponere. Qui ita sentiunt logici pedestres vocantur. Hinc si quis ipsis exurgeret easdem veritates alio ordine, et methodo, aliis phrasibus, formis, et texturis fortasse perfectioribus distributurus, perinde ac si errorem obtrudere machinetur, eum improbant, atque etiam conviciis, contumeliis, et dicteriis proscindunt. Quod contingere cernimus quoad systema Rosminii, in quo veritates fundamentales omnibus notae, et evidentissimae pervicaciter respuuntur, et irridentur ea solum de causa, quod alio ordine perfectiore admodum et eminenter scientifico classificantur, aut aliis aptioribus, donantur nominibus. Exemplo sit idea entis (ut theoriam praeteream de sensu fundamentali, seu de vita animali, quam nuper P. Liberatore inter ideas abstractas immerito relegavit), quae est totius philosophiae elementaris centrum. Hanc si metaphorice, ut vulgus solet, appellas — lumen rationis —, atque menti ingenitum esse, eique ceu formam et medium necessarium cognitionis, criteriumque certitudinis, et constitutivum intelligentiae, inhaerere, tibi annuere haud recusant; indignantur autem tibi quam arrogantissime, si eam vocabulo proprio nuncupaveris, atque ideam entis dixeris. Heu caecitas humanae mentis, quae tenebris ignorantiae et erroris assueta, putat se amplius nil videre, cum plus videt, atque fulgoribus circumfunditur veritatis. Idipsum dicatur de aliis veritatibus, quae ex. gr. mathematicis non adrident, nisi mathematice probentur, neque physicis, nisi physice, neque theologis, nisi theologice etc. (1). Democritus, qui veritatem aliud esse opinabatur, quam rea-

(1) Hisce causis addi possunt et aliae, quae ex natura cognitionis per-

pse sit, eam profundissimo veluti puteo delitescere opinabatur (1). Quantum ergo persuasioni nocent modi arbitrarii ac circumscripti veri inquirendi et demonstrandi.

ARTICULUS SECUNDUS

DE POTESTATE ALIIS PERSUASIONEM INSINUANDI

567.° Quilibet nedum sibi, sed aliis potest persuasionem infundere. Ars autem in aliis persuasionis gignendae, vel voluntatis persuadendae rethorica appellatur. Ars vero intellectum convincendi, logica. Disciplinae hae sunt fere congeneres, quarum, ut abservat Quintilianus, altera saepe alteram includit. Id etiam maxime inter dialecticam et rethoricam Aristotelis occurrit.

568.° Haec porro potestas persuasionem in alios transfundendi, aut activitatem naturalem persuasionis, aut activitatem personalem et liberam respicit. Quoad primam, potestas eiusmodi est pene illimitata, idest suum semper effectum consequitur, si perinde ut necessum est, luculenter veritatem persuadendam mentibus proponat. Homo quippe sua ita est natura comparatus, ut si necesse sit, ait Tullius in Lucullo, lancem in libra, ponderibus impositis deprimi; sic animum perspicuis cedere, quia veritatem ipse essentialiter efflagitat. Atque ex hoc perspecta fit docilitas puerorum, et rudium, hominumque sylvestrium activitate naturali magis, quam personali in veritatem contendentium, quibus quaevis veritas facillime persuadetur, dummodo formulis vulgaribus sensim exhibeatur. Quoad autem activitatem personalem et liberam persuasionis, tunc persuasio ipsi infunditur, cum voluntas annuit: sin autem procaciter reluctatur, solius Dei est eam vincere. Interdum tamen evenit, ut vir, etsi attrita fronte, naturalem propensionem in verum nactus fuerit, atque recto

suasivae depromi possunt. Cognitio enim isthaec conscia est (consapevole), atque iudicio tribus terminis constituto respondet, quod eo certius admittitur, quo inter eius terminos exactior facta fuerit comparatio, qua deficiente, deficit etiam conscientia cognitionis, necnon persuasio eiusdem. Quare ea, quae vel propter simplicitatem, vel insensibilitatem, vel rapiditatem comparationi subtrahuntur, uti idea entis, essentiae rerum, perceptio intellectiva corporum, aliaque id genus, magna cum difficultate hominibus persuadentur. Contra si verbis, vel aliis signis affigantur, atque sub imagine quadam sensibili repraesententur, ut notatu facillima evadant, quemadmodum poëtae et oratores consuescunt, tum observari incipiunt, eorum discrimina notari, atque tandem de ipsis persuasionem acquiri.

(1) Cicero in Lucull. — Laertius, lib. IX, § 72. — Lactantius, epit. C. 40 et alibi passim. Instit. divin.

iudicio (di buon senuo) caeteroquin videatur; tunc sperandum est aliquando futurum esse, ut persuadeatur, quia fieri potest ut bona inclinatio, tyrannide activitatis personalis diu oppressa, tandem excitetur, et subsiliat.

569.° Si quis antem, ut iustae persuasioni se subtrahat, in medium affert — libertatem cogitandi, vel philosopbandi — ipsi respondendum est: libertatem philosophandi necessitati logicae et morali subiectam esse, neque ipsi licere adversus tantam necessitatem, unde tota naturalis excellentia bumana dimanat, insurgere (1). Si qua igitur libertas pbilosophandi vindicanda est, hoc nomine intelligenda venit immunitas a coactione pbysica, puta, a violentia, a minis, etc. quibus certe mediis veritas comunicanda non est. Quocirca praemia et penae, quae a legislatoribus statuuntur, eo tantum directe spectant, ut passiones compescant, sicque consequenter homines ad veritatem recipiendam indirecte etiam inducant.

CAPUT TERTIUM

DE RATIONE AD RECTE ASSENTIENDUM SUFFICIENTE

ARTICULUS PRIMUS

RATIONES INTRINSECAE ET EXTRINSECAE ASSENSUS

570.° Nullus unquam emittitur verus ac formalis assensus, quamdiu ratio sufficiens ipsum tribuendi nondum apparet. Cuius rationis nomine intelligitur tessera, vel insigne, quo veritas iudicii possibilis, cui assentiri est, discernitur. Tessera autem huiuscemodi est necessitas logica iudicii, quae ad assensionem mentem pertrahit. Ita prae omnibus se habent iudicia suprema rationis, quibus propter ideae entis, quam plene, ut sic dicam, imbibunt, proximitatem, tanta fulget evidentia, ut tam sit ea intueri, quam approbare. Pari necessitate gaudere etiam caetera iudicia analytica perspicimus. Interim iam ex his nancisceris, quod ratio intrinseca assensus dicitur; est enim cuiusmodi necessitas logica praefata, quam ipso idearum nexui insidere vel primo cernimus mentis intuitu.

571.° Ratio autem extrinseca assensus quaedam appellatur etiam tessera, vel insigne, quo veritas iudicii possibilis dignoscitur; ast ipsi iudicio extranea prorsus, 1.° vel quia ab ipso nimis remota est, uti principia suprema respectu iudicii haud immediate deducti; 2.° vel quia

(1) Ex necessitate autem verae religionis excellentia supernaturalis nobis etiam provenit.

in auctoritate infallibili collocatur, cuius imperio de veritatis quidem existentia certiores reddimur, non de modo eiusdem. Haec autem auctoritas infallibilis, vel pro dignitate intrinseca veritatis naturalis, aut supernaturalis sumi, vel pro oraculo extrinseco iudicis cuiusdam, et Sacrae scripturae, potest. Primo sub respectu auctoritas ad rationes extrinsecas releganda non est, cum ipsa sit logica veritatis necessitas, quae menti veluti sibi obsequium imperat, uti nedum in naturalibus, sed in supernaturalibus etiam videre est veritatibus, quibus, propter lumen quoddam internum caelitus nobis immissum, quod vel gratiam, vel revelationem internam appellant, assentimur, atque eodem lumine interiore perfusi, externae etiam assensionem exhibemus revelationi (1). Utraque auctoritas infallibilis cum interna, (rationalis) tum externa, (supernaturalis) in animum apodicticam rei certitudinem, diversa, uti patet, ratione, inducit. Cui sane inducendae fallibilis auctoritas par non est, sed certitudini dumtaxat normali, vel praesumptioni veritatis.

ARTICULUS SECUNDUS

DE RATIONIBUS ULTIMIS ASSENSUS

572.° Sua cuilibet vero assensui, cur nempe emissus, aut emittendus sit, ratio sufficiens opus est. Ast eo etiam semel praestito, nonnumquam accidit, ut animus plane nondum acquiescat. Inest enim nobis crebro desiderium longius semper animi acies intendendi, quamdiu ultimam rationem assensus mens non arripuerit; qua inventa, et aliis reposcentibus, atque sibi sciscitanti exhibita, ostendit, se satisfactum (*appagato*) tandem esse, atque nil amplius hac de re inquirendum ipsi fore, experitur. Ex his conficitur aliud assensum, aliud satisfactionem esse.

573.° Ex rationibus ultimis duo habentur genera; 1.° aut absolute ultimae, 2.° aut relative ultimae. Primi generis in entis natura consistunt: — idest assentior, quia tandem quod est, est —. Praeterea quoniam ens trina etiam forma comparatur, forma, inquam, ideali, reali, et morali, triplex inde effluit ratio absolute ultima; 1. ratio ultima formalis, vel logica; 2.° ratio ultima realis, vel metaphysica; 3.° ratio ultima moralis, vel deontologica. Harum prior

(1) Id eo sensu intelligitur, nempe, quod propter istud lumen gratiae divinitus nobis collatum liceat veritatum supernaturalium convenientiam, necessitatem atque etiam ut aiunt, rationalitatem discernere, adeo ut, haud caeco instinctu, sed rationibus uti certae profiteantur, et quidem post latam definitionem.

utique directa mentis intuitione apprehenditur, cuiusmodi est idea entis nobis ceu forma cognitionis, et regula iudiciorum infixa, binae autem posteriores, utpote essentiae divinae identicae, non alio modo cognoscuntur, quam negativo: scitur nempe eas haberi, ast in invisibilibus, ubi propter arctissimos mentis nostrae limites, quamdiu vivimus, numquam penetrabimus. Rationes vero relative ultimae ad rationes individuales, specificas, et genericas reducuntur, quae respectu mentis rationes ulteriores aut nolentis, aut nescientis inquirere, ultimae sunt, quaeque proinde satisfactionem etiam relativam progignunt, atque ex hoc pariter indocti et rudes, quibus satisfactio relativa sat est, differunt a veris philosophis ultimis rationibus enixe vacantibus.

574.° Ex his consequitur philosophiam, quae in ente uno atque trino ultimas inquirit rerum rationes, merito scientia persuasionis plenae, vel satisfactionis appellari. A qua philosophandi ratione quantum quamplurimae institutiones philosophicae abscedant, testes sunt ipsi adolescentes, quibus nulla ex earum lectionibus animi facultas tantum pabulum sumpsit, ut traditis acquiescant. Quin partim ieiunae, partim erroribus exasperatae tam vehementer infremunt, ut quidam etiam aetatis provectae iterum studia philosophica a capite arcessere cogantur. Verum nedum iuvenes, sed ipsos etiam magistros lacessimus, an ex tantis philosophiae operibus illam animi pacem et quietem tandem acquisiverint, quam omnes norunt ex certitudine scientifica unice derivari. Hanc ergo si vere percupiunt, ex Rosminii operibus pacem animo potius quaerant, cum eo fine fuerint edita, ad pacem scilicet animis in dies magis haerentibus et incertis per ultimas rerum rationes comparandam.

ARTICULUS TERTIUS

DE REGULIS, QUIBUS IN ASSENTIENDO DIRIGIMUR (1)

575.° Regulae pro assensu dirigendo ex principio rationis sufficientis nuper memorato fluunt, atque eiusmodi sunt: 1.° priusquam ratio sufficiens assentiendi, vel dissentiendi non illuceat, homo nequit assentiri, vel dissentire (2). Hanc regulam infringunt, qui styli ame-

(1) Assensum reflexum, et liberum, non autem instinctivum, vel spontaneum naturae ductu magis, quam regulis scientificis directum, nobis hic disserendum suscipimus.

(2) Cartesius praeceperat — id tantum admitti, quod in idea clara continetur —. Verum, si nomine ideae clarae intelligit rationem sufficientem, praeceptum tenendum est; sin vero intelligit cognitionem positivam, respuendum,

nitate et pompa, atque elegantia magis, quam veritatum pondere (uti se gesserunt plurimi Gioberti asseclae) aliorum opinamenta sectantur. 2.° Cognita vix ratione sufficiente, confestim addendus est assensus. 3.° Rationibus certis, indubitanter; probabilibus, probabiliter assentiatur, et quidem secundum probabilitatis quantitatem recte in primis et probe expendendam. 4.° Adstantibus hinc inde rationibus oppositis et aequalibus, dubium exurgit positivum: rationibus autem hinc inde deficientibus dubium magis est negativum. Huiuscemodi regularum summa haec est: 1.° cavendum ne aliquid, praeter id quod cognoscitur, aut quod ignoratur, affirmetur vel negetur. 2.° Curandum propterea, ut nota dumtaxat, et quidem eodem modo, quo sunt, admittantur, vel respuantur. Haec duo praecepta non minus logica sunt, quam moralia, idest tam ex ratione, quam ex conscientia adimplenda. Exploratum quippe est, quoties assensio vel dissensio hisce duobus mandatis haud diriguntur, toties locum praebere iudiciis gratuitis, temerariis, discordiis, suspicionibus, vanisque ac falsis opinionibus, praeiudiciis etc. quae sive rationi, sive legi morali repugnant. Culpae similiter vertenda est socordia rationem sufficientem assensus comparandi, quia casui fortuito verum et falsum committerentur, periculum incurreretur errandi, mentiendi occasiones offenderentur, atque subarroganter sentire quis videretur.

576.° Neque minoris iacturae sunt, quae ex illegitima assensus suspensione profluunt. Hac enim suspensione permanente, mens innumeris bonis veritatis privatur, aciem veri videndi sibi obtundit, facultates enervat, praeceps in errorem evadit, atque gloriosis facinoribus suscipiendis impar fit, necnon in mala quaeque proclivior. Quoad istam assensus suspensionem meminisse iuvabit — eam eo frequentiorem esse, quo altior est reflexionis ordo —; quemadmodum ex philosophis constat, qui in sublimiores ordines reflexionis enitentes, id formis reflexionis obductum identidem inficiantur, quod in cognitione directa cum vulgo profitebantur. Ipsis proinde erroris revinciendis oportet, formis reflexis detractis, veritatem in simplici forma cognitionis directae eis exhibere. Hac enim ratione veritas propius ad ideam entis accedendo, splendidior coruscat in sua, ut ita dicam, nuditate virginali. Quidam, ut P. Liberatore, numquam sensum fundamentalem animalem aut inter abstracta ablegassent, aut irrisissent si nomine sensus eiusmodi vitam animalem corpore effusam, ut vulgo exprimitur, intellexissent.

quia viam in rationalismum sterneret. Praetenderet enim quae ad ordinem supernaturalem pertinent, non fore admittenda, cum de ipsis cognitionem positivam minime habeamus, sed negativam solummodo.

CAPUT QUARTUM

DE CAUSIS INDEBITI ASSENSUS

577. Assensus positivus, vel negativus (dissensio) aut secundum rationem emittitur, aut contra. Primum fit, cum ob rationum defectum sustinetur assensus, vel ratione interveniente, praebetur, secundum autem contingit, cum vel assensus gratuitus editur, vel protrahitur, etsi nulla est ratio protrahendi, vel contra rationis praescriptum adhibetur. Si secundum rationem progreditur, rectus vel iustus, si contra rationem, iniustus, vel indebitus vocatur, isque triplex est: 1.° gratuitus; 2.° iniuste suspensus; 3.° erroneus.

ARTICULUS PRIMUS

DE CAUSA ASSENSUS GRATUITI

578.° Causa precipua assensus gratuiti est propria utilitas quae interdum caeco instinctu, idest sine ratione sufficiente ad agendum movet. Etenim homo triplici quidem constituitur inclinatione fundamentali, nempe intellectuali, morali, et eudaemonologica; ast tali ordine sunt item hae invicem dispositae, ut eudaemonologica nonnisi sub aliorum regimine exerceatur; secus non in veram, sed in fallacem homo impingit felicitatem, quam saepissime verae, gratuito prorsus, anteponere dolemus. Hinc assensus gratuiti oriuntur, qui ex inclinatione eudaemonologica causam quidem, non rationem obtinent; atque etiam vel ex ipsa nimia celeritate (istinctus felicitatis est enim motu celerrimus), qua praebetur, plerumque uti gratuiti iam agnoscuntur.

ARTICULUS SECUNDUS

DE CAUSIS INDEBITAE SUSPENSIONIS ASSENSUS

579.° Ex causis suspensionis indebitae assensus, aliae mediatae aliae immediatae sunt. Mediatae in inclinatione eudaemonologica item cohaerent, suntque propria utilitas, humana aestimatio, pertinacitas, superbia, amor sui, timor, aliaeque passiones eiusmodi, quae impedimento sunt, quominus veritati assentiatur. Causae autem immediatae sunt 1.° voluntas quae cum resistere passionibus possit, eas potius solvit, ac inflammat; 2.° reflexio sophistica, quae voluntate suggerente, rationes evidentes praetervolat, atque ad verisimiles, vel apparentes, vel etiam se ad contrarias convertit, ut homo ni contradi-

cat positive, haesitet saltem. Id praestant quidam, qui super formulam decretoriam plane s. Congreg. Indicis — *dimittantur* — cavillantes, assensum adhuc a scriptis philosophicis Cl. Rosminii hac Congregationis formula tandem dimissis, vel concessis, cohibent, perinde ac si lis nondum fuerit absoluta; quod profecto falsissimum est; rem enim plane confectam esse atque in vado positam, ex actibus s. Congr. constat.

580.° Ex qua assensus indebita suspensione perniciosum effluit corollarium, idest ignorantia voluntaria, et culpabilis. Ast non culpabilis semper; fieri enim potest 1.° ut homo iam multoties deceptionibus obnoxius, ne item erret, aliquantulum, et quidem prudenter assensum protrahat; 2.° ut nimia erga aliquem reverentia affectus, ac parvo et admodum limitato ingenio sit, atque nesciat statim aliquid adprobare, quod iam recepto systemati adversetur. Utroque in casu non peccatur. Plebs philosophorum tota eiusmodi est.

ARTICULUS TERTIUS

DE CAUSIS ASSENSUS ERRONEI

581.° Assensus vocatur erroneus, si errori, vel falso iudicio tribuitur. Errori autem assentitur ex triplici causa: 1.° ex reflexione imperfecta, ceu ex causa dispositiva; 2.° ex prava voluntate, veluti ex causa efficiente; 3.° ex circumstantiis et adiunctis internis, et externis in voluntatem influentibus, tamquam ex causis motivis, vel excitantibus.

582.° Reflexio potest esse imperfecta dupliciter, 1.° aut quia nimis est in iudicando praeceps; 2.° aut quia valde circumscripta est, et limitata. De celeritate inferius. Quoad eius limitationem autem haec maior esse solet 1.° quo magis res iudicandae parvae, rapidae, et insensibiles sunt, atque imaginatio fervidior; 2.° quo observatio externa aut propter instrumentorum defectus, aut experimentatoris imperitiam, et impatientiam imperfectior est: 3.° quo res inter se affiniores videntur (uti concretum et abstractum, passio et actio, effectus et causa): 4.° si res accidentales, et circumstantes pro necessariis et intrinsecis accipiuntur: 5.° si iudicio deducto adstipulatur supponendo quod recta demonstratio logica, vel mathematica praecesserit. Hisce de causis saepe homines, et maxime politicos, cernimus abstracta concretis inscite prorsus identificare: item socialistas ius cum obligatione confundere iuxta ac si pauper ius habeat ad stipem, quia dives adstringitur onere elargiendi: item utilitaristas utilitatem pro iustitia usurpare, quia iunctae crebro sunt: item sensistas, materiali-

stas, anthropomorphitas propter difficultatem concipiendi intelligentiam, sensum, et materiam seorsim, in varios abiisse errores (1).

583.° Reflexioni magis magisque in falsum flectendae accedit abusus vocabulorum, quae modo latius (uti libertas), modo strictius (uti sentire), modo uno, modo altero sensu (uti status naturae penes Rousseau), modo diversa ac intelligi soleant ratione (uti vox *spiritus*) usurpantur ad fucum faciendum.

ARTICULUS QUARTUS

ASSENSUS ERRONEI EX VOLUNTATIS PRAECIPITATIONE VEL IMPROBITATE PROFECTI

584.° Reflexionis imperfectio etsi viam ad erroneum disponit assensum, tamen nisi voluntas exurgat, assensum erroneum imperatura, nihil positive emittitur. Quamdiu enim nulla adhuc affulget ratio assensum edendi, nulla pariter cogimur necessitate ipsum praebendi. Si ergo, reflexione nil veri cernente, ad assensum tamen movemur, id nutu exequimur voluntatis. Non quidem voluntas prudens, et bona, sed praeceps, atque improba; uti praeceps, sine consilio ac caeco veluti instinctu assensum sollicitat, et iubet; ut improba, odio veritatem habet, et ideo ad errorem deflectit, aut ad quisquilias sensisticas, vel utcumque erroneas magnis veritatibus anteponendas, uti quidam in dies ad scientiae ac religionis perniciem turpiter profecto operantur occulte palamque, et maxime inter magistros iuvenesque solidis studiis caeteroquin provehendos.

585.° Est tamen quaedam in deliberando celeritas, vel promptissima voluntas, quae dos mirifica est, non vitium, ut illa Caesaris Augusti, qui sicuti primo mentis appulsu veritatem arripiebat, ita et promptissime ipsi adstipulabatur, adeo ut, pone, fine aliquo vix concepto, iam media illi in promptu aderant, eaque sapienter ad finem vertebat. Huiusmodi celeritas ab Aristotele solertia vocatur, quae in tempore admodum brevi media in finem coniicit. Qua voluntatis ra-

(1) In iudiciis de quantitate materiali vel morali (ut nihil de rebus spiritualibus dicam pluries materialibus fusis, uti sensismus, materialismus, pantheismus indicant) reflexio saepius errat, puta, si deficiente mensura quantitatis aliter ipsam dimetiatur ex. gr. utens oculis loco tactus; vel si res praeter eius naturam aestimatur propter qualitates imaginarias a passione honoris, voluptatis, avaritiae superadditas, uti inter alia occurrit scelus monomachiae, vel, ut aiunt, duelli, quod iamdiu, ceu honoris vindicta et decus, invectum est. Pro nefas! Eadem ratione voluptuosi, divites, potentes, quasi veram attingerent felicitatem, magno habeutur in honore.

piditate nobis quoque utendum est quoad veritates morales et religiosas, quae sine mora excipiendae sunt: qui enim haesitat, infidelis est.

586.° Celeritas contra assentiendi, quae improbatur, ut plurimum ex animo impatiente provenit, uti apud populos barbaros et sylvestres, necnon plebes perspicitur, quos diutius rem expendere maximopere taedet. Ex philosophis quidam nuperrimus etiam extitit impatientia reflectendi famosus, atque admodum ingenio praeceps, qui iocans, an ita sentiens nescirem, tale sibi confixit de re ideogonica, et emisit systema, ut paucis annis post, si sospitem adhuc Deus ipsum servasset, tandem enm huiusce operis summopere poenituisset.

587.° Quantum itidem prava voluntas, idest passionibus praeoccupata, reflexionem a vero detorqueat, non est cur multis ostendamus. Exemplo sint declamatores praedicti, qui, qua secretis consiliis, qua scriptis anonymis, et pseudonymis, qua ephemeridibus, qua insidiis, qua suggestionibus calidissimis sub nostrae religionis pure servandae specie obtrusis, diu noctuque adlaborant scientiarum, et maxime philosophicarum instaurationi impediendae, quorum agendi rationem etiam viri aequi, et moribus laenissimi iam stomachari incipiunt, ut qui iam noverint, perperam prorsus ipsis probari adhuc (in rebus tantum philosophicis, dico) tenebrescere, cum omnes iam conspexerint non ita pridem diluxisse (1).

(1) Ad rem equidem praeclarissime Alexander Paravia — .... « ben dirò, » che o per cieca predilezione de' nostri studi, che ci fa avere in bon cale » quelli degli altri; o per segreta invidia di quelle doti, che in altri incontrando non sappiamo trovare in noi stessi; o per quei zelo di corpo che » ci fa commettere tante puerilità e tante ingiustizie, ... l'Italia .... copia » non ebbe forse mai più che adesso di critici amari ed ingiusti. Onde nasce » che i più della nazione, i quali non leggono i ponderosi volumi, ma ben » leggono i fuggitivi giudizi; e che ritrosi a sentenziare da se, si lasciano » reggere alla sentenza degli altri: veggendo caricarsi di non meritate ingiurie » (atque etiam calumniis) gli scrittori più illustri, o di lodi ancor meno » meritate i più oscuri (in quibusdam diariis et libris ignoti auctoris evulgatis): » gli uni disprezzar non potendo, gli altri non osando stimare, finiscono col » porgersi indifferenti per tutti: e così si produce in noi una specie di apatia » letteraria, che non permettendoci di ammirare ciò che di lodevole fanno gli » altri, è cagione che di lodevole nulla facciamo noi stessi ». Orat. habita 1854 in Taur. Athen.

ARTICULUS QUINTUS

ASSENSUS ERRONEI EX OCCASIONE CIRCUMSTANTIARUM

588.° Inter causas externas, quae occasionem ministrant voluntati errori assentiendo est 1.° pravum exemplum; 2.° auctoritas versipellis, praepotens, subdola; 3.° ridiculum in hac nostra tam praecipiti aetate. Haec tria in scientiae ac religionis demolitionem simul inito faedere, ac agmine facto, coniurare videntur. Neque id mirum, cum nulla unquam scientiarum, artiumque instauratio hactenus facta fuerit, quin suos non habuerit hostes. Conferantur historiae.

589.° Atque iam de assensu satis. Ex discussis equidem iuvenes multum de assensu, cuius theoriam, quae hactenus pratergrediebatur omnino in praelectionibus scholasticis, didicisse putamus. Ast interea qui sub specie religionis tutandae, scientiam, et qui sub specie scientiae perficiendae, religionem conantur labefactare, audiant id Ciceronis « sed, ut hoc pulcherrimum esse iudicem, vera videre, sic pro veris probare falsa, turpissimum est ». (lib. Accad.)

LOGICAE PARS QUARTA

DE VERITATE, ET CERTITUDINE COGNITIONIS HUMANAE

590.° Parum mehercule, vel nihil fere nostro muneri conduceret, si plurimis, de iudiciis, de ratiociniis, atque de assensibus, praemissis, quae ad veritatem et certitudinem nunc spectant non conferantur, eoque magis, quod logica scientia sit cognitionis in verum provehendae, idest iudicii, ratiocinii, et assensus ita moderandi, ut a veritate numquam desciscant. Iuverit ergo paululum veritatem, et certitudinem cognitionis morari, ut reflexioni, cuius hactenus evoluimus operationes, criterium veritatis et certitudinis, etiam, ne in transversum declinet, adsciscamus. Quamobrem hanc, quam exordimur, sectionem, in septem capita dividemus, quorum primum veritati, secundum certitudini, tertium utriusque criterio supremo, atque eius applicationi, quartum opinionibus philosophorum de criterio eiusmodi, quintum scepticismo, sextum errori, septimum probabilitati, dabitur.

CAPUT PRIMUM

DE VERITATIS ESSENTIA

591.° Veritas, vox atque res est penes homines vulgatissima: penes autem philosophos ob tantam eorum discrepantiam, adhuc, ut verum fatear, quid ipsa sit, ignorari videtur; et tamen nedum voce, sed et laterum contentione sibi philosophi nomen arrogant! Nos contra, qui oracula naturae humanae magis, quam philosophorum effata malumus semper studiose sectari, maxima, qua fieri potest brevitate, perspicuitate, et simplicitate veritatem definimus = id quod est =: falsitatem autem = quod non est =; ideoque vera censenda cognitio, si quod cognoscitur, *est*, falsa e contrario, si quod cognoscitur *non est*. Ergo esse, vel idea entis verbo iudicativo *est* expressa est veritas; veritas, inquam, quatenus est norma, vel exemplar, quo dignoscitur an quod cognoscitur vel iudicatur sit an non sit. Quapropter

veritas generatim etiam definiri potest = idea entis quatenus est rerum exemplar = (1).

592.° Ex qua definitione iam intelligitur, cur veritas soleat unica, universalis, absoluta, et notissima nuncupari, eiusmodi enim est idea entis omnino, idest hisce proprietatibus veritatis instructa, uti ss. Patribus visum est, qui verum commune, vel veritatem simpliciter eam nominarunt. Exhinc iam patet novum ideae entis officium praestantissimum, quod noctuis solummodo inconspicuum est.

ARTICULUS PRIMUS

DE VERITATIS DIVISIONE

593.° Veritas iam pridem caepit in logicam, metaphysicam, et moralem dividi, prout ipsa, seu — id quod est —, vel — ens — aut in ordine logico, aut in ordine metaphysico, aut in ordine morali: sumitur ideoque vel qua exemplar logicum, vel metaphysicum, vel morale consideratur.

Veritas *logica* alia est absoluta, seu = idea entis utpote rerum exemplar = (2), vel = quatenus regula veri falsique in iudiciis discernendi =: alia est relativa seu = conformitas rei cognitae ad suam ideam =, vel = conformitas iudicii ad ideam rei =, vel etiam cum s. Thoma — adaequatio rei ad intellectum —. Eius contrarium est *error*.

Veritas *metaphysica* entia realia respicit, estque = id quod ens in suo esse constituit =, aut, = essentia realis rei =, aut, = subsistentia individua rei =. Hinc Petrus dicitur verus homo, pyrus vera

(1) Ex Patribus, s. Augustinus, s. Thomas, s. Bonaventura, qui passim ideam entis ad veritatis supremae dignitatem sustollunt, uti in retroactis discussionibus notatum est saepissime. Etiam acutissimus Fenelon: « io concepisco che l'essere e la verità sono la stessa cosa; sicchè una cosa non è, se non in quanto è vera, e non è vera, se non in quanto ella è ».

(2) Exemplar non utique platonicum, vel metaphysicum adeo ab Aristotele ceu inventum poëticum passim derisum, sed ideale et logicum, idest exemplar platonicum a ss. Patribus emendatum. Traditum quippe est, Platonem polytheistica superstitione irretitum, ideis, quarum divinitatem optime noverat, realitatem aeque divinam, ut plebi adstipularetur, adiunxisse, atque totidem distinctas invexisse divinitates. Nos equidem ideis nostris realitatem tandem ratiocinio admoniti elargimur, ast unicam tantum, eamque essentiam divinam unam in natura, et trinam in personis esse statuimus, quae unicum, et perfectissimum, atque realissimum est rerum exemplar. Caeterum Platonem qua philosophum purum exemplarismum, seu ideas tamquam essentias et veritates ideales rerum docuisse colligitur subobscure ex Parmen. et Th. aet.

planta, leo verum animal, quia id habent, quod ipsis est essentiale. Veritatis metaphysicae oppositum est *malum*.

Veritas *moralis* tandem est = conformitas verborum cum interna animi cogitatione =, cui opponitur *mendacium*.

594.° Ast eiusmodi veritatis tripartitio unitati veritatis generice sumptae nullatenus officit; quaevis enim ex allatis veritatibus iure dicitur, estque revera = id quod est =, vel, = exemplar =, licet sub diversa entis forma.

Corollarium primum — Realitas potest ceu veritas, vel exemplar subinde accipi.

595.° Ex praefata tam definitione, quam divisione veritatis fluit, nedum puram ideam, verum etiam perceptam realitatem rei in veritatem, vel in exemplar rei faciendae, vel iudicii ferendi posse adhiberi, cuiusmodi in primis est realitas, vel essentia divina, quae utpote, ut ait s. Thomas, multimode ad extra imitabilis, exemplar est totius creationis. Item natura universa in exemplar convertitur pictoribus, sculptoribus, aliis artificibus, atque etiam poëtis eam imitari quodammodo nitentibus. Quapropter essentia divina dicitur exemplar metaphysicum aeternum omnium rerum creatarum, in quantum videlicet earum aeternas rationes continet; natura autem exemplar metaphysicum, vel physicum artificialiter faciendorum; ast illud exemplar infinitum, istud finitum: illud per se intelligibile, istud non item (1).

Corollarium secundum — Distinctio inter veritatem et verum.

596.° Secundo colligitur aliud veritatem, aliud rem veram, vel verum esse. Veritas est ipsum exemplar, res autem vera, exemplaris imitatio vel participatio. Quemadmodum res vocatur bona vel pulchra non quia ipsa sit bonitas, vel pulchritudo, sed quia eam participat; ita vera etiam dicitur, quia veritatem imitatur, vel ipsi conformis est. Porro res vera potest in veritatem converti, si ceu exemplar simili faciendae consideratur; uti planta, quae respectu ideae plantae appellatur vera planta, potest etiam veritas plantae evadere, si ex. gr. a pictore eam pingendi causa contemplatur. Ipsi enim pictor comparat picturam, ut iudicet an ipse veram pinxerit plantam.

(1) Realitas creata exemplar fit non quatenus sensibilis, sed prout est mente percepta, vel propriae ideae copulata, alias neque unquam cognosceretur, neque item in exemplar imitandum sumeretur.

Corollarium tertium — Quot modis hoc dictum — veritas rei — intelligi potest.

597.° Colligitur tertio, hoc dictum tam usitatum — veritas rei —, posse tripliciter intelligi: 1.° aut prout significat exemplar, seu veritatem rei: 2.° aut prout significat tantum rem veram, idest exemplari conformem: 3.° aut prout significat rem veram in veritatem, vel in exemplar rei cuidam condendae, electam.

Corollarium quartum — Absurditas quaestionis — an ideae verae vel falsae sint —.

598.° Colligitur quarto in absurdis habendam esse quaestionem a Cartesio propositam de veritate et falsitate idearum. Si enim ideae sunt exemplar cognoscendorum, et regula iudiciorum, quomodo potest vel minimum suspicari eas errori subesse? Quid adhuc humanae naturae relinqueretur veritatis, si fallentibus et captiosis frueretur ideis? Non equidem mens in ideis simpliciter intuendis fallitur; sed decipitur solum in iudicando: vel clarius, fallitur non quatenus utitur ideis tamquam obiectis, atque, ut aiunt, facultatem idearum mens exercet; sed quatenus ideas, ceu media iudicandi adhibet, atque facultatem affirmationis, vel verbi exercet, qua haudamplius simpliciter intuetur, sed, ut ait s. Thomas, componit et dividit.

ARTICULUS SECUNDUS

CLASSIFICATIO VERITATIS LOGICAE

599.° Quia logicam tradendam ex professo moramur, abs re profecto non erit, imo optimum factu, saltem classificationem veritatis logicae subnectere.

600.° Indubium oppido est, atque communiter acceptum, veritatem logicam aliud quidquam non esse, quam ideam quatenus est exemplar cognitionis, et regula iudiciorum. Ex qua consideratione protinus iure infertur, ideas totidem esse veritates; proindeque eamdem esse idearum, et veritatis logicae classificationem. Porro ideae in specificas imperfectas, in specificas perfectas, atque in genericas, ac demum in omnium generalissimam, uti est idea entis, dividuntur: ita de veritate logica dicatur, quae in veritatem logicam specificam, genericam, et generalissimam etiam partitur, quae, uti diximus, est idea universalissima entis. Conferatur ergo classificatio, quam in ideologia praebuimus, idearum, cui haec de veritatibus logicis simillima est.

COROLLARIA

601.° Infertur ergo 1.° veritatem generice sumptam, quam in quotidianis negotiis, et conversationibus nominatam audimus — veritas est —, — per veritatem iuro, contestor — etc. — veritas id condamnat, ita iubet —, — veritatem sequor — etc. aliud non esse quam ideam entis, qua nihil est homini intimius, nil in sermonibus atque cognitionibus frequentius.

602.° Infertur 2.° atque ideo veritatem iisdem numero potiri proprietatibus, quibus idea entis, idest aeque immutabilem, aeternam, necessariam, universalem etc. esse; quia veritas id re est, quod idea entis.

603.° Infertur 3.° Doctorem Angelicum optime de cognitione dixisse, — eam esse effectum veritatis — (1) —; quia veritas est idea entis, a qua cognitio suam trahit originem, atque suam formam intellectivam mens humana. Item verum esse aliud Doctoris dictum: « intellectus non decipitur circa id quod est, vel circa ideam entis ea de causa, quia veritas est ».

604.° Infertur 4.° verissimum quoque esse aliud Doctoris eiusdem effatum: « nullus potest cogitare veritatem non esse » (2). Si enim quis cogitat hoc ipso utitur idea entis, idcirco iam in ipsa versatur veritate. Quapropter scepticismus nequit veritatem depellere, quin prius e mentibus cogitationem eradicet; quod cum nondum hactenus ipse praestiterit, imo eius fautores veritatem impugnando, semper cogitent; consequitur veritatem tam ipsis, quam aliis inesse hominibus, quibus tantum valet cogitare, quam veritatem sibi vindicare.

605.° Infertur 5.° posse cum Augustino et Bonaventura dici: — mens ab ipsa veritate immediate formatur —. Formatur enim ab idea entis, quae cum veritas sit, merito ipsa dicitur mentem efformare. Atque etiam praeclarissimum oraculum Augustini intelligi: « lux increata est ratio cognoscendi, et sola lux increata est veritas » (3). Lux equidem increata est idea entis, quae revera vocatur ratio cognoscendi, ideoque et ipsa veritas.

606.° Infertur 6.° binas has propositiones — veritas unica est — et — plures sunt veritates, uti illud Psalmi « diminutae sunt veritates a filiis hominum » — aeque veras esse. Unica enim est veritas absoluta, et suprema, seu idea entis; plures autem etiam sunt veritates, vel ideae idest specificae, et genericae, de quibus supra.

(1) De verit. I. 1.

(2) Ibid. X, XII.

(3) De ver. Relig. C. XXXIV — XXXVI. Innumera alia omittimus Patrum testimonia, quae passim in eorum se produnt operibus.

607.° Infertur 7.° criticismum germanicum, qui ut scepticismum devitet, veritatem subiectivam excogitavit, scepticismo adhuc illaqueari, quia veritas in idea entis sita, essentialiter obiectiva esse debet.

608.° Infertur tandem 8.° quam merito ideologiam, seu scientiam de ideis, et maxime de idea entis, fuisse logicae praeiactam, cum obiectum logicae, idest veritas cognitionis, ab idea entis evidenter mutuetur.

CAPUT SECUNDUM

DE VERITATIS CRITERIO

609.° *Criterium* veritatis id nuncupatur, quo homo utitur ad veritatem cognitionibus ingerendam, falsitatemque devitandam, atque triplicis generis est: 1.° criterium *a quo:* 2.° criterium *per quod;* 3.° criterium *secundum quod*. Primum est iudex, qui de iudicio sententiam fert; secundum est facultas animi, pone, intuitio, vel reflexio, quibus veritas prebenditur: tertium, de quo hic agemus praesertim, est insigne vel regula, qua verum a falso internoscitur, idque propterea est, quod proprie criterium dicitur.

610.° Huiuscemodi autem criterium vel in seipso perspicitur, in quantum videlicet cognitiones reddit veraces, atque infallibiles; vel in quantum adhibetur ad cognitiones habitas quoad earum veritatem et falsitatem expendendas. Primo sensu appellatur criterium veritatis, secundo, certitudinis. Aliud quippe est medium haberi cognitionibus veris efformandis, aliud eodem medio recte uti, ut veritas cognitionum advertatur. Quoties enim non evenit, ut cognitiones verae sint, quoties falsae, quin tamen earum veritas et falsitas nobis adhuc comperta, certa, et conscia sit? Patet ergo aliud esse criterium veritatis, aliud certitudinis.

611.° Nos inferius iis reiectis, quae ad certitudinem spectant, criterium veritatis in primis versamus. Id bifariam dispescitur, in determinatum, vel indeterminatum, aut generalissimum. Criterium determinatum, vel peculiare veritatis est idea quaedam specifica, vel generica, quae, uti diximus, veritas est respectu cognitionum eiusdem speciei et generis. Quare tot habentur criteria peculiaria veritatis, quot ideae. Hinc quaevis scientia cum aliquam ideam specificam vel genericam evolvendam suscipiat, suum habet criterium; suum physica, suum mathematica, suum logica, suum psychologia, suum moralis, suum politica, suum iurisprudentia, suum theologia etc. Criterium indeterminatum et generalissimum unicum est, atque idea entis (1), quae dicitur criterium absolutum. Alia e contra vocantur

(1) Quidam vix aut ne vix quidem a nobis abludentes, criterium supre-

criteria hypothetica, nempe eatenus vera, quatenus ideae entis respondent. Ex quibus haec fluit regula: — illa iudicia sunt vera, quae idea entis evidenter continentur, probabilia, si probabiliter tantum continentur, falsa, si nullimode continentur —. Atque haec regula pro demonstratione cuiuslibet criterii particularis sufficiat. Nos ad criterium supremum veritatis gradum facere interim oportet.

ARTICULUS PRIMUS

DE SUPREMO VERITATIS CRITERIO

612.° Duobus praecipue characteribus debet criterium supremum veritatis enitescere, 1.° debet esse immediatum, idest intrinseca et propria veritate fulgens, et quidem ab omnibus aliis principiis independenter: si enim mutuata luce splendesceret, haud immediatum, et primum omnium amplius foret. 2.° Debet esse evidentissimum, idest obiectivam necessitatem prae se ferre, adeo ut mens, eo vix conspecto, ipsum cogatur admittere, atque eius causa ea etiam excipere, quae ei conveniunt, et ea, quae ipsi repugnant, respuere.

613.° Ex quibus maximis criterii characteribus pronum est inferre, ideam entis ipsis plane splendescere, atque sicuti iam in veritatem supremam et universalissimam evecta est, ita pari iure ad supremum eiusdem veritatis criterium digna quae evehatur, eoque magis, quod veritas suprema et eius criterium in idem recidunt, atque id tantum differunt inter se, quod si in seipsa consideratur veritas dicitur, sin autem in relatione ad cognitiones, earum videlicet veritatis

mum veritatis — in necessitate logica — vel ut aiunt — evidentia intellectuali — reponunt, quibus assentimur; quia necessitas logica ipsa est idea entis, qua ostenditur — quod est, est —; en necessitas logica. Qui autem evidentiam simpliciter nominant, atque ut criterium summum accipiunt falluntur. Evidentia enim non est, nisi qualitas abstracta criterii supremi, quod vocabulo — evidentia — non sat exprimitur quid sit. Quod tam verum est, ut ipsi praeter veram, fucatam quoque et fallacem evidentiam agnoverint. Sin porro dicatur: — criterium summum est idea entis — iam habes ipsum criterium expressum, atque item eius qualitatem, seu evidentiam, cum idea entis evidentissima sit.

Sunt demum qui evidentiam tribuunt in obiectivam et subiectivam, quarum prior est lux, posterior lumen (!!!), quin tamen quid sibi velint hac distinctione nullus, nec ipsi quidem intelligant, neque unquam intellecturi sint; ut qui duplicem eiusmodi evidentiam in metaphysicam, physicam, et moralem postea dividentes eo consequenter perducuntur, ut lumen et lucem metaphysicam, physicam et moralem (!!!) cogantur supponere, quo an ineptius, insanius, et absurdius dici possit, nescirem.

et falsitatis internoscendae causa, vocatur criterium, regula, tessera, insigne veritatis. Hinc omnia argumenta, sive quae ex ratione, sive quae ex auctoritate dedimus ad probandum ideam entis ipsam esse veritatem, evincunt itidem esse quoque criterium supremum eiusdem; criterium supremum logicum, inquam, quia ens exhibet in forma ideali. Ens enim in forma reali, et morali, duo alia praebet criteria, metaphysicum et morale: primum est realitas entium percepta, secundum autem natura moralis: utrumque tamen robur et efficaciam a supremo criterio logico accipiunt.

614.° Horum argumentorum summa haec est. 1.° Attributum essentiale cognitionis est, ut cognitio sit vera: cognitio quippe falsa, utpote obiecto capta, non est proprie cognitio. Ast cognitio ideo est vera, quia esse rei attingit, vel quod cognoscitur *est*. Ergo idea entis est veritas, et criterium cognitionis. 2.° Veritas est — id quod est —, atqui esse, vel ens ideale, nedum est, sed necessario, essentialiter, et immutabiliter est, utpote essentia entis: ergo etiam ex veritatis definitione idem constat. 3.° Veritas, vel criterium eiusdem semel ut intuetur, mentem ita sibi captivat, ut ipsa nequeat aliter cogitare, quam quod intuetur. Porro haec necessitas logica ex idea entis provenit, qua ostenditur — quod est est — ergo etc. 4.° Iudicia tunc vera censentur, cum eorum copula exprimit esse rei, quae in iudicium venit; seu si copula verbo *est* expressa revera ita est. Ergo idea entis suppeditat regulam iudiciis cognoscendis, seu est veritas et criterium omnium iudiciorum, utpote maximae extensionis et firmitatis.

ARTICULUS SECUNDUS

AN PRINCIPIA RATIONALIA TOT SINT CRITERIA SUPREMA

615.° Tam accurata eiusmodi principiorum analysi, quam argumentis ex ss. Patribus depromptis ostendimus in ideogonia originem omnium principiorum ex idea entis, atque etiam originem principii contradictionis, quod cum, ut ait s. Thomas, et Alexander Alensis, in ratione entis fundetur, ideam entis itidem sibi antevertentem supponit. Idipsum dictum de principiis mathematicis putamus, quae cum principio identitatis (quod est est) tandem cohaerent, sicque in ideam entis etiam confluunt, cuius totidem sunt applicationes. Quam principiorum rationalium in ideam entis reductionem etsi perantiquam, pauci ex nuperrimis philosophiae tractatoribus sunt, qui viderint, cum fere omnes genealogiam cognitionis ex principio deducant contradictionis. Tamen principio contradictionis vix intellecto, facillimum est vel unum gradum sursum adhuc facere, atque in ideam entis

ascendere, sed quidam non potuerunt, quidam noluerunt, ne in conspectum terribilis ideae entis venire cogerentur, quam lascitiosi eiusmodi tantopere reformidant.

COROLLARIA

616.° Corollarium primum —. Iudicia ergo, vel principia eo evidentiora sunt, quo ideam entis propius accedunt, atque eo obscuriora, quo ab ipsa idea remotiora.

617.° Corollarium secundum —. Demonstratio ergo alicuius veritatis aliud quidpiam non est, quam eam ad ideam entis, ceu ad veritatem maximam, revocare, eoque inclusam esse ostendere.

618.° Corollarium tertium —. Iudicia ergo quaedam sunt mentis instrumenta, vel media huius immediatae reductionis logicae cuiusdam veritatis peculiaris ad veritatem universalem: ratiocinia autem sunt instrumenta eiusdem reductionis logicae mediatae.

619.° Corollarium quartum —. Ea ergo iudicia vel principia iure vocari, atque primitiva esse, quae neque iudicio, neque ratiocinio in aliud superius reduci queunt, ideoque irreductibilia sunt. Porro eiusmodi aliud non est principium, quam principium entis — obiectum mentis est ens — quo prima fit ideae entis applicatio, et ideo ab Aristotele ens vocatur — genus generalissimum omnes categorias complectens —; et a s. Bonaventura — genus extra omne genus —.

CAPUT TERTIUM

DE CERTITUDINE

620.° Aliud veritas est, aliud certitudo. Enimvero certitudo definitur = firma et rationabilis persuasio veritati conformis =. Certitudo ergo est quaedam veritati adhaesio subiectiva animi (1). Atque hinc fieri potest, ut adsit veritas in obiecto, desit tamen certitudo in subiecto, quod illam aut non perspicit, aut perspicere negligit. Praeterea veritas est simplicissima seu — id quod est —; certitudo vero saepe constat tribus elementis, 1.° veritate in obiecto, 2.° firma persuasione in subiecto, 3.° motivo vel ratione istius persuasionis. Sin autem veritas in obiecto ita per se pateat, ut motivo et ratione extrinseca, ceu signo, non indigeat, quo obvia fiat, tunc duo tantum

(1) Ergo certitudo est immobilis animi persuasio ad ipsum subiectum essentialiter spectans, ac proinde distinctio certitudinis in obiectivam et subiectivam aut nihil significat, aut absurda est. Obiectum enim in seipso inspectum dicitur verum, non certum. Homo enim est, qui certior fit de hoc obiecto.

habentur elementa certitudinis, videlicet 1.° veritas in obiecto, 2.° firma et rationabilis persuasio in subiecto.

621.° Signum externum veritatis, puta auctoritas, vocatur principium cognoscendi: veritas autem ipsa intuitive apprehensa dicitur principium essendi: illud extrinsecum, istud intrinsecum est veritati.

622.° Ast signum externum, vel principium cognoscendi, ut ad veritatem nos perducat, certum esse debet. Certitudo autem eiusmodi unde dimanat? ex alio signo certo, donec signorum serie absoluta tandem devenitur ad signum intrinsecum veritatis, vel ad ipsam veritatis praesentiam immediatam, vel ad eius apprehensionem, quae dicitur cognitio ultimae rationis propositionis, cuiusmodi est idea entis. Ergo principium extrinsecum certitudinis in principium intrinsecum eiusdem denique resolvitur.

623.° Hoc porro principium intrinsecum certitudinis, idest — veritas immediate prehensa — nedum certitudinis, sed et ipsius cognitionis principium est, atque fundamentum, adeo ut cognitio vel ex sua origine naturam cognitionis acquirat, et certitudinis firmitatem, ut quae ex sinu veritatis egressa (1). Quae principii certitudinis cum principio cognitionis identificatio intelligenda est de solo principio supremo certitudinis: caetera enim principia secundaria certitudinis distinguuntur a principio cognitionis, cum aliud sit cognitio, aliud certitudo ipsius. Sic aliud est notio Caesaris Augusti, aliud istius cognitionis certitudo vel ratio extrinseca.

ARTICULUS PRIMUS

DE SUPREMO CERTITUDINIS CRITERIO

624.° Criterium certitudinis est regula infallibilis applicandi criterium veritatis. Quapropter cognitio fit vera per veritatem, aut criterium veritatis; qua vera autem detegitur ope criterii certitudinis. Non sufficit enim admittere 1.° ideam entis esse veritatem; 2.° atque item medium infallibile cognitionis: requiritur ulterius, ut haec ideae entis applicatio, vel usus rectus sit, cui efficiendo praesto est criterium certitudinis.

625.° Formula criterii certitudinis autem haec est: — mens ut sciat an ad certitudinem alicuius propositionis pervenerit, animadvertat an propositio conveniat cum esse —, vel, — an purum esse rei affirmet —, vel, — an subiecto id tantum, quod ipsi inest, et eo modo, quo inest, tribuatur —. Huic investigationi sane opus est idea entis, cuius ap-

(1) Hoc sensu certitudo optime etiam dici poterit — basis cognitionis humanae —.

plicatione comperitur an plus, vel minus affirmetur, vel negetur de esse eiusdem subiecti. Criterium ergo supremum mentem in certitudinem veritatis propositionis dirigens est — expendere an legitima facta fuerit entis applicatio ad nexum propositionis, quae est in quaestione —. Hinc cum simplex esse rei affirmatur, ut in iudiciis primitivis, nedum iudicia eiusmodi in seipsis vera sunt, sed et statim respectu mentis etiam certissima, quia haec animadversio super applicationem ideae entis ad haec iudicia, veluti ictu oculi fit, atque legitime facta deprehenditur. In aliis iudiciis contra haec animadversio fieri non potest tanta cum festinatione, atque subsidia, et media physica, hystorica, critica, logica, secundum iudiciorum naturam exquirit, atque inde plures certitudinis species emergunt (1).

ARTICULUS SECUNDUS

DE VARIIS CERTITUDINIS SPECIEBUS

626.° Certitudo quamquam unica in se est, atque subiectiva adhaesio veritati firma et rationabilis, ratione tamen suorum obiectorum, de quibus nempe certiores reddimur, in certitudinem logicam, physicam, et didascalicam tripartitur.

627.° Certitudo logica, quam etiam metaphysicam dicunt, ab ipsa veritate, vel necessitate propositionis clare apprehensa progignitur, atque bifaria est 1.° intuitiva, si veritas, vel necessitas propositionis immediate intuetur, 2.° rationalis, si haec necessitas fuit ratiocinio deducta. Certitudo rationalis — logica potest esse, vel logica — idealis si ideas, vel logica — realis, si ens reale necessarium, vel logica — moralis, si ens essentialiter morale respicit. Certitudo logica est caeteris ratione suae firmitatis maior (2).

(1) Multa quae quoad assensum perfectum, vel persuasionem dicta fuerunt, tum ut pericula falsae persuasionis evitentur, tum ut plenior persuasio obtineatur, etiam certitudini referenda sunt. Hoc tamen interest inter certitudinem et persuasionem, quod illa nedum firma, sed et rationabilis sit animi adhaesio veritati, quae animi quietem gignit. Persuasio contra firma esse potest, ast rationabilis non semper, eo quod, uti diximus, falsa etiam esse possit. Paucis, certitudo est persuasio vera, non autem quaevis persuasio etiamsi falsa.

(2) Certitudo fidei ratione sui obiecti, nempe Dei, eiusque mysteriorum est quidem caeteris maior, non ratione firmitatis, quae eo maior est, quo obiectum mentis est evidentius, atque menti intimius. Obiectum autem fidei est invisibile, ideat mentem excedens, ideoque eius veritas intrinsece, directe, et immediate non apprehenditur, sed ex signis externis, puta, ex miraculis, ex prophetiis, etc. colligitur eam ita esse prout creditur, etsi non

628.° Certitudo physica ea est, quae sensibilia spectat, atque duplex est, psychica, si existentiam, et modos proprii spiritus, et aesthetica, si existentiam corporum attingit. In eo autem utraque differt a certitudine logica, quod necessitatem tantum hypotheticam inducat, non absolutam, uti necessitas logica; atque etiam quod haec necessitas hypothetica ex necessitate logica fluat. Ideae enim entis applicatione sensibilia percipiuntur, atque ita esse prout sunt, item cognoscuntur. Rursus certitudo physica sive psychica, sive aesthetica bifaria est, perceptiva, si de rebus immediate perceptis agitur, et physica — rationalis, si de rebus ex perceptis solum deductis.

629.° Certitudo didascalica (a verbo docere) ea dicitur, quae aliorum magisterio, vel auctoritate nobis insinuatur, estque vel hystorica, si facta, doctrinalis, si doctrinas spectat. Utraque esse potest vel absoluta, si magisterium et auctoritas tam ex se, quam in comunicatione veritatis, aut facti, sint infallibilia; secus autem normalis, et directiva tantum est. Certitudo didascalica — hystorica, aut hysterico — perceptiva est, si testes oculati sunt, aut hystorico-critica, si auriti. Certitudo autem didascalica doctrinalis in certitudinem logicam convertitur, si veritas intrinseca doctrinae apprehenditur.

630.° Hisce praemissis, intelligitur quot modis accipi poterit hoc dictum — hac de re certus sum —: potest enim accipi vel pro certitudine logica, vel physica, vel didascalica, prout res, cuius certitudo habetur, logica, vel physica, vel didascalica est. Quae certitudinis species duplici vocabulo possunt etiam comprehendi: idest certitudo absoluta, vel apodictica, et certitudo hypothetica. Certitudo logica enim est semper apodictica, physica semper hypothetica, didascalica modo apodictica, modo hypothetica. Eadem ratione ex adverso distinguitur etiam impossibilitas, quae vel apodictica est, vel hypothetica, vel solum improbabilitas. Quarum primam impossibilitatem logicam appellant, secundam vero impossibilitatem physicam, tertiam demum, etsi improprie, impossibilitatem moralem (1).

videtur. Hinc fides dicitur — sacrificium intellectus —, qui debet id ceu verum admittere, quod directe non intuetur. Cum autem signa externa certitudinis fidei tandem ad criterium naturalis veritatis reducantur — quod est, est — patet cur tam vera, et certa sint fidei mysteria, quam principia mathematica. Quare optime dictum est, quod philosophia sit etiam fundamentum theologiae, atque veritates theologicae philosophicis cohaereant. Non diffitemur tamen theologiam plura docere quae altioribus ac plane divinis fundantur principiis, quibus philosophia subscribit.

(1) Hactenus de certitudine scientifica disseruimus, quae haud cum certitudine simplici, vel vulgari potest confundi; haec enim constat tantum 1.° ex veritate iudicii, 2.° et firma persuasione, quin sit de motivo sollicita.

CAPUT QUARTUM


OPINIONES PHILOSOPHORUM SUPER SUPREMO VERITATIS CRITERIO IN PAUCA CONFERUNTUR

631.° Quae de snpremo veritatis criterio hucusque tradidimus, atque item de regula universali, qua certitudo nostris adsciscitur cognitionibus, ut ut perspicua atque explorata fuerint, atque tam rationibus, quam auctoritate summorum repraesentata; non omnium tamen extorserunt philosophorum assensum, quibns tanta inest opinionum de criterio veritatis, vel, ut ipsi aiunt, certitudinis, discrepantia, quanta de cognitionis principio. Qua ex quaestionis utrinsque identitate iam patet, hanc ipsis semper insedisse sententiam — principium cognitionis, et criterium veritatis supremum ex eodem fonte manare, aut ex una simul progeminare radice —; quamquam quoad accidentalia in varias ipsi fuerint deinceps theorias dilapsi. Quod si accurate Terentius Mamiani animadvertisset, haud profecto principium cognitionis a criterio veritatis adeo seposuisset, ut seorsim a philosophis tractandum posse putaret.

632.° Cum ita de harum quaestionum identificatione sit, nobis iam licitum est ab eorum systematum de criterio veritatis expositione singillatim texenda supersedere, cum ipsi criterium veritatis, perinde ac principium cognitionis, vel ex animi virtute (subiectivistae), vel ex sensibus (sensistae), vel ex hominum auctoritate et consensu (traditionalistae), vel ex snperna inspiratione (mystici), vel ex contemplatione absoluti (pantheistae cuiusque generis) deduxerint. Quae systematum divisio in subiecta tabula distincte conspicitur, ubi quidquid de criterio excogitatum fuit suis sedibus collocatur, et quasi ante oculos ponitur.

TABULA SYNOPTICA

EXHIBENS SYSTEMATA PHILOSOPHORUM DE SUPREMO VERITATIS CRITERIO



633.° Ex qua synoptica systematum classificatione oculis fere conspicitur, philosophos in eadem scolia quoad veritatis criterium impegisse, quibus iam in ideogonia allidi vidimus cum originem quesierint cognitionis humanae, nempe quosdam defectu, quosdam vero excessu peccavisse. Defectu peccant sensistae, subiectivistae, atque uti aiunt sentimentalistae, qui extra veritatem criterium inquirunt veritatis. Iis adstipulantur, atque in eumdem incidunt defectum, qui auctoritati sive divinae, sive humanae mordicus adhaerentes, in supremum veritatis criterium eam sustollunt, haud sedulo animadvertentes auctoritatem divinam nullatenus ad philosophiam rationalem pertinere; humanam autem auctoritatem si quid tandem roboris habet, quo convincamur, ex principiis rationis id depromere; ideoque principia eiusmodi non ideo vera esse, quia communia, sed eatenus communia, quatenus vera. Contra excessu aberrant, qui probe criterium veritatis in ipsa situm esse veritate intelligentes, idea tamen, quam de veritate sibi confecerunt, eos plane fefellit, vel quod nimis plena atque, subsistens, seu metaphisica quibusdam videtur, vel quod aliis exilis nimis vacua et abstracta. Haec inter systemata hinc defectiva, istinc exuberantia, nostra medium quasi iter contendit, theoria de ente ideali, quod non minus veritas summa est quam eius primum criterium, minime quidem mentis potentiis aut studiis compactum, sed ipsa nobis natura infusum. Adeo insigne autem, atque universale criterium nullis ex allatis Philosophis serena mentis speculatione unquam suspexit; idcirco omnes sive ex una, sive ex altera parte decepti fuerunt, ne ipsis neoplatonicis quidem exceptis, qui extra chorum, uti dicitur canentes, primam veritatem methaphisicam pro veritate logica usurpantes, Deum, ceu principium logicum (proh nefas!) axioma, postulatum ausi sunt in summa totius philosophiae constituere, perinde atque ipse iugiter a mente humana in cogitando, in ratiocinando, in assentiendo, cernetur immediate. Ecquos compotes sui haec tam absurda, et undique pantheismo scatentia sequi non puderet? ecquis maximae Christianus novam hanc non exhorrescit protestantismi speciem, qua ordo rationalis solum ente ideali exclusive innixus, proiicitur, ut solus in homine dominetur, non, inquam, ordo supernaturalis gratiae confusa divinitatis perceptione erectus, verum etiam ipse ordo supernaturalis gloriae, qui profecto in immediata intuitione Dei creantis totus atque unice versatur? insanire prius ipse, quam id tueri oppido debet.

634.° Nihilominus neoplatonici nuperrimi acriter perstrepunt etiam ss. Ecclesiae Patres in eadem sententia de intuitione immediata divinitatis fuisse, atque idcirco inter veros realistas eos fore adnumerandos. Ast quantum ipsi doctrinis ss. Patrum inferant violentiae, confestim perspicuum fit, vix dum, vel raptim recordentur: 1.° quod


vox *reale* aequivoca etiam penes antiquos philosophos fuerit, atque identidem innuerit, vel aliquid subsistens (realismus substantiarum vel activus), vel meram existentiam idealem, seu oppositum nihili; idest ideas aliquid tandem esse, neque propterea parum nihil (realismus idearum obiectivus); quo ultimo sensu vocem — *reale* — ss. Patres fuerunt, de ideis loquentes, interpretati. 2.° Quod realismus duplicis sit speciei, philosophicus scilicet et mysticus. Prior, ideis, quae rebus cognoscendis, ceu earum formae applicantur, divinam tribuit realitatem, sicque in Pantheismum incurrit. Posterior est quaedam, ut aiunt, mystica inhabitatio spiritus sancti in anima iusti vel experimentalis, ac interna divinae realitatis perceptio, quae profecto de rebus creatis nequit praedicari, nisi fortasse de ipsis iustis per quamdam idiomatum communicationem (1). Hinc ss. Patres cum Deum videri, vel ipsum alloqui etc. dixerint, mysticam et empiricam cognitionem, imo et ipsam divinitatis actionem, vel unctionem aut ignem, exprimebant atque homines, ut pravis affectibus cor mundarent, electisque induerentur virtutibus, quibus solummodo potentia Deum videndi confertur, adhortabantur. Loquebantur ergo de realismo mystico et supernaturali (ut ex contextu, stylo, methodo, et fine constat operum eorum) ab ipsa gratia divina producto, qui vix in provinciam Philosophorum transferretur, speciem realis Phantheismi iam susciperet, a quo ss. Patres summopere abhorrebant. Sacra ergo profanis neo-platonici nostri miscent, cum ideogoniam patristicam explanandam aggrediuntur, haud veriti, quod Patribus primum erat, atque realissimum in ordine fidei et gratiae, in primum etiam atque realissimum convertere quoad ordinem rationis, qui magis proinde funditus hoc ipso labefactatur.

635.° Ad realismum idearum, quod ulterius attinet, praestat in mentem revocare vel paullulum ipsum primo contra Roscellinum, nominalistarum parentem, atque Abaelardum conceptualismi auctorem (2) invectum data opera fuisse, eo fine ut probaretur, ideas

(1) Qui equidem lux vocantur, sed in Domino, cuius interdum visibilibus etiam emicant splendoribus.

(2) Ex documentis, quae nostrae memoriae superaunt, parum certi colligi de opinione Abaelardi poteat; id unum tantum constat, inter nominalismum, et conceptualismum fluctuasse, atque in plurimis de rationalismo suspectum esse. Nam caeteris etiam missis certum est, nominalismum et conceptualismum essentiam communem impugnasse, ideoque in divinis quibus unica est essentia tribus personis communis, aut ad Triteismum, si Trinitate consulitur personarum, aut ad unitariamum, si unitati essentiae prospicitur, inducere. Vid. s. Ansel. Quoad realismum purum novimus pariter ideam abstractam divinitatis in formam realem a Deo seiunctam, qua Deus fit, convertisse. Ita Gilb. Pict. Epus.

neque in puris vocibus, neque in puris intellectualibus conceptis existere, at aliquid eas ex seipsis esse, atque posse reales appellari. Cum autem nullum realitatis exemplum habeatur, quam ipsa realitas phisica, statim exorta est quaestio de vocabulo reale. Si ideae reales sunt, ergo, poscebatur, quo tandem ipsae consistunt? quid agunt? quonam moventur? Aliaque id genus plura realitatem substantialem spectantia, sciscitabantur, eo quia sine ullo consilio, atque advertentia vocabulo *reale* existentiam idearum innuerint. Quibus interrogationibus satisfaciendis realistae in diversa abierunt, quidam ideas in Deo existere (Platonismus), quidam totidem esse subsistentias separatas (Polytheismus), quidam demum, rebus cosmicis ut formas uniri (Peripatetismus) respondentes. Hanc ultimam sententiam realistae saeculi duodecimi subscripserunt, quia pressius vestigiis Aristotelis mundum improductum admittentis, baerentes, nihil, aeternitate mundi supposita, ipsis impedimento erat amplius, quominus universale, vel ideas aeternas, etiam aeternis identificarent rebus. Ex qua brevi Nominalismi, Conceptualismi, et Realismi expositione, iam conficitur, ordinem idealem in nullo horum sistematum incolumem remanere, ast in ordinem realem semper irrepere, eoque commisceri. Quomodo ergo ss. Patres poterant, salva fide, nominalismum, vel conceptualismum, quibus menti medium aufertur cognitionis, et rerum refelluntur exemplaria propugnare, vel, realismum, quo vel ipsa impossibilitas creationis idcirco ut Pantheismus, vel Emanatismus invehebantur, amplecti, tueri, atque ex cathedra docere? Restat ergo ut concludamus, eos idearum naturae sat consuluisse, statuendo earum existentiam plane sui generis esse, atque incomparabilem, idest obiectivam, et idealem; alia omnino interea reiecta, quae existentia realis, activa, et subiectiva, vel extrasubiectiva nuncupatur quacum versamur corpore, atque afficimur. Ut autem sistematum de idearum existentia prae oculis veluti habeatur, hanc tabulam eorum Genealogiam referentem delineamus.



(1) Quidam nuperrimi duplex universale somniarunt, directum et reflexum vel reduplicativum quorum primum tantum in rebus quoad quidditatem existit: quod ut probent, tuentur universale quod ex dictis in rebus existit abstractione formari; et allegant s. Thomam. Nostra autem sententia haec sunt totidem absurda, et quidem reduplicative; sicuti etiam reduplicative absurda est eorum intuitio reflexa.

CAPUT QUINTUM

NATURA ET ORIGO SCEPTICISMI

636.° Tametsi nil homini evidentius sit nil eius menti intimius, quam veritas, quae, uti vidimus, in mentis fundo, pene dixerim, conquiescit, atque omnes cogitationes inde prodeuntes indiscriminatim informat; id non obstat quominus Philosophi veritatem varie, praeter id quod ipsa sit, interpretantes, aut in dubium verterint, aut etiam non existere, aut non cognosci, fuerint complures opinati. Adeo autem veritati perduelles vocantur sceptici, quorum sententias in unicam formulam reduci, idest in formulam dubii facillimum putamus. Etenim ex scepticis sunt 1.° quidam, qui existentiam veritatis aperto inficiantur, 2.° quidam, qui veritatem quidem existere, ast menti incompertam esse, docent, 3.° quidam qui existentiam veritatis ultro admittunt, sed ea tantum conditione, qua eius existentia subiectiva tantum sit, idest menti ceu qualitas haereat, 4.° quidam demum, qui an veritas existat dubitant.

637.° Porro haec quatuor scepticismi species vel formae, apparentes, ut aiunt, tantum sunt atque in formulam dubii coeuntes. Qui enim veritatis existentiam, vel cognitionis negant aut in subiectum eam detrudunt, ostendunt hoc ipso veritatem non apprehendere, secus talia nunquam de veritate commenti ipsi fuissent. Verum, qui aliquid non cognoscit non potest item si vel sibi cohaerens est, non potest, inquam, neque affirmare, neque etiam negare, seu debet, an sit vel non sit, dubitare. Sceptici ergo cuiuscumque formae in dubium consentire debent. Ideoque dubium est forma essentialis et unica Scepticismi.

638.° Huic autem scepticismo ad formam dubii reducto quam facile contradici nemo non prospicit. Percontante enim, an ipsi dubitent, debent confestim affirmare se reipsa dubitare. Ast quomodo affirmatio cum dubio conciliatur? affirmatio, aliquid veri supponit, dubium contra verum repellit. Idcirco tanta est inter affirmationem et dubium contradictio, quanta inter esse et non esse principii contradictionis. En ergo quo se coniiciunt sceptici! secum ipsi vel solum loquentes, pugnant.

639.° Neque sceptici reponent, se de veritate quidem dubitare non vero de cognitionis existentia, de qua nulla ipsis res est; sed videant, ne proprio se mucrone transverberent. Etenim cognitio nequit sine principio, vel forma intelligibili existere, uti probavimus; forma autem eiusmodi cognitionis est veritas; dictum est enim, quod cognitio sit effectus veritatis, vel ideae entis. Ergo vel ipsa cogni-

tionis existentia, ipsius veritatem iam vindicat (1). Insuper elargimur quidem cognitionem non semper veram esse, idest rebus externis non congruere. Ast quid nostra? cognitio rerum externarum non est, nisi pars cognitionis, quae perceptiva dicitur, atque vera vel falsa esse potest. Praeter quam habetur etiam alia cognitionis species excellentior, quae obiectiva, vel pura nuncupatur; idest idealibus tantum inhaerens, quae ut ut prior falsa sit, tamen haec posterior semper vera permaneret, imo ipsa est veritas, quia eius existentia veritas iam est; sic, licet res quam cerno, et opinor leonem esse, leo non sit, verum etiam est, me nunc cogitare leonem, atque in ipsa cogitatione ideam vel possibilitatem, vel veritatem intueri leonis, quae idealitas est quaedam veritas aeterna. Porro hoc in ordine cognitionis, seu in ideis, veritatem collocavimus; in cognitionibus autem perceptivis verum tantummodo. Viderint ergo sceptici si refert concedere quod non intelligant, Idest cognitionem.

640.° Nec iterum sceptici replicent, ideam entis, ut primam veritatem in ipsa cum mente unione, aut subiectivari, aut itemque mutari; tantum enim abest, ut idea entis in hoc versetur discrimine, ut potius propter suam obiectivitatem essentialem atque indeterminatam nequeat minimum mutari, vel sese limitibus mentis accomodare, vel quomodocumque ei subiici, utpote naturae excelsioris et incommunicabilis. Quapropter homini ipsam intueri, eaque frui, datum est quidem; eam autem mutare, vel in ipsam agere, aut etiam in examen revocare, nunquam ei licebit. Quomodo enim in eam homo transiliet, si obiectiva, cum sit, homini, ut ad ipsam perveniat, extra seipsum egredi, aut prosilire opus est? quem autem extra se egressum quis audivit? Praeterea quo medio, qua regula homini utendum est ut ideam hanc expendat, et cribret, cum ipsa regula sit iudiciorum suprema et universalis? Quomodo eam ipse trascendet, si prima omnium menti patet, atque, ut sic dicam, culmen est idearum? Tametsi ergo veritas, vel idea entis strictim menti humanae unitur, in sua semper incommutabilitate perseverat, atque plus minusve splendescit, prout mens in ipsam acies dirigit intuitionis. Quam ergo ab hac scepticos refellendi ratione abscedunt, qui ad ipsos veniunt cum cane rabido, cum humero amoto, aut cum belleboro ut curentur, aliisque eiusmodi nugis et fabellis; mirabitur quisque, atque, si recto iudicio est, vehementer ipsis succensebit, quod sub id temporis, nova ac astutissima scepticorum classe nempe Germanorum, famosi,

(1) Hic loquimur de veri nominis cognitione, seu de cognitione obiectiva, quae obiectum ideale arguit, non de cognitione subiectiva, quae sibi obiecta comminiscitur, uti cognitio nihili ut passim in Gnoseologia animadvertimus.

am insana et scurrilia in medium duorum anus nostras fortasse puderet, vel meminisse, nugaces isti proferant.

641.° Hanc propterea tam emicentem, atque collucentem veritatem, vel ideam entis si vel semel serena mente sceptici suspexissent, numquam eius existentiam, et cognitionem in suspicionem vel minimum ipsi vertissent, ideoque scepticismus neque fuisset itidem excogitatus. Contra, sceptici hac vel illa cognitione deceptrice perterriti, praepropere, et plane inconsulto intulerunt: ergo in cognoscendo semper fallimur. Sophisma hoc est — a parte ad totum —. Prius inquirendum erat, an cognitiones sint unius tantum speciei, deinde quaenam cognitio decipere interdum possit. Item quibus mediis utendum est, ut verum attingatur etc. Quibus in pervestigationibus inventum profecto fuisset cognitionem superesse quamdam primitivam, et fundamentalem, quae necessaria est atque spontanea, ideoque nulli omnino errori subiectam, atque alteram reflexam, et liberam equidem aliis de causis ex voluntate praesertim deductis, labilem atque erroneam, cui reformandae semper praesto est cognitio primitiva et necessaria falli nescia. Quas observationes quidam philosophi, atque sensistae, (Stoici, Accademici, Epicurei, aliique nuperrimi) cum praesertim neglexerint, ex erroribus cognitionis subiectivae circa corporum qualitates (1) absolutum deduxerunt scepticismum, qui merito surculus sensismi existimatur. Ex historia scepticismi enim proditum est (2), sensismum saepe scepticismo praecucurrisse, atque etiam ipsos Platonicos, scepticismo, ob eorum de ideis theoriam prius infensissimos, tandem paullatim placitis sensisticis peripateticorum accedentes per Arcesilaum et Carneadem, accademicos demum moribus et doctrina scepticos evasisse (3), quibus assensus tantum probabilis licebat. Contra, qui in cognitionibus sensibilium, vel ipsum elementum universale invenerunt, licet non viderint expresse elementum universale eiusmodi ex idea entis effluere, fieri non potuit, ut

(1) Error qui interdum solet perceptionibus sensibilium immisceri non est adscribendus vel fallibilitati medii cognitionis, vel ideae entis, neque eius applicationi, sed tam sensuum et experimentorum imperfectionibus, quibus materia cognitionis imperfecte rationi exhibetur, atque hinc occasio errandi, quam voluntati ut causae efficienti erroris, quae licet sensus infirmi sint, aut non rite applicati, aut experimenta male peracta, ad iudicandum cogit. Quae sane imperfectiones perceptioni intellectivae non contingunt, quam saepe infallibilem passim probavimus.

(2) Sext. Emp. hypot. l. 1, c. 4. — Cic. lib. Acc. — de nat. Deo.

(3) Cic. lib. Acc. — de fin. — inter causas tam rapidae platonismi corruptionis accenseri debet imperitia, atque cordis depravatio Spensippi et Xenocratis, qui Platoni succeasere, atque invidia Aristotelis, qui statim, ne evulgarentur, libros Platonis mercatus fuit.

admoniti, ut erat hoc elemento universali, in scepticismum corruerent. Ita se gesserunt inter alios, Plato et Aristoteles. Tantum ergo valet ideam entis cognoscere, quantum scepticismum cavere. Ipsam autem ideam entis praeterlabi, idem esse ac scepticismo devoveri (1). Quod si de quavis scepticismi specie indubium est maxime ad scepticismum transcendentalem Germanorum referendum opinamur, cui convellendo nulla doctrina, nullumque systema Philosophorum magis par est, quam illud, quod (utut plebei Philosophi ogganniant) obiectivitatem idearum, atque praecipue ideae entis in theoriam erigit, ac in scientiarum iacit fundamentum. Qua theoria posthabita, poterit quisque scepticos et rationalistas germanicos diris devovere, maledictis notare et vexare, atque inferorum, ut pro concione auditur, flammis mancipare, eos autem radicitus confictari, nemini theoria entis alieno fas est. Vae scientiis vae artibus vae et ipsi Religioni, si operam, praesidium, et victoriam ex hisce blateronibus expectarent.

CAPUT SEXTUM

DE ERRORIS NATURA ET CAUSA

642.° Negotiosa sane aleisque plena res est, naturam et causam erroris exponere, eoque magis, quod error nequeat cum natura humana prima fronte componi, cum haec, ut ait s. Augustinus, sit essentialiter rationalis, error autem irrationalis. Rei tamen auctoritate non vincimur: delectat enim nos quam plurimum utilitas inde tam Logicae, quam Ethicae proveniens, quia sive erroris sive mali moralis, vel peccati, unica est origo, cum peccatum aliud non sit, quam error practicus vel voluntarie completus.

ARTICULUS PRIMUS

ERRORIS NATURA

643.° Errorem hominis esse, nemini dubium est. At quaenam ergo haec erit in homine erroris origo? quae facultas intellectiva capax errandi? Hac semel inventa et ipsius erroris dignoscitur natura.

644.° Porro tres sunt praecipue facultates cognoscitivae, 1.° intuitio idearum, 2.° perceptio intellectiva sensibilium, 3.° reflexio.

(1) Impotentia ideam entis directe contemplandi, caecitas mentis vocatur, quam cum fides profligasset, patet scientias e scepticismi naufragio per fidem ereptas fuisse.

645.° Intuitio idearum utpote simplex et directa idearum contemplatio neque quidpiam affirmat, neque item negat, quia eius obiecta, idest ideae, incomplexa atque indivisibilia sunt omnino, prohinc nec errare potest. Qui enim nihil affirmat, aut negat quonam pacto errare potest nescirem. Natura igitur humana, utpote simpliciter intellectiva, vel ideis, et maxime ideae entis adhaerescens, infallibilis est.

646.° Perceptio intellectiva sensibilium, qua realitas externa vel interna affirmatur, quomodo erroris possit incusari, etiam non video. Ipsa enim est quaedam immediata et spontanea applicatio ideae entis sensationibus receptis; applicatio, inquam, quae ipsa duce natura vel, ut ait Pini, spiritu intelligentiae, propter arctissimam unionem principii intellectivi cum principio sensitivo confestim absque voluntatis influxu exercetur, eaque, velimus, nolimus, cogimur affirmare — quod sentio, existit —. Undenam ergo erroris discrimen? Ipsa enim constat tribus elementis 1.° idea entis, 2.° sensatione 3.° utriusque unione. Ast idea entis est tam in se evidentissima quam nobis certissima ut diximus multoties. Sensatio autem eo modo oritur, quo extrinsecus excitatur, neque aliquid intellectivi est, quod falli, aut non falli possit. Unio demum utriusque, cui tantum posset error impendere, affirmando nempe quod non est, aut quod est negando, ipsa connectente natura rationali conficitur. Ecquonam ergo patet via erroris?

647.° Exinde factum est, ut perceptio intellectiva nostri, ut aiunt, *ego* tantae evidentiae, et certitudinis visa fuerit, ut s. Agustinus ex ea contra Accademicos suam caeperit argumentationem. Atque itidem Cartesius, qui ad assentiendum clara idea semper opus esse praetendebat, ex testimonio coscientiae actualem cogitationem referentis — Cogito, ergo sum — initium duxerit totius philosophiae. Quo profecto nihil certitudini perceptionis evinciendae validius putamus (1).

(1) Quoad Augustinum alicubi monuimus haud censuisse cognitionem propriae existentiae esse indemonstrabilem atque supremam, sed tantum omnibus acceptissimam, seu veritatem sensus communis. Ipse enim in Lib. XXXVIII. ver. relig. expresse ait « animam se cognoscere in veritate, quae ei similis est ». Mitto s. Thomam qui item docet, « animam se in lumine intellectus agentis percipere ». Quibus Patrum documentis refellitur Cartesius, qui ratus, cognitionem proprii *ego* eiusque actionem suprema fulgere evidendentia, ut quae clara ipsi erat, exinde exordium philosophiae deduxit. Ubique idea nostri *ego* clara est; ast ipsam pariter novisse oportebat, claritatem et evidentiam duplicis generis esse, immediatam et mediatam, atque proinde cognitionem proprii *ego* claritatem tantum mediatam habere, idest ex principiis substantiae et causalitatis derivatam. Insuper per ideam claram aliud non videtur intelligi, quam apprehensio necessitatis logicae, quae potius in supremis principiis inquirenda est.

648.° Neque, ad perceptionem intellectivam corporum quod propius attinet, quis obiiciat; sensus saepe nobis in causa esse cur hallucinamur. Nam sensus eo modo, quo sensibilibus afficiuntur ea repraesentant, neque in ipsis facultas insidet iudicandi, qua verum aut falsum proferant. Prohinc si interdum contingit, ut res, secus ac existant, nobis vel propter sensuum infirmitatem, vel propter obiectorum distantiam, tenuitatem, locum, circumstantias, impedimenta etc. exhibeant, cura est adhibenda, tum ut sensus perbene convalescant, atque iis modis et mediis quae ipsa praescribit natura adhibeantur, ne nobis in occasionem vertantur erroris. Caeterum nos hactenus de perceptionis intellectivae certitudine disceptantes sensuum integritatem et debitum exercitium usumque subaudivimus semper.

Sive ergo cognitio intuitiva idearum, sive perceptio intellectiva rerum, sunt aeque ab errore immunes (1); idcirco homo, sive qua intellectivus, sive qua rationalis, firmiter contra fallacias natura praemunitur, neque Logica eget, qua ad recte intuendum, vel intellective percipiendum instituitur.

649.° Ast tertio loco tandem iam venit reflexio, potentia animi scilicet, qua super intuita et percepta, penitioris cognitionis aquirendae causa, regredimur, ac veluti intorquemur; cum autem ad reflectendum nulla vi perstringimur sed ultro atque voluntatis natura moveamur, evenit, ut si reflexio optime in cognitionem praehabitam dirigatur, atque eam apprime et totaliter recognoscat, aut recogitet, tum rei veritatem arripit, et vera dicitur; sin autem a cognitione undecumque sepe retrahit, aut deflectit, aut etiam si minus, vel magis quam in ipsa continetur, educit, et affirmat, falsa eo ipso existimatur. Error ergo per solam cognitionem reflexam animum ingreditur, atque dici potest = falsa cognitionis directae recognitio = vel = iudicium reflexum falsum = vel = actus reflexionis a suo obiecto detortus = vel =, mendacium internum, si intus, vel, falsum verbum si foras ore expressus consideratur = (2).

650.° Obiicies. Ergo habetur saltem quaedam cognitio falsa, quae haudamplius hercle cum iis cohaeret, quae de veritate cognitionis generatim contra Scepticos afferebantur superius.

Respondetur. Error potest quidem sese in reflexionem infigere. Ast cognitio reflexa quatenus errore tabescit, vel falsa est, ex ordine

(1) Ab errore immunis, non vero ab ignorantia. Obiecta siquidem intuitionis, et perceptionis cum aliunde nobis excitentur, aut proponantur, nonnumquam quae alii intuentur, et percipiunt, ignoramus, quia ea vel non audivimus, vel non conspeximus unquam.

(2) Haec ferme erroris definitio nansciscitur etiam apud Plat. in Theaet, ubi error comparatur sagittae extra signum eiaculatae.

legitimae et proprie dictae cognitionis iam labitur (1). Nam tunc nos quidpiam revera cognoscere dicimur, cum res, uti cognoscitur, est. Atqui falsa reflexio rem secus ac in cognitione directa apprehenditur, animadvertit: ergo nequit propterea iure cognitionis directae recognitio, aut reflexio nuncupari, ut quae in cognitionem directam sese minime convertat, sed aliorsum deflectat. Reflexio est igitur nomine, non vero facto, natura, operatione, modo, et fine tenus, vel verius, reflexio arbitraria, fictitia, et mendax ex facultate potius persuasionis (quae interdum errore irretitur) quam ex facultate ratiocinii proveniens.

651° Ex eo autem, quod sola reflexio in dumeta possit irrepere erroris, atque nobis tendiculas parare, item conficitur cur Logicam, scientiam artis reflectendi, appellaverimus.

652.° Neque forte arbitreris velimus reflexiones cuiusque speciei eodem plane modo esse errori obnoxias; ex reflexionibus siquidem variis, secundum earum sublimitatem, numerantur ordines, quorum in errorem sunt magis praecipites, qui altius caeteris eminent, vel supra cognitionem directam sublimius sese extollunt. Quocirca cognitio popularis vel vulgaris cognitionibus directis, ac pene infimis coalescens reflexionibus, neque tam saepe fallitur, quam cognitio philosophica altioribus semper reflexionibus subvecta. Specimen errorum cognitionis popularis in idolatria potissimum perspicitur, cognitionis autem philosophicae in incredulitate. Philosophi autem paganorum, a plebeis superstitionibus ne latum quidem unguem abscedentes, idolatri et increduli, ut plurimum simul extiterunt.

Corollarium primum — Quid de sensu communi sentiendum est.

653.° Si itaque reflexio potest identidem errori subesse, atque cognitionibus reflexis etiam cognitio vulgaris componitur, iam inde infertur — consensum universalem hominum, vel sensum communem, supremum, atque infallibile non esse veritatis criterium — ut La Mennais autumat. Caeterum, etsi elargitur fore sensui communi fidendum, nondum consequitur esse suapte natura infallibilem, cum totam suam vim ex principiis rationis adeo notis et familiaribus sibi derivet, ad quae deveniendum quandocumque est, ut regula, qua de veritatibus sensus communis iudicatur, nobis praesto sit. Sicuti aliud est liber veritatum plenus, aliud regula, quae in huiusce libri examine adhibetur. Sensus communis quippe aliud non est, quam iudicium, quod homines de principiis rationis, eorumque proximis, obviisque applicationibus unanimiter emittunt. Hinc argumentum,

(1) Aliquid similis occurrit etiam in Theaet,

quod ad Scepticos persuadendos ex sensu communi conficitur, dicitur ad pudorem tantum, quia plurimum debet scepticos pudere, veritatem ab omnibus acceptam reiicere.

Corollarium secundum — An scepticis notionem veritatis negantibus, credendum sit, an irriduculo habendi ut sycophantae.

634.° Secundo, infertur, scepticis, qui toti in eo sunt praesertim, ut se veritatem neque videre, neque videri posse contumaciter propugnent, fidem ipsis continuo adhibendam non esse. Id enim ipsi in ordine reflexionis, in dubium revocant, quo in cognitione directa, perinde ac caeteri homines, potiuntur. Secus, quinam poterunt tam saepe, veritatem nominare, se falli, errare, decipi, illudi, si nulla ipsis veritatis notio fulserit unquam? Qui enim veritati suscipiendae impares sunt prorsus, ut belluae, neque errare possent, neque errorem discernere. Deinde nonne et Sceptici eodem modo se in vitae negotiis gerunt, ac caeteri? Ergo error in homine invincibiliter probat, ipsum item erroris et veritatis idoneum esse. Ludicre proinde, non serio scepticos loqui putandum est, dum in veritatem declamant, uti de quodam in proverbio fertur, qui, licet in proprium insilisset equum, se ipsum perdidisse tamen conquerebatur.

ARTICULUS SECUNDUS

CAUSA ERRORIS

635.° Error in eam cognitionis speciem subrepit, quae reflexa et libera dicitur, quippe quae nutu voluntatis efficitur. Ergo causa erroris effectiva ex ipsa petitur voluntate cui magna vis est ad iudicia reflexionis perturbanda, ideoque error est semper voluntarius, non tamen culpabilis semper et imputandus. In quibusdam etenim saepe homo circomstantiis consistit, ut, vel propter mentis imperfectionem, ingenii paucitatem, educationem, rerum verisimilitudinem etc. nequeat, uti est, veritatem protinus assequi, etsi eam opinetur adsecutam; quo in casu, error materialis (sbaglio, svista) exurgit, culpa prorsus vacans. Sin autem voluntas hisce in adiunctis, vel pertinaciter reluctaretur, vel passione, aut praeiudicio, aut propria utilitate seducta, propriam opinionem erroneam defenderet, aut in erroris angustias propria culpa, puta tenuitate, festinatione culpabiliter etc. sese coniecerit, tum error in formalem, vel peccaminosum commutaretur, et quidem cum tanta culpae gravitate, quantum malitiae vel negligentiae in errore excipiendo praecessit. Item dicendum est de sensuum illecebris et hallucinationibus phantasiae, quae occasionem qui-

dem identidem praebent errandi, non causam. Quamdiu enim voluntas reflexionem ad iudicium de sensuum relationibus proferendum non excitat, vel assensum sustinet, error nullus est. Exurgit enim postea, nempe si sensuum defectu iam explorato, atque remediis iis curandis reiectis, eorum representationes voluntas probaret, et indiscriminatim capesseret nihilominus.

Corollaria duo animo penitus infigenda.

656.° Ex quibus prono iam alveo fluit, tam erroris originem, quam ab eodem resipiscentiam, distinctione inter cognitionem directam et reflexam, vel inter cognitionem necessariam et liberam, semel correpta, nullatenus posse amplius explicari; neque scepticorum unquam quemlibet directa insectari. Error siquidem cum in reflexionis regionem transvolet, sarta, tectaque interna veritate cognitionis directae permanente, continuo eiuratur, atque errans resipiscitur vix ad cognitionem directam perfecta analysi tritam, animum appellat.

657.° Atque item explicatur sive illa interna hominis pugna sive intima hominis vera capientis pax, quies, et gaudium. Pugna ex cognitionis directae cum reflexa luctamine fervescit, atque interdum mera exagitatio est, si de rebus scientificis, subinde etiam morsus conscientiae, ubi de rebus moralibus, et religiosis agitur. Quies autem et pax, ex harmonia et concursu utriusque cognitionis enascitur qua fit, ut cognitiones sibi invicem auxilium praestent, atque in easdem veritates conspirent.

Si quae de errore dicta supersunt, ea, que alibi de assensu erroneo diximus, recordentur.

CAPUT SEPTIMUM

DE PROBABILITATE

658.° Probabile id est, quod inter certum, et erroneum medium tenet locum. Quapropter qui probabile sequitur, neque proprie scire sicut qui certior est, neque ignorare uti qui errat, aut nescit adhuc dicitur. Ex probabilitate ergo oritur opinio, perinde ut a certitudine scientia, et ab errore atque cognitionis defectu ignorantia generatur.

659.° Probabilitas, ut iam ad eius definitionem veniamus = est quaedam relatio accidentalis signi cuiusdam ad veritatem tectam partim, et ignotam =. Atque haec est probabilitas obiectiva. Status vero animi relationem accidentalem signi ad veritatem apprehendentis, usu iam venit, ut probabilitas subiectiva nuncupetur.

660.° Principium probabilitatis hoc censetur — data rei, aut facti alicuius existentia, si saepe contingit ut ipsum vel comitetur, vel continuo subsequatur manifestatio alterius rei et facti, id ut probabile accipitur —. Hinc quo frequentior haec deprehenditur factorum connexio eo maior evadit probabilitas, adeo ut a minima ad maximam usque possit interdum probabilitatem assurgere. Ex qua animadversione perspicuum fit, varios esse probabilitatis gradus, uti in capsula, quae ex viginti globulis, decem albos, totidemque nigros contineret, par esset utrinque unum ex albis, vel nigris globulum extrahendi, quod si albi numero nigros excederent, eadem mensura probabilitas aliquem ex albis educendi, augesceret, atque probabilitas nigrorum e converso tantidem minueretur. Huius sanae naturae non est certitudo, quae in indivisibili, et immobili veritati adhaesione consistit (1).

661.° Relatio porro istaec aut naturam, aut existentiam factorum spectat. Prioris ope ex notione naturae rei cuiusdam notae, naturam alterius suspicamur, id obtinentes, quod probabilitas rationalis, vel philosophica appellatur. Posterioris autem ductu factorum adhuc incognitam existentiam praesentiscimus, atque probabilitatem empiricam, vel mathematicam numeris expressam adipiscimur. Demum si de relationibus historicorum, atque testium agitur, probabilitas inde adepta, critica dici solet. Ex quibus probabilitatibus, prior tantum, idest philosophica et rationalis est intrinseca, aliae contra extrinsecae.

662.° Ad probabilitatem autem ex inductione, vel analogia deductam quod attinet, licet naturae regularitate, constantia, et ordine, nec non factorum iteratione plurimum augeatur, nunquam ipsa potest ad plenam certitudinem pervenire, sed maxima evadit probabilitas, quae etiam, etsi improprie, dici consuevit — certitudo moralis —. Specimen habemus ex ortu solis; quia quamquam probabilissimum sit cras quoque oriturum, id tamen certo non constat. Vera enim certitudo in necessitate logica fundatur. Iam vero nulla illucescit necessitas logica, quod sol cras sit oriturus. Nam, quod amplius non oriatur, repugnatne? Non video. Nihilominus probabilitas in agendis praecipuis vitae negotiis, usu nobis plurimum venit, eaque assensum normalem, ex quo deinceps regulae mediae prudentiae eruuntur, praestamus.

(1) Status mentis certae graphice fere ss. Patres describunt. S. Bonaventura: « Scire aliquid (seu certitudinaliter) est scire, quoniam mens non potest falli in illa comprehensione. Scit enim, quod veritas illa non potest aliter se habere. Scit igitur veritatem illam esse incommutabilem ». Itiner. S. Thomas: « Scire est causam rei cognoscere, et quoniam impossibile est aliter se habere ». De verit. X. art. X. certitudo ergo in Logica insistit necessitate rei.

LOGICAE PARS QUINTA

METHODOLOGIA

CAPUT PRIMUM

DEFINITIO AC DIVISIO METHODI

663.° Optime factu ducimus, si post facultates animi ad veritatem capessendam vel aliis ostendendam comparatas, atque post criterium supremum, quod hisce facultatibus recte ad verum tendendis lux est, et regula, nunc aliquid de methodo sectanda adnectamus, qua edocemur, quaenam facultates adhibendae sunt, quae media, quae via quae regula mentis eligenda, ut citius, tutius, et expeditius ad veritatem accedamus. Quandoquidem modo una modo altera ex praefatis animi facultatibus, potest indiscriminatim exerceri, aut haec, aut illa ex regulis allatis item decerpi, ad veritatis inventionem, et demonstrationem. Id tamen non officit, quominus aliae non sint efficaciores aliis, et aptiores fini consequendo. Porro ars, quae, proposito sibi fine veritatis cuiusdam inquirendae, aut demonstrandae operationes mentis, atque criterium secernit, disponit, atque ita movet, ut via breviore, et proniore ad finem perveniamus, vocatur ars methodologica, vel methodus. Quatenus autem regulas et praescripta methodi, nedum facto adimplemus, sed mente revolvimus, atque in systema reducimus aliis tradendum, ut deinceps noscant mentem in veritatem tendere, eiusmodi regularum complexus, vel systema, scientia methodi vocatur; atque haec iam est essentia, et prima methodi divisio in artem, et scientiam.

Corollarium primum — Necessitas finis in methodo.

664.° Si ergo methodus mentem ad finem asseqnendum, quam citissime fieri potest, provehit, ubi nullus praefigitur finis, nulla itidem erit methodus. Id exacte evenit in fere omnibus institutionibus scholasticis sub finem saeculi elapsi, et hoc, quo vivimus, editis, quibus summatim nullus finis est, vel saltem philosophicus, qui ex

investigatione, et applicatione trium ultimarum rationum, formalis, realis, et moralis, debet tandem homini veram comparare sapientiam (1). In singulis autem earum partibus, de Logica, Metaphisica etc. quid sibi velint, quo consistant aut spectent, unde incipiant, et quo tandem exeant, ut verum fatear, ut ut sedulo eas pervolutaverim, nunquam prospexi; id solum comperii in logica figi, quod in psicologia refigitur, atque ita porro in aliis partibus, quas inter viget absurdus syncretismus.

Corollarium Secundum — Analysis et Synthesis divisim acceptae methodum non efficiunt.

665.° Secundo, ergo analysis et synthesis nisi simul consocientur, ullam methodum scientificam non constituunt. Non sufficit enim, aut obiectum in elementa solum resolvere (analysis), aut resolutum, in unum iterum componere (synthesis) ut funditus, tum quoad partes, tum quoad totum, percipiatur, sed ambae mentis operationes opus sunt, integrae, et completae obiecti notioni adipescendae. Hinc quamvis prefatae operationes, processus, ut aiunt, analyticus, et synteticus nominentur, nunquam possent iure appellari methodus analytica, vel methodus syntetica. Neoplatonici igitur nostri, qui syntesim exclusive se adhibere iactant, extra methodum vagantur.

Corollarium tertium — Variae methodi species.

666.° Tertio si methodus in finem sibi propositum pnta, in veritatem, ex sua debet natura contendere; veritas autem aut rationibus demonstranda, aut observationibus et experimentis inquirenda, aut aliis manifestanda est; consequitur trifariam quoque methodum partiri idest in methodum demonstrativam, in methodum inventivam et in methodum didascalicam. Eiusmodi est generalis methodus scientificae divisio quarum quaelibet in alios secundarios methodos subdividitur. Enim vero methodus demonstrativa dispescitur ulterius in probativam, quae veritatem directe tuetur, ac apologeticam, quae difficultates et obiectiones enucleat, et in polemicam, quae insectatur er-

(1) Finem Philosophiae excellentissimum in sapientiae consecutione esse repositum in locis philosophicis prolixe declaratum fuit, ubi — cur Philosophia studium sapientiae nuncupatur — explicavimus. Quam quidem sapientiam ex usitatis philosophiae elementis tam impossibile est haurire quam ex rapo sanguinem, cum nullus sit ordo sed sempiterna confusio a calce, ut sic cum Cicerone loquar, ad carceres usque, quam quisque natura etiam mitissimus, si sapiat, stomachari deberet.

pravae voluntatis, et obtusi ac fallacis intellectus tulerit, quae etiam nunc, quidquid nuperrimi semi-pelagiani crepent inscitissime prorsus et temere, deploramus, iisque, laboribus plurimis et curis nitimur mederi quodammodo. Qua naturae humanae degeneratione factum est, ut methodus naturalis, vel potentiarum intellectualium mechanismus, plurimum fuerit etiam concussus, et ita perturbatus, ut homo, vix a cognitione directa et spontanea, quae integra, et incolumis remansit, recedit, atque ad altiora provehitur, ni sedulo evigilet, in errorem saepe dilabitur. Hinc necessitas exurgit regularum methodi scientificae, quibus quantum fieri potest, ab errore sibi caveat. Quae quidem hominis in errorem pronitas est omnibus hominibus, sive ex vario corporis organismo sive ex varia intuitionis primitivae ideae entis intensitate, aequalis. Quotidie enim homines videntur aliis ad studia colenda alacriores, atque mente perspicaciores, qui bono iudicio, gustu exquisito, solerti ingenio vocantur, ut qui caeteris in veritatibus capiendis apparent velociores, quin tamen vel ipsi viam, atque gradus mentalis progressionis advertant, magis, ut sint recte naturae instinctu, quam arte et studio, ad veritatem comparati; et ideo, quia instinctu potius impelluntur, quam citissime in veritatem rapiuntur: actiones quippe instinctivae semper rapidissimae sunt.

669.° Porro si continua et sagaci in nosmetipsos animadversione leges methodi naturalis, quibus in verum ducimur, notamus, secernimus, in dominium reflexionis ferimus, atque simul ordinamus, ut systema quoddam efforment, id nanciscimur, quod methodus scientifica appellatur, cui iuvenes erudiendi solent operam navare. Ex quo patet, 1.° methodum naturalem qua talem, non doceri, sed exerceri ut plurimum sine ulla conscientia: 2.° methodum autem scientificam vel artificialem, esse eamdem methodum naturalem, ex abditis cognitionis directae eductam, atque in lucem conscientiae et reflexionis erectam. Haec adeo sunt scitu necessaria, atque studiis proficua, ut vos, optimi iuvenes, iam plurimum mihi proecisse videmini, si ea rite intellexeritis.

ARTICULUS SECUNDUS

DE SUPREMA ET GENERALI REGULA METHODI CUIUSQUE

670.° Leges et regulas methodi inquisituri cum methodo scientifica nobis tantum res est.

671.° Iam age, regula suprema et generalis methodi scientificae haec est, scilicet — ut ipsa, quam fieri potest, consonet methodo naturali —. Parallelismus ergo inter methodum scientificam et natu-

ralem suprema methodi scientificae regula est, ac lex stricte observanda. Alias, si unam methodus naturalis, aliam methodus scientifica viam iniret, id evenit quod in virium collisione mechanici ostendunt, idest conflictum. Idipsum cernitur penes philosophos methodo plane abnormi abreptos, qui secum ipsis iugiter pugnant, in circulum quemdam contrariis attractionis et repulsionis legibus acti. Methodus enim naturae agendi rationi contraria adnititur mentem ab nativo tramite detorquere, cui fortiter ordo ingenitus potentiarum reluctans, eius vim vel elidit, vel saltem infirmat; atque inde prodeunt illae tam crebrae contradictiones et pugnae philosophorum, qui aliud ac in quaestione discutiendum statuunt, probant, saepe illuc ineluctabiliter abrepti, quo fortassene vel suspicabantur quidem, ut in aquis per alveos vehendis evenit, quae aliorsum perinde, ut leges idrodynamicae, vel idraulicae postulant, directae, intumescunt, in gurgites revolvuntur spumescentes, atque tanto cum impetu in aggerum obstacula irruunt atque riparum, ut ipsas vel exsuperantes quaquaversus loca riparia inundant, vel eas e radicibus convulsas atque disiectas secum frementes trahant, ingenti fragore omnia volutantes.

672.° Hanc autem iuxta regulam, methodus scientifica eas debet mentis operationes praemittere, atque veritates, quae aliis praecurrunt, dein proxime alias subseqnentes, et ita porro sine ullo hiatu, uti methodus naturalis deposcit et iubet.

ARTICULUS TERTIUS

SPECIALES METHODI REGULAE NUMERANTUR

673.° Veritas aliis vel sibi methodice persuadenda, aut perceptiva est, aut reflexa. Atque iam duplex inde regula efflorescit, 1.ª primo in casu ex ipsa perceptione debet methodus proficisci. Quamobrem rei, quae tractatur, perceptione prorsus deficiente, quidquid nihilominus promere exhinc studemus ambagibus semper incertis et obscuris circumvolvimur. Ea de ratione philosophi germanici Schelling, Hegel, atque etiam Gioberti noster, qui tantopere obstrepescunt et scriptis et conviciis tenus nos Absolutum, nempe Deum iugiter et directe intueri, oleum et operam perdunt; quisque enim hominum poterit semper iis reponere — sibi nihilominus de hac Dei intuitione nedum silere, verum etiam eam positive et directe conscientiam refellere, ut quae cum imperfectionibus intellectualibus componi nulla plane ratione possit —. Contra, huius regulae methodicae observantiae totus referri debet acceptus scientiarum naturalium profectus, atque vel ipsa phrenologia, necnon theoria de magnetismo, ut aiunt, animali, uberius obtinuissent incrementum si, quod satius erat, facto-

rum adeo mirabilium adstruxissent perceptiones: « naturalista enim, ait Cicero, debet esse speculator, venatorque naturae » (1).

674.° 2.ª Regula. Sin autem veritas insinuanda reflexa fuerit, non debet nisi gradatim, idest post alias antecedentes veritates successive praemissas, demonstrari, secus periculum ingrueret eam haudamplius intelligendi. Varii enim, atque adeo inter se connexi ordines reflexionis sunt, ut ex reflexionibus aliae ab aliis ceu tot corollaria profluant; hinc si quaedam non perlustrantur cognitiones, quibuscum aliae, quae in quaestionem veniunt, devinciuntur, neque hae fieri unquam poterit, ut intelligantur. In hanc porro methodi legem apertissime peccant sensistae, quibus cum sensatio fere semper cognitioni rerum immixta appareat, praepropere concludunt — sensationem potentia, vel vi potiri rerum cognoscitiva —. Quod absurdum mehercule ne vel somniassent quidem, si sedulo in primis observassent, 1.° quid sit sensatio, 2.° quibus elementis coalescat, 3.° undenam sit eorum origo, 4.° an fieri possit, ut vi cognoscitiva gaudeant, 5.° an forma cognitionis, si ex materia sensus nullimode, aliunde procedat, 6.° quid sit haec forma, 7.° atque unde derivetur, 8.° et quomodo sensationibus applicetur. Ast sensistae haec omnia mira levitate praetermittentes protinus veluti ex tripode decernunt — sensatio virtute pollet cognoscitiva, neque quid amplius —. Praecipitare istud, ut cum Cicerone loquar, quidem est, non descendere (2).

675.° Hisce duabus regulis affinis est methodi lex veterum, scilicet quod a noto ad ignotum sit progrediendum. Id tamen interest, quod nostrae regulae praefatae quid sit istud notum exponant, seu sensum et ideam entis; primum ut materiam, secundum ut formam cognitionis. Eas propterea transgredi idem est, ac ab ignoto ad ignotum incedere.

CAPUT SECUNDUM

DE METHODO DEMONSTRATIVA

676.° Methodus demonstrativa est ordo ad rectam alicuius propositionis demonstrationem servandus. Ad demonstrationem autem quod proprie attinet, iam eam ab simplici deductione, vel a syllogismo formaliter perfecto discrevimus. Item illic monuimus demonstrationem nedum esse deductionem probe factam, sed veram item ac certam. Quod sane discrimen vel etiam antiquitus animadvertit

(1) De natura deor. Lib. 1. XXX. idipsum dicatur de philosopho qui naturam vel intellectivam vel realem, vel moralem etc. enucleandam suscipit.

(2) De natur. deor. XXXII.

Aristoteles, qui de formali deductione, vel de forma recta syllogismi in analyticis a priori, de demonstratione autem in analyticis a posteriori disseruit. Ideo quae sunt regulae pro syllogismo vero adhibendae, eaedem circa demonstrationem adhibeantur etiam necesse est, et quidem praecipue in libris componendis, quibus, si apprime ordinati quoad omnes partes, atque inconcussi sunt, subest semper syllogismus quidam fundamentalis ab initio operis ad finem usque deductus, qui, curandum est, ut verus atque firmus extet undique, ne tota scriptura vacillet, ac periclitetur (1).

ARTICULUS PRIMUS

DE DUBIO METHODICO DEMONSTRATIONI PRAEEUNTE

677.° Status mentis antequam aliquid demonstrandum aggrediatur, velint nolint scioli nostri, dubium exhibet methodicum. Methodicum, inquam, non systematicum, ut illud scepticorum, eo quod in medium eligatur tutius ad veritatem consequendam. Quamdiu enim animus dubio methodico suspensus haeret, haud cognitionibus, ut effutiunt, vacat omnino, cum ipsi obiectum, vel materia demonstrationis, idest iudicium possibile demonstrandum adhuc adstet, atque etiam ipsi quaestio proponatur, necnon assensus. Id ergo, quod dubio methodico tollitur, est solum ratio assensus, quae ex demonstratione aut semel, aut iterum, atque iterum, docendi causa conficitur.

678.° Age dum, hoc dubium methodicum neque scepticismo arridere, neque quadantenus in ipsum inducere patet 1.° ex natura demonstrationis, cui praemittitur, quae cum aliud non sit quidpiam, quam legitima et vera alicuius propositionis ab alia maiore deductio, vix maior propositio, vel principium demonstrationis concipitur, in eo pariter propositiones deducendae secundum earum prioritatem et posterioritatem logicam veluti simul coadunatae videntur, quae postmodum in ordine chronologico successive una post aliam eruuntur. Una igitur cum ipso dubio methodico iam vel quaedam cognitio virtualis et implicita habetur propositionis demonstrandae, quae explicita apparet per successivam verborum pronuntiationem. 2.° Patet ex confinibus demonstrationis. Nam dubium methodicum soli rerum demonstrationi praemittendum est. Verum non omnia demonstrationi subsunt, uti suprema rationis principia, quae cum indemonstrabilia existimentur, in dubium item non incidunt methodicum, sed ipsum antecedunt, firmiterque consistunt. Ubi est ergo scepticismus? 3.° Pa-

(1) Huiusmodi syllogismus fundamentalis in scriptis Cl. Rosm. evidenter ubique, ut sic dicam, serpit.

tet ex praecognitis demonstrationis (1). Cuicumque enim demonstrationi efficiendae debent semper quaedam praecognita, vel anticipationes (2) praenosci, puta, existentia idealis, vel idea entis, si quaedam existentia idealis demonstranda suscipitur; vel existentia realis generatim, si de existentia reali singulari agitur; vel existeutia moralis et daeontologica, si aliquid morale discutitur. Immerito igitur, et inscite plane dubium methodicum tamquam de scepticismo suspectum reiicitur, et detestatur, perinde ac dubium eiusmodi idem ac protestantium examen religionis sit. Qui ita de dubio methodico, atque de hac chimaerica cum examine privato protestantium analogia, sentiunt, specimen exhibent superficialitatis philosophicae, cuius deberet ipsos summopere pudere inter philosophos nedum ut iudices, aut magistros, celebratissimos auctores quasi discipulos ferula correctionis castigantes, (sicut ex editis constat) sed etiam ut socios, aut alumnos erudiendos, sedere, quia, ut ait Plinius « ne sutor ultra crepidam ».

ARTICULUS SECUNDUS

DE EFFECTU DEMONSTRATIONIS

679.° Demonstratio eo tendit, ut ratio alicuius propositionis notae elucescat, seu ut cognitionem vulgarem in scientificam convertat. Ergo effectus demonstrationis est cognitio scientifica, vel, si plures sunt cognitiones eiusmodi in ordinem distributae, scientia.

680.° Scientiae autem duplex est genus, subiectiva et obiectiva. Prior est ipsa cognitio ad ultimas usque rationes, quibus mordicus adhaeret, provecta. Hac enim mens perducta sistat oportet, quia eius natura, licet, veri semper cupidissima, ultimis rationibus, ut in pueris et rudibus conspicitur, vehementer inhiat, et debet tandem acquiescere. Nam ratio ultima ea est, quae cupiditatem sciendi retundit, mentemque sibi captivat. Alicubi iam dictum est hasce rationes quoad reflexionem ultimas quidem vocari, quia ultimo post seriem omnium idearum perlustratam inveniuntur; quoad autem cognitiones directas primas potius nuncupari, quia ex ipsarum applicatione incipit cogitatio. Rursus rationes huiuscemodi cum initia sint a natura praefixa cognitionis formationi numquam possunt deesse. In fine autem cogni-

(1) Demonstratio quadruplex esse potest: 1.° potest demonstrari an res sit: 2.° quid sit: 3.° qualis sit: 4.° cur sit. Prima demonstratio subrudit saltem cognitionem nominis rei; secunda, existentiae rei; tertia, essentiae rei; quarta, haec tria simul.

(2) Quod vel ipse putidissimus Epicurus conspexit. — Cic. de nat. Deor.

tionis reflexae absunt interdum, quia reflexio haud tantae esse potest perspicuitatis, ut eas comperiret. Hinc defectus scientiae, quae ex suis exordiis firmissima quidem est, ex parte finis imperfecta et incompleta, quia telam, pene dixerim, idearum nequit usque ad primitiva principia retexere, atque in itinere adhuc moratur (1).

681.° Porro cum tam rationes primae, quam ultimae in idea entis sitae sint, hinc colligitur, veram scientiam, et maxime philosophicam possideri, si 1.° idea entis uti principium, et criterium ingentis systematis cognitionis humanae, atque scientiarum perspicitur. 2.° si nedum quis certus est talem ideam gerere, verum etiam eam ceu matrem idearum, ac veritatem supremam, oculis veluti contemplatur, atque adeo eam sibi persuadet, ut obiectionibus scepticorum haud amplius vincatur. 3.° si ipse capax est demonstrationi totius scientiae ex idea entis deductae conficiendae. Quae quidem conditiones cum raro admodum contingant, perspicuum fit, paucos esse veri nominis doctos, itemque multum adhuc esse in scientiis imperfectionis, parumque profectus, qui totus in id spectat, ut propius ab idea entis, qua summae rerum rationes continentur, scientiae proximentur. Hisce conditionibus impletis scientia subiectiva, seu plenissima persuasio acquiritur. Huc referuntur illae veterum sententiae, scilicet quod animus in orbem veluti agatur, atque eius cogitiones in sphaeram quamdam revolvantur.

682.° Scientia autem obiectiva est, — quoddam idearum ex uno principio organice dependentium systema —; atque multiplex est secundum principii varietatem. Totum equidem scientiarum discrimen ex principii diversitate derivatur, quo fit ut alia sit scientia logica, alia scientia moralis, alia scientia physica etc. eo quia ipsis diversum subest principium; quod si vere ultimum est, scientia ipsi superaedificata. philosophica vocatur, sin vero, scientia simpliciter dicitur. Ex scientiis, quae supremum principium ideologicum scientiarum inquirit, dicitur protologia elementaris; quae autem principium supremum metaphysicum rerum investigat, theologia naturalis, vel protologia naturalis completa, seu philosophiae complementum. Ecquis ergo magni demonstrationem non existimet, si ipsa artifex est scientiarum?

(1) Qui ex primis cognitionis rationibus discedens totum circuit scientiarum circulum, atque ultimas rationes iterum regrediens in primis rationibus invenit, atque demonstrat, vocatur a Platone — vir quadratus — et ab Aristotele — vir inconcussus — ut qui in arcem veritatis receptus, deterreri et aggredi numquam poterit.

ARTICULUS TERTIUS

REGULAE GENERALES PRO RECTA DEMONSTRATIONE

683.° Tot sunt regulae demonstrationis, quot partes ipsius syllogismi demonstrativi, nempe maior, minor, et conclusio, vel thesis, quibus singulis regulae praescribuntur.

684.° Regulae thesi praescriptae dicuntur generales, atque binae sunt: 1.ª clara et perfecta rei demonstrandae expositio; 2.ª terminorum extensionis et comprehensionis, quibus ipsae circumscribuntur, expressa determinatio, ne plus aut minus, quam necessum est, demonstretur. Hinc qui elementum rei genericum vel commune loco elementi specifici, vel proprii evincit, minus probat, si autem e converso, nimis probat. Hae regulae dignae sunt, quae maxime in quaestionibus de rerum possibilitate observentur, in quibus modo veritas rei, modo convenientia praedicati cum subiecto inquiritur. Primo casu, veritas est obiectum demonstrationis, in secundo eius effectus. Quae quidem veritas si ex ipsa praedicati cum subiecto identificatione directe infertur, demonstratio est intrinseca, si signo aliquo, puta auctoritate, eruitur, demonstratio erit extrinseca: ambae tamen possunt ad necessitatem concludere, etsi prima sit secunda excellentior. Demonstratio intrinseca item bifariam dividitur, in ascendentem, si ope principii identitatis praedicatum ostendit subiecto implicitum, et in descendentem, si ductu principii contradictionis ad aliquam conclusionem absurdam ex propositione thesi contradictoria progenitam pervenit, qua illico admonemus contradictoriam thesis falsam esse, veram autem thesim. Haec demonstratio familiaris est mathematicis.

ARTICULUS QUARTUS

EXEMPLA VIOLATIONIS HARUM REGULARUM

685.° Minus quam opus est, idest commune pro specifico probant 1.° qui scelera, flagitia, errores nationibus, ordinibus, familiis potius, quam earum individuis imputant. 2.° Qui formam politicam gubernii populis imponunt, quin eorum mores, consuetudines, religionem, studia, civilizzationem, ut aiunt, animadvertant. Haec fallacia sumendi commune, vel abstractum pro concreto usu saepe venit in comitiis nationalibus, in conciliis politicis, in diariis, atque in domesticis conversationibus. 3.° Qui ex idea generica vis virtutem inferunt cogitativam, uti Leibnitius, ex vegetatione sensitivitatem, uti physiologi materialistae etc.

686.° Plus autem quam oportet probant 1.° qui ex quibusdam erroribus fallibilitatem totalem menti humanae tribuunt, (sceptici). 2.° Qui ex eo, quod mens ut plurimum veritatem attingat, inferunt eam esse infallibilem (dogmatici). 3.° Qui ex eo, quod Deus ad agendum cum creaturis concurrat, causam ipsi adscribunt malorum moralium (manichaei); aliique plures eiusdem praecipitationis.

ARTICULUS QUINTUS

REGULAE SPECIALES DEMONSTRATIONIS RECENSENTUR

687.° Regulae speciales maiorem et minorem syllogismi demonstrativi respiciunt.

688.° Quia artificium demonstrationis eo contendit, ut in maiori ostendat thesim includi; ideo maior debet 1.° tantam extensionem et comprehensionem habere, quae receptioni conclusionis sufficiat (1). 2.° Debet esse evidens. 3.° Si eiusmodi non est, debet ulterius probari, sicque syllogismus dicitur dependens: 4.° Evidens est autem, si principium ideologicum vel ontologicum, vel legem acceptam communiter, aut nominis definitionem continet. 5.° Sin autem solum postulatum prae se ferat, valet quidem inter disputantes, sed ex ipsa magis mens ratiocinatur, quam demonstrat (2); seu verum nondum absolute infert. 6.° Mutatio maioris in minorem non officit demonstrationi, dummodo termini conclusionis, uti sunt, in praemissis mente retineantur.

689.° Minori unica est regula, scilicet — quod raro unquam maxime in disputationibus et litibus praetermittatur, ut quae maiorem applicet atque determinet —; Longum est meminisse quot quidem omissio minoris mala pepererit. Enim seditiosi saeculi elapsi tantum sanguinis numquam effudissent, si maiori propositione admissa — conspiratores interficiendi sunt —, minorem propositionem — atqui isti, atque illi conspiratores sunt —; attente probavissent. Philosophi germanici ex divina natura idearum animae divinitatem inferentes, minorem pariter relinquunt, qua ostenditur ideas quidem menti adhaerescere, non autem identificari. Item de sensistis dicitur. Quare minor

(1) Philosophi germanici, uti diximus, qui ex idea entis infinitae extensionis, sed minimae comprehensionis ceu corollarium — Absolutum infinitae comprehensionis — deducunt, atque menti praesens tuentur, in hanc regulam offendunt.

(2) Clem. Alex. « concludere ex concessis est ratiocinari, concludere autem ex veris est demonstrare » Strom. VIII.

tunc omitti potest, cum maior ex se evidentissima est, atque id fit, quod enthimema dictum est.

ARTICULUS SEXTUS

DE DEMONSTRATIONIS FINIBUS, ATQUE SPECIEBUS

690.° Demonstratio recte instituta potest vel ad aliquid confutandum, vel impugnandum, vel propugnandum adhiberi. Primo casu demonstratio dicitur apodictica, secundo elenchtica vel polemica, tertio apologetica. Tres hic habes artis dialecticae partes quae eristicam, vel artem disputandi constituunt..

691.° Quoad modum demonstrationi exercendae plures habentur demonstrationis species: 1.° gymnastica, quae per alternatas responsiones fit inter duos eiusdem sententiae, ut veritatem sibi magis persuadeant. 2.° Agonistica, quae in palaestris et certaminibus scholasticis inter defendentem et opponentem exercetur; atque duplex est, endeitica respectu defendentis, anatreptica respectu opponentis. 3.° Ostetricia vel socratica, quae aptis interrogationibus veritatem alicui suadet. 4.° Pirastica, quae ex concessis adversarium perstringit.

692.° Eristica est ars rationabiliter et urbane disputandi, sophistica autem irrationabiliter ac turpiter. Apud Graecos eristica ex logogryphis interpretandis caepta, in sophisticam digressa est, uti ex disputationibus Gorgiae, Hippiae, et Protagorae constat, quibus Socrates primum, deinde Plato, et Aristoteles in libris elenchorum, se opposuerunt.

693.° Inter apodicticam, et elenchticam hoc interest, quod illa veritatem propositionis directe confirmet, ista adversarium redarguit. Quapropter elenchtica 1.° supponit adversarium 2.° ipsi interdum etiam principia rationis insinuat, 3.° atque postulatis saepe utitur: apodictica autem aliter in hac triplici parte se gerit. Idipsum intelligatur de apodictica, et apologetica.

694.° Quoad elenchticam, duobus modis ipsa exercetur, epicheremate, et elencho. Epicheremate ita adversarium aggredimur, ut nobis aliquid concedere debeat, quo ipsum confodiamus; ideo dicitur agonistica dialecticae (1): elencho autem utimur ad ipsi persuadendum se in contradictionem incidisse; elenchus ergo epicherema perficit, et veluti coronat.

695.° Demum ars disputandi triplici potest methodo exequi: 1.° methodo socratica per interrogationes, et responsa, idest per dialogos; 2.° methodo oratoria secundum rhetoricae, et eloquentiae praecepta; 3.° methodo scholastica, presso stylo, atque forma syllogistica. Spe-

(1) Clem. Alex. Strom. VIII.

cimen prima habemus in dialogis Platonis, secundae in orationibus sacris et profanis, maxime Ciceronis, tertiae in operibus Scholasticorum.

ARTICULUS SEPTIMUS

LEGES IN DISPUTATIONIBUS ADIMPLENDAE

696.° Disputationibus recte obeundis sive gymnasticis, sive agonisticis, hae iniunguntur leges: 1.° amor veritatis, non vincendi desiderium, aut ambitio, aut honor, ad disputandum inducat. 2.° Ne aequivocationi, vel amphibologiae via aperiatur, aliquid praefandum est de terminorum significatione. 3.° Non plura simul discutienda sumantur, sed unum post aliud seorsim et quidem pedetentim: quod de argumentis dictum etiam volumus. 4.° Licitum est disputanti propositionem in aliam mutare aequivalentem. 5.° Si demonstratio pluribus constet propositionibus, fas est unam ex ipsis prae caeteris eligere. 6.° Propositiones, et obiectiones evidentes concedi debent. 7.° Si quid concedatur, quod in damnum vertitur concedenti, potest ipse ab ea resipisci, ut inculcat s. Augustinus. 8.° Quae quidem omnia maiori, qua fieri potest, brevitate, et terminorum perspicuitate et proprietate tractari debent. Nemo enim ignorat quantum eristicae graecae aenigmatibus solvendis addictae ambiguitas nocuerit terminorum. Ad disputantes autem quod attinet, illae observentur leges, quas urbanitas tum quoad verba, tum quoad animum praescribit.

CAPUT TERTIUM

DE METHODO INVENTIVA

697.° Methodus inventiva ea dicitur via, cui insistendum est, ut ad novas cognitiones, vel saltem obliteratas iterum instaurandas facilius, rapidiusque perveniatur. Inventor autem cum nullus unquam extiterit, quin ante didicerit et studuerit, ideo duplex in methodo inventiva pars discernitur, prima, de arte bene solideque discendi; secunda, de arte inveniendi.

ARTICULUS PRIMUS

DE ARTE BENE DISCENDI

698.° Ars bene discendi idem est ac ars facultates intellectuales et morales 1.° optimis, 2.° utilibus, 3.° ordinatis, 4.° magnis, 5.° et vere philosophicis, seu solidis, et demonstratis veritatibus educandi,

vel imbuendi. Optimis, diximus, utilibus etc., quia ad artem sciendi nihil conducunt notiones pueriles, leves, superficiales, futiles, ne vel hilum quidem a notionibus vulgaribus dissitae, nullius plane momenti, et saepe antiphilosophicae, vel saltem nondum philosophicae, ut quae plebi etiam rudissimae, si vocabula scholastica, quibus quasi ornantur, ex ipsis decerpas, communes. Eiusmodi profecto sunt theoriae, ac doctrinae, quae nunc in omnibus fere institutionibus philosophicis vere musicis, propinantur adolescentulis absque ordine, methodo, principiis, et scopo; imo, etsi philosophicae existimentur, sine ulla prorsus philosophia.

699.° Profectus in scientiis ex parte facultatum intellectualium et moralium, quibus ad studendum utimur, eruendus est 1.° ex quantitate et qualitate stimuli ad studium incitantis, idest amor veritatis et virtutis, obligatio adimplenda in talentorum, ut aiunt, negotiatione, cupido sciendi, utilitas etc. 2.° Eruitur item ex varia facultatum capacitate, dexteritate, exercitio praesertim reflexionis, et abstractionis ambae eminenter philosophicae. 3.° Eruitur ex diversa studii et meditationis prolixitate, intensitate, methodo etc. Tarditas reflexionis, abstractionis, et meditationis impotentiam philosophandi declarat.

700.° Quoad auxilia externa, profectus in scientiis differt 1.° secundum temporis commoditatem. 2.° Secundum ingenium, doctrinam et methodum praeceptorum. « Primus discendi ardor, inquit s. Ambrosius, nobilitas est magistri ». 3.° Secundum naturam et copiam librorum. 4.° Secundum variam (si de scientiis naturalibus agitur) collectionem obiectorum, uti videre est in musaeis. 5.° Secundum instrumentorum diversitatem, et usum, 6.° Secundum cognitionem linguarum, scripturarum, atque etiam algorithmorum, quibus ideae exprimi solent.

ARTICULUS SECUNDUS

DE FONTIBUS ARTIS SCIENDI

701.° Ex fontibus, unde sunt cognitiones hauriendae, alii externi sunt, alius internus; externi sunt societas, et natura cosmica; internus, activitas nostri *ego*. Ex societate iis mediis cognitiones comparamus, quibus ad societatem ineundam cum aliis hominibus unimur, idest per linguam (il linguaggio) (1). Ex natura cognitiones obtine-

(1) Mentem lingua sive scripta sive prolata ideis sibi exhibendis vel manifestandis, ceu signis, egere vidimus. Si lingua exaratur, oculis; si loquitur, auditu percipitur. Lingua ut cogitatio progredi solet ac perfici, quia ideis novis nova affinguntur vocabula. Quam ergo delirant, qui vocabulis antiqui-

mus per novas intellectivas rerum perceptiones; ex nostro ego autem per reflexionem. Iam vero lingua quoad societatem praeceptricem potest nobis esse 1.° vel instrumentum institutionis, 2.° vel instrumentum narrationis. 3.° vel instrumentum declarativum sensus communis, 4.° vel instrumentum manifestativum auctoritatis. Hinc societas quadruplici ratione nos erudit, 1.° Institutione, 2.° narratione hystorica, 3.° consensu, vel sensu universali, 4.° auctoritate: quae cum totidem sint fontes discendi, seorsim distinctis paragraphis explicamus.

§. 1. *De institutione.*

702.° Ut qui docet debet in primis doctrinas, quas est traditurus, nedum delibare, aut leviter noscere, sed eas in ultimis rationibus inspicere, ut sibi eas firmissime persuadeat; ita discipulus, qui eius scholam petit, haud profecto debet memoriter ratiocinia et animadversiones praeceptoris discere; sed propria utens reflexione, demonstrationes retexere, analysim et synthesim repetere etc. ut tradita suo perspiciat ingenio, non solum retineat memoria, atque firmam itidem sibi procreet persuasionem. Qua docendi, discendique ratione alieni sunt tam neoterici praeceptores, et discipuli quamplurimi; sufficit vel semel eorum gymnasia adire.

§. 2. *De hominum testimonio.*

703.° Ex hominum testimonio facta et eventus discimus, quorum examen pertinet ad artem, vel melius ad scientiam criticam, quae est logica ad hominum testimonia discutienda applicata. Quatenus est systema regularum pro certitudine, vel probabilitate factorum cognoscenda, vocatur — scientia critica —; quatenus regulas huiusmodi alicui facto perpendendo applicat, dicitur — ars critica —.

Haec vel respicit 1.° indolem, ingenium, numerum, aliasque qualitates physicas et morales testium; 2.° vel naturam rei enarratae sive per scripturam, sive per traditionem; 3.° vel numerum, et validitatem, lectionem, interpretationem documentorum cuiusque scripturae, vel signorum naturae.

704.° Scientia, vel ars critica, ut ut rectissime procedat, atque prout contigit factum comperiat, nequit unquam certitudinem abso-

tatis semper utendum fore praetendunt, atque novam, ut dicitur scientiarum terminologiam carpunt. Si enim ideae licet veterrimae novis sub respectibus considerari possunt, nonne nova etiam verba, iis significandis, requiruntur? Quorsum ergo tot clamores? tot irae? oportet impensius studere, non propriam ignorantiam sub praetextu novitatis abhorrendae defendere.

lutam seu logicam parere, sed normalem tantum, vel, uti aiunt, moralem. Agitur enim semper de factis contingentibus, quae nihil repugnant, quominus non extiterint. Certitudo autem normalis acquiritur 1.° si nulla ratio specialis dubitandi superest; 2.° si ratio affirmationis tam valida sit, ut mentem suadere valeat; 3.° si assensus sit utilis, idest sine detrimento haud sustinendus. Ratio specialis, diximus, quia assensui denegando non sufficit ratio generica fallibilitatis humanae. Hinc tres regulae criticae fundamentales emergunt; 1.° nihil unquam absque ratione speciali, atque contra ipsam, excipiatur; 2.° neque fides uni testimonio, si ratio abest, detrahatur; 3.° etiam unius testis relatio vera existimetur, quamdiu ratio non habetur contraria. Ratio autem isthaec contraria erui potest 1.° ex facti inverisimilitudine, quae nequit cum improbabilitate confundi; non enim improbabilitas idem est, ac inverisimilitudo. 2.° Ex testium defectibus physicis et moralibus, aliisque loci, temporisque adiunctis. 3.° ex defectibus in monumentis, signis, interpretationibus, lectionibus. 4.° ex discrepantia ab aliis historiis, traditionibus, monumentis contemporaneis, vel ex eorum silentio, aut aequali conflictu: si primum, habetur ratio contraria positiva, si secundum, negativa, si tertium, dubia. 5.° ex facti impossibilitate.

705.° Ab hac regula excipiendae sunt revelationes divinae ab Ecclesia confirmatae, quae fidelibus absolutam et necessariam inducunt mysteriorum certitudinem, ut quae lumine quodam interno gratiae divinae nuncupato nobis infusae iis tam mordicus adhaeremus, quam principiis rationalibus, quia ope huiusmodi luminis necessitatem absolutam intuemur existentiae mysteriorum. Idcirco Religio Christiana nedum demonstrationi rationali ex argumentis extrinsecis, seu miraculis etc. deductae innititur, verum etiam in evidentia luminis gratiae, vel revelationis internae fundatur, quae nostrum extorquet assensum (1). Proinde tam doctis, quam indoctis obvia est, illis per demonstrationem rationalem, istis per perceptionem evidentiae luminis gratiae animam perfundentis. Quoad relationem miraculorum hae sunt regulae: 1.° an factum revera contigerit: 2.° an mediis naturalibus et humanis fieri non potuerit: 3.° an patrator miraculi sit virtute, et sanctitate praestante.

706.° Ut iam ad testimonium hominum redeamus, iis si deest certitudo, potest nihilominus probabilitas saltem remanere: quae quidem probabilitas non est a priori, idest numeris, uti est penes ma-

(1) Ne autem fideles in assentiendo huic revelationi errent, atque fallacem pro vera usurpent revelationem, praesto est magisterium infallibile ecclesiae, quod veritates assentiendas proponit, aliasque mendaces et captiosas, quos pseudomysticі et quietistae sectantur, repellit ac damnat.

thematicos in more positum, vel calculo computanda, quasi homo machina sit fatalibus legibus subiecta eodem semper modo operans, atque magis sint testes enumerandi, quam expendendi; sed a posteriori, et observationibus, investigationibus super qualitate testium, atque adiunctorum. Mirum est, quod cl. Laplace aliter, idest more mathematicorum, etiam hac de re senserit.

707.° Demum ut aliquid de traditione adiungamus, haec duplex est, oralis, de ore in os transmissa, et monumentalis, seu libris, columnis, arcubus, pontibus etc. affixa. Traditio oralis dividitur in individualem, si ab uno ad aliud transit individuum, in domesticam, si inter familias discurrit, universalem, si per civitates et regna effunditur. Traditio oralis quo est vividior monumentali, est etiam eo fallacior, utpote vicissitudinibus generationum commissa: contra monumentalis signis affixa est firmior atque fidelior, prout stabilitas monumenti sustinet. Hinc traditiones rebus permanentibus consignatae, uti sunt sidera, planetae, montes, flumina, maria, ritus, caeremoniae religiosae, indestructibiles pene sunt, uti ex mythologia patet.

§. 3. — *De consensu universali hominum.*

708.° Tertium medium, quo societas nos docet, est consensus universalis, quem Lamennais in supremum criterium propter supposititiam fallibilitatem individualem hominum sustulit, nosque contra ad argumentum ad verecundiam dictum reduximus, quo quisque admonetur de veritate principiorum rationis, quibus omnes assentiuntur. Enimvero semel atque criterium in consensu universali collocaretur, inde inferendum esset, criterium supremum esse 1.° impossibile, tum quia non possumus omnes homines consulere, tum quia etiam eodem modo ipsi fallibiles essent conglobatim, quo seorsim, cum ex hypothesi unusquisque eamdem fallibilem naturam ferat. 2.° Limitatum, quia consensus universalis ad omnes scientias et cognitiones non exporrigitur, sed cognitionibus vulgaribus dumtaxat coercetur: criterium supremum contra debet in omnes scientias et notiones ex alto quodam vertice dominari: 3.° Neque evidens, et perentorium, quia etsi homines cum ex natura intellectiva loquuntur, infallibiles sint propter immediatam veritatis intuitionem, dubium semper relinquitur an ipsi ex propria natura loquantur, vel ex arbitrio, et ex cognitione reflexa: quod ope alterius regulae discernendum est. Restat ergo, ut consensus universalis ceu medium habeatur cognitionis communis confirmativum, neque aliquid amplius.

§. 4. — *De autoritate*.

709.° Ultimus ex societatis fontibus artis discendi est autoritas, qua ea discimus, quae minime valemus nobis ratiocinio comparare. Auctoritas duplex est, divina, et humana, illa infallibilis semper, ista interdum. Posita utcumque auctoritatis imfallibilitate, ipsi obediendum est, quia homo tenetur semper veritatem complecti sive per intuitionem, sive per perceptionem, sive per fidem, eam aquirat: medii enim diversitas nihil veritati detrahit. Curandum tamen est, si agitur de auctoritate humana, ut eius infallibilitas innotescat, qua nondum illucescente, non est illico pecudum more ipsi adhaerendum, quasi in verba magistri iurantes. Neque cum sciolis quibusdam omnia innovare cupientibus, auctoritas est irridenda, uti etiam se gessit Baco; sed cum Galileo media via tenenda, nempe neque praepropere omnia admittenda, neque obstinate et pertinaciter reiicienda, sed aequa lance libranda.

ARTICULUS TERTIUS

DE SECUNDO ARTIS DISCENDI FONTE, SEU DE NATURA COSMICA

710.° Praeter societatem habetur etiam natura cosmica, quae nobis est rerum sciendarum magistra, qua cum communicamus per perceptionem intellectivam, quae, ut multoties probavimus, est suapte natura infallibilis. Haec autem perceptio eadem non est apud omnes, sed magis perfecta, prout 1.° magis exercetur, uti in aurificibus, qui minutissima etiam vident, atque in caecis, qui acutissimum habent auditum: 2.° prout attentius animadvertitur, uti philosophi, qui super percepta reflectentes, penitiores aquirunt rerum cognitiones, quae vulgo denegantur. Ex quibus animadversionibus in perceptiones intellectivas dependet progressus, ut aiunt, scientiarum naturalium, et etiam psychologiae, quae socordia, et impotentia philosophorum ad fere ultimam tabem redacta, atque in pluribus a pseudomysticis germanicis, et italicis temerata adhuc ingemisceret, ni vir acutissimae reflexionis, Rosminius, in eius auxilium surrexisset, qui funditus animam introspiciens, eius potentias, actus, passiones, instinctus, leges, atque essentiam graphice fere descripsit, uti tellus in chartis geographicis pingitur (1).

(1) Vid. Rosm. psicol. — antrop. — tratt. della coscien. — Filosof. della polit. aliaque passim innumera.

711.° Saepe tamen evenit, ut perceptio adeo sit instantanea, ut vel tempus desit ad eam attente animadvertendam, quo in casu repetenda est: huiusmodi perceptionis repetitio dicitur experimentatio, quae si facta extra-subiectiva considerat machinis exploranda, dicitur extra-subiectiva physica, vel chymica etc; si facta subiectiva animae, dicitur subiectiva, vel interna, atque facultatibus intellectualibus tantum exercetur, puta reflexione, analysi, synthesi, conscientia etc. Regulae experimentationis externae sunt 1.° sanitas et debita applicatio sensuum externorum; 2.° perfectio, et apta dispositio instrumentorum; 3.° ars ea bene adhibendi; 4.° observatio omnium circumstantiarum, atque eorum, quae in experimentis se produnt; fieri enim potest, ut aliud, quam quod inquiritur, fortuito inveniatur; 5.° inductio legis universalis ex factis simul comparatis.

712.° Neque intermittendum est, causas quae in physicis experimentis inveniuntur haud veras causas esse, sed dispositiones, et circumstantias regulares, quibus positis, vires naturae operantur. Ex quo patet 1.° veras causa sub experimentationem non cadere, sed invisibiles esse, atque materia absconditas. 2.° Hasce causas esse magis metaphysicas, quam physicas. 3.° Scientias physicas ideo numero scientiarum philosophicarum nondum adscribi, quia cognitionem huiusmodi causarum neque ex alia scientia adhuc acceperunt, neque sibi propriis compararunt experimentis. 4.° Haec omnia quadantenus explicari semel admissa hypothesi de vita elementari materiei, ex qua vires naturae prodeunt (1).

ARTICULUS QUARTUS

DE TERTIO ARTIS DISCENDI FONTE, SEU DE SPIRITU HUMANO

713.° Novas tandem easque sublimiores potest tandem mens humana cognitiones ediscere, si reflexionem in ideas habitas iugiter et impense intendat; hoc enim pacto ex perceptionibus, vel ex ideis plenis et imperfectis educit, reflexionis nempe auxilio, ideas specificas abstractas, et perfectiores; deinde super ipsas iterum reflectens ideas genericas alias aliis altiores, et nobiliores, quas verbis, aliisque signis ita affingit, ut eadem facilitate possit eas sibi revocare, qua, facta sensatione, res externas percipit. Ex hisce autem ideis omnimo-

(1) Scientiae, quae perceptiones tantum observant, vocantur observativae, uti historia naturalis, geologia, geographia, astronomia, etc. Psychologia demum, quae tam observatione, quam experimentis colitur, dicitur scientia observativo — experimentalis: physica chymica etc. inter scientias experimentales computantur.

da, ut sic dicam, concretione, ac determinatione expoliatis vix dum in ordinem componuntur iuxta propriam dignitatem, ac prioritatem naturae, id habetur, quod systema vel scientia appellatur, atque etiam conficitur philosophia in ultimas rationes, seu in ideas altissimas semper intenta; quae ideo vocari potest — ascensio per varios reflexionis ordines —, aut — elevatio per varios idearum caelos —, vel etiam, — motus perennis cognitionis reflexae —.

714.° Ut autem reflexio tam eximia praestet, debet 1.° essentiam rei, quae agitur, perspicua et recta definitione praemittere; scientia enim est organica alicuius ideae evolutio. 2.° Qua semel probe definita, debet eam in sua elementa dividere accurate; atque seorsim expendere, vel, ut aiunt, analyzzare (1). 3.° Faciliora semper arduis anteponat, et quae sunt praefanda, praefetur. Philosophi germani, qui sine notionibus ideologicis et ontologicis negotiosam creationis doctrinam ingressi sunt, in pantheismum corruerunt. 4.° In quaestionibus, si opus est, ut in quaestione de origine ideae entis, prius argumentis negativis, vel per esclusionem exordiatur, deinde argumentis positivis, rem ita esse ostendendo. 5.° Iuverit etiam plurimum diversos rei modos existendi per imaginationem fingere, deinde inquirere quinam ex hisce modis possibilibus reapse electus fuerit, et quaenam istius electionis ratio sufficiens, qua semel cognita, iam hoc ipso causa finalis inventa est. Hac imaginatione mens admodum a sensibus liberatur, quibus interdum sibi persuadet, entia tantum eo modo, quo apparent, posse existere, sicque violenter ontologia in arctissimas coniicitur sensus angustias, uti de facto est ontologia sensistica scholarum nostrarum, quae tota ferme limitibus sensibilibus et corporeis circumscribitur. 6.° Proderit etiam quam maxime rebus funditus internoscendis, formatio idealis (dell' ideale) aut ideae perfectae et archetypae eiusdem, cui res comparatur, atque eius ope varios gradus perfectionis, atque defectus cognoscuntur. Plato, qui sub regula ideae archetypae questiones pertractabat, ad tantam pervenit cognitionis altitudinem, ut philosophus divinus nuncuparetur (2). 7.° Principiis rerum semel arreptis, reflexio haud debet in iis sterili immanere contemplatione, sed ea faecundare, atque illationes gradatim eruere in systema postmodum colligendas, ex quibus scientiae ef-

(1) Si ideae sunt, dicitur divisio; si entia realia, partitio. Divisio potest esse ontologica, si varias entis species respiciat, ut ens — principium, ens — terminum, ens intellectivum, sensitivum etc.; et categoris, si ad tres entis formas idealitatem, realitatem, et moralitatem refertur. Haec divisionis classificatio accuratior est, quam usitata, qua divisio logica, physica, metaphysica etc. statuitur.

(2) Cic. de nat. Deo. lib. 2.

formantur. 8.° Si in ipsis evolvendis nimis excurrat oratio, interdum iuvat dicta in summam colligere, et quo adhuc abeundum sit ostendere. Hisce sub regulis ducta reflexio, nobilissimas comperiet veritates.

ARTICULUS QUINTUS

DE ARTE INVENTIONIS

715.° Mens humana iam arte discendi exculta, poterit aut ignotas adhuc, vel obliteratas cognitiones invenire. Inventionis ergo nomine non est vera creatio intelligenda, quia veritates utpote aeternae creationem aufugiunt.

716.° Inventor igitur est 1.° qui cuiusdam novae propositionis omnium primus aut veritatem in lucem profert, aut probabilitatem saltem. 2.° Qui novam veritatis notae conficit demonstrationem; 3.° vel inde ignota adhuc evolvit corollaria; 4.° Qui naturam fodiens, facta, quorum nulla memoria est, invenit. 5.° Qui factis explicandis novam aptioremque excogitat hypothesim. 6.° Qui veritatem iam vulgatam novo sub aspectu repraesentat, aut plures veritates novum in modum coordinat. 7.° Qui apparatum, ut aiunt, vel machinam physicam, chymicam fabricat. 8.° Qui veritates diu oblitas renovat, easque hominibus suadet. 9.° Demum qui praeiudicia, errores, et opiniones impugnat, atque evertit.

717.° Ex quibus pronum est colligere inventiones nedum experimentis, observationibus et sola, ut praetendit Baco, inductione fieri, verum et syllogismo, quo ex principiis nova educitur propositio.

718.° Inventor autem debet in primis curare 1.° ut eius facti, vel systematis probabilitatem saltem ostendat; sin minus factum vel systema falsum est omnino, neque honorem meretur inventionis. 2.° Ut veritatibus iam receptis non adversetur; 3.° neque sensui communi; 4.° sed neque dogmatibus religionis nostrae. Caeterum non debet quisque de gloria inventoris iactabundus esse; inventores enim non arte fiunt, sed nascuntur natura, cuius solius est illam mentis perspicaciam, nitorem, sagacitatem, solertiam perseverantiam, atque magnam analysis et ratiocinii vim, quae solent in inventoribus maxime coitere, conferre.

CAPUT QUARTUM

DE METHODO DIDACTICA

719.° Methodus didactica est ordo, quem praeceptores in iuvenibus probe et prompte instituendis debent sedulo observare. Regula

suprema huiusce methodi haec est — veritates tradendae eo ordine doceantur, quo inter se colliguntur, eas praemittentes, quae rationem principii habent respectu aliarum, quae inde ceu corollaria fluunt —, vel, — a noto ad ignotum a facili ad difficile mentes iuvenum sine hiatu, vel saltu, vel interruptione perducantur —.

720.° Veritas facilior, a qua praeceptor exordiri debet est relativa ad mentem et eruditionem iuvenum, qui si primo scholam adeuntes, pone, duodecim iam noverint veritates, ex decimatertia praeceptori incipiendum est, et ita porro secundum statum mentis adolescentulorum.

ARTICULUS UNICUS

REGULAE SPECIALES METHODI DIDACTICAE

721.° Praeceptor, qui iuvenibus in scientiis provehendis addictus est, praeterquamquod summo debet amore veritatis flagrare, atque officium, non tam quaestuosum, quam sanctissimum considerare, oportet ut 1.° ipse clare, distincte, et explicite propositiones docendas exhibeat et quidem iis verbis, et formulis, quorum intelligentiae capax est mens iuvenis: formulis autem abstractis et scientificis uti ipsi non licet, nisi gradatim, atque sensim sine sensu a formulis facilioribus ad difficiliores. 2.° Propositionem, quae magni equidem momenti aestimatur in primis definiat, adeo ut essentia rei pateat; deinde per minutam, et rectam analysim (prae synthesi adhibendam) quot sunt aspectus, vel species, sub quibus iuvenibus pro subiecta materia eam exhibet, tot relativis vocabulis hae variae veritatis relationes, vel facies notentur, et quidem pauciter, ne mens discipulorum rerum copia obruatur. 3.° Interea dum partes disentiuntur, centrum, ut sic dicam, veritatis non obliviscatur: ex imperfecta, enim vel partiali in ideas reflexione quot discordiae, lites, atque scholasticae controversiae subortae fuerint, noverunt omnes, atque idipsum in interpretatione systematis Rosminii hodiedum cernitur, contigisse, cuius centrum, idest essentiam entis universalis paucissimi sunt qui perspexerint, sed partes solummodo, atque hinc inde disiecta fragmenta (1). Item ex reflexione imperfecta nedum error, sed peccatum etiam derivatur. 4.° Ne error mentibus iuvenum subrepat, utendum maxime

(1) Id clarius patet ex eo quod eius censores plebei, post verba quamplurima, se adhuc quid sit — idea entis, vel essentia entis — ignorare profiteantur. Eccur ergo, antequam discant, loquuntur? numquid potest, quod ignoratur, aut oppugnari aut amplecti? melius igitur foret, manus ori sibi imponere, quam loqui stultissime.

est vocabulis propriis, atque undique definitis, et determinatis; metaphorae autem sunt omnino eliminandae, si absque erroris discrimine nequeunt adhiberi. 5.° Curet saepissime, ut discipuli mentem in ordinem idealem, atque rerum obiectivitatem, quae in ideis volvitur, defigant. Nimia enim sensihilibus realibus repraesentationibus adhaesio, atque cum phenomenis corporeis familiaritas nocet abstractioni, et reflexioni quam maxime, quibus nihil tam perspicuum esse debet, quam distinctio categorica ordinis idealis ab ordine reali. 6.° Demum ne tempus perperam insumatur, atque ad usitata tantum et vulgaria, aliis tamen formis et vocabulis implexa discipuli addiscenda cogantur, satagat praeceptor ut solidae ac fundamentales quaestiones ipsis proponantur, atque graves producantur difficultates, ex quibus universa scaturit philosophia, ne vana, aut plane futilia ac anilia tractans cum discipulis nugari videatur.

722.° Quas regulas praeceptor numquam observabit, si a tribus praesertim non abhorret: 1.° a methodo quorumdam magis proprii honoris, quam utilitatis iuvenum, cupidorum, qui dissertationem sibi studiose praeparatam, vix cathedram conscendunt, extemplo oratorum more legunt, atque lectione peracta, quin ne vel verbum quidem explicandi causa apponant, descendunt inter plausus quidem, ast simul inter tacitos maerores iuvenum, qui nihil inde fructus scientiae perceperunt. 2.° A methodo nonnullorum qui equidem quaestiones proponunt, variis argumentis explanant, obiecta dissolvunt, conclusiones deducunt, et haec omnia magis memoriter, idest sine exemplari, sine scripto, sine textu. Hac enim docendi ratione cum discipuli textum, quem identidem consulant, atque, ut sic dicam, ibi adnotationes sibi signent addendas, aut erronea notent depellenda, non habeant, millies oportet ipsis idem repetere ante quam iuvenes dicta memoriae mandaverint. 3.° A methodo tandem quorumdam, qui quod explicaturi sunt prius dictant, atque fere totum scholae tempus in scribendo ferunt, quo fit, ut celeriter postmodum per temporis brevitatem enucleent, quod fusiore oratione egeret. Praeceptores eiusmodi, heu quam multis in ruinam conspirant iuventutis, quae scholis abscedens, millibus angitur difficultatibus, dubiis torquetur, nihil ex magistris domum referens acceptum, quam aures declamationibus praeceptoris adhuc rehoantes.

723.° Quoad ordinem rerum tradendarum, praeceptor eum sectetur, quem mens humana indeclinabiliter tenet. Porro mens humana ex universalibus, ad peculiaria graditur (1), idest ex idea entis ve-

(1) Quod certe sensistis, ex sensationibus singularibus incipientibus, profecto non alludit.

luti proficiscens, eam sensationibus apponit, atque ideas specificas, plenas, et imperfectas acquirit; deinceps ope reflexionis abstrahentis eas perpolit, puras et abstractas sibi fingit, specificas primum, deinceps genericas. Ita praeceptor, sumpta occasione ex perceptione intellectiva rerum, ad ideam entis regrediatur, atque ex ipsa discedens, cursum absolvat usque ad ultimas ideas reflexas genericas. Qua in progressione, varios ordines reflexionis quos transiliit, discipulis annunciet, ut noscant idearum hierarchiam discernere. Caeterum haud nos praeterit interdum fore magis secundum ordinem psychologicum quam ideologicum incedendum idest non ea praemittenda, quae in ordine logico praecurrunt, sed quae in ordine psychologico plus mentem, pene dixerim, feriunt. Hinc siquis ex ordine psychologico, arrepta veluti occasione, vellet primas exordiri lectiones, dignus non est, qui improbetur, dummodo lectionum serie iuvenes paullatim ad genericum rerum ordinem perducat.

724.° Ut autem ad discipulos iam veniamus, ii ad lectiones philosophicas non admittantur, quorum ingenium humanioribus litteris sat adhuc excultum non est. Futurum est enim, ut secus ne primioribus quidem labiis philosophiam degustent. Non equidem philosophia est quaedam per quam facillima disciplina cuilibet menti accomodata vel accomodanda, verum scientia sublimissima, cui addiscendae animus nedum arte et scientia, sed et natura ingenii paratus sit oportet. Scimus ignaros matheseos nunquam accademiam Platonis adivisse, quia pluris esse philosophia aestimabatur, quam ignari matheseos existimabant. Quam ergo dirridiculos se produnt, qui philosophiam adeo facilem, et infimam volunt, ut foemellae eam possint etiam apprehendere, atque contra vehementer philosophiae irascuntur, quae tantas animi dispositiones exquirit? Tam enim imo magis impossibile est philosophiam ad quaeque ingenia obtusa, et rudia deprimere, quam caelum ad terram. Sin autem dicant, et dicunt frequenter, se aliam faciliorem habere philosophiam, cui iuvenes possunt indiscriminatim studere, eamque esse, quam ipsi a praeceptoribus etiam acceperunt atque omnibus ingeniis accomodatam; iis forti animo, et erecta fronte respondemus. Hanc, quam philosophiam faciliorem appellant, aliud non esse, quam simulacrum, spectrum, larvamque verae philosophiae, neque unius quidem flocci habendam. Nam si quid veri, inter tot ambages, imaginationis ludibria, sensuum hallucinationes, errores putidissimos, habetur, id neque ex genere veritatum philosophicarum esse, neque studio comparatum, sed tot humanae naturae oracula, ideas directas, communes, principia atque primas applicationes sensus communis, formis atque vocabulis circumornatas philosophorum putamus. Enim vero, dic nobis quaeso, erroribus decerptis, cuiusnam naturae sunt veritates, quae ex. gr. in nostris in-

stitutionibus philosophicis tradi plerumque solent circa animae humanae naturam, spiritualitatem, libertatem, immortalitatem etc.; circa idearum originem circa existentiam, et attributa Dei, circa legem moralem etc.? Aliud, dicam intrepide et scite, alind non sunt nisi totidem veritates, quas iuvenes priusquam scholas peterent vel ex maternis institutionibus vel ex conversatione, vel ex cathechismo vel ex ipsa conscientia, et nativa reflexione iam pridem apprehenderunt. Neque nos putamus mentitos fuisse, quemlibet provocamus, ut paucas sparsas veritates istarum institutionum scholasticarum, verbis detractis, cum notionibus harum rerum, etiam foeminis nostris compertis, conferat, videatque, an perfecta sit identitas, nec ne. Quorsum ergo tam impense philosophiae vacamus, si nihil novi, nihil sublimioris nihil perfectioris adipiscimur? Quorsum rudis plebs difficultatibus solvendis incapax, philosophos quaerit, ut eas explicent? Quorsum philosophis accademiae, et gymnasia molis ingentis construuntur si etiam in stabulis, si in plateis, si in agris, si in sylvis tam bene philosophatur, quam in scholis? Vae philosophiae detractoribus! Ne ergo istorum insidiis irretiatur, sciat unusquisque, omnium primum nostra aetate, qui philosophiam vastavit, corrupit, infecit, Lochium fuisse, ut qui etiam stulte arbitrabatur, se philosophiam adinvenisse omnibus obviam, planam, syrtis, et scopulis liberam, quam modo novimus esse philosophiam sensisticam, qua scientiis, artibus, et religioni pessundandis nihil aptius est. Quam etiam nunc plerique philosophorum, vel potius sophistarum nostrorum, sequi, docere, evulgare, et insinuare, non verentur etsi palliatim, et sub specie veritatis, quam, utpote sensismo, et subiectivismo dediti, nunquam conspexerunt. Interea dum veram solidamque conantur philosophiam depellere, quia talpis, quia noctuis, quia obtusis etiam non patet! Proh! dementes: caeci sunt caecorumque duces, quos veri nominis philosophi iamdiu deceptos monstrarunt, atque utinam eos fugerent omnes! . . .

FINIS VOLUMINIS PRIMI.

INDEX

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
4.	4.	Exedia	Exedria
6.	36.	formalem ufficiale	formalem (ufficiale)
10.	40.	Esto	Ast
15.	33.	phraenologia	phrenologia
25.	22.	morales	mortales
ibid.	27.	promis auribus etc.	pronis auribus
27.	18.	estuabat	aestuabat
29.	40.	studium quo sapientiae	studium sapientiae
31.	24.	Si enim	Ii enim
33.	34.	non tantum recognoscimus	non adhuc recognoscimus
37.	34.	istum adhibet	istud adhibet
44.	1.	delibarique	delibareque
47.	1.	ordinem movendi	ordinem vivendi
59.	1.	reale, ideale et morale	realis, idealis et moralis
67.	6.	antea ideam	antea idea
68.	21.	fallantur	falluntur
69.	28.	afflorescere	efflorescere
70.	26.	ostendum	ostendendum
73.	7.	praestet	praestat
74.	24.	moveamur	movemur
77.	14.	philosophis interest	philosophi interest
86.	8.	fucatur	tueatur
91.	27.	in vivis	in viris
92.	35.	confuderetur	confunderetur
95.	16.	ex secundum	et secundum
102.	9.	principium. Quod	principium, quod
106.	17.	sicut	sic ut
ibid.	32.	res creatae	res creatas
110.	26.	quia ipsa	quia ipsae
128.	25.	idearum essentiam	idearum existentiam
129.	pluries,	hyacynthus	hyacinthus
131.	31.	duo esse correlativa	duo sunt correlativa
134.	34.	abiudicant	adiudicant
142.	18.	atque ideas	atque ideis
152.	4.	in ente aeterno	in arte aeterna
ibid.	18.	Mens est	Mos est
156.	38.	processio Verbi	processio verbi
157.	1.	processio Amoris	processio amoris
189.	1.	is qua	si qua

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
197.	8.	provvido	provocato
206.	6.	saepta	caepta
210.	4.	quod idealem	quoad idealem
217.	13.	singularia sunt	singularia non sunt
222.	25.	acquisitae dicuntur	acquisitae dicantur
ibid.	28.	minime mediis	minimi medii
224.	18.	quae etc. spectabat	quae etc. spectabant
ibid.	33.	quae in potentia	quam in potentia
225.	36.	cum substrato	earum substrato
227.	20.	afficiens	afficientem
ibid.	23.	possibilis	posssibile
ibid.	24.	non ens	nos ens
239.	17.	videbatur Deum	videbatur Deus
251.	11.	ideis haurientis	ideis hauriendis
255.	6.	evidentissimum	evidentissime
257.	20.	protriverit	protriverint
260.	10.	ad evidentiam tenus	evidentia tenus
273.	38.	levis illico discrimen	illico discrimen
276.	31.	divisibiles	divisibilibus
ibid.	33.	visus . . . videt	risus . . . ridet
283.	12.	incidet	insidet
286.	33.	Brutum	Brutus
287.	32.	visus	risus
288.	23.	identitati etc.	identitatis
289.	32.	determinatae	indeterminatae
308.	8.	locationes	locutiones
309.	8.	evadisti	evasisti
312.	10.	argumentativa	augmentativa
314.	16.	usque ad pedes	usque ad pectus
322.	30.	lacemque	lucemque
333.	38.	pedagogi	paedagogi
335.	15.	quae nil	qua nil
336.	4.	ipsis iuvenibus etc.	ipsos iuvenes etc.
339.	14.	incitat	incitant
341.	26.	fulget	fulgent
356.	21.	id tantum	in eo tantum
363.	18.	per bibliam	per biblia
367.	28.	ceu materia	ceu materiam
ibid.	28.	ceu actus subiectivi	ceu actus subiectivos

ERRATA			CORRIGE
Pag.	Lin.		
371.	13.	conflictari	confutare
372.	37.	Ubique	Utique
373.	21.	perstringimur	perstringamur
ibid.	23.	sepe	se
376.	12.	directa	directe
381.	32.	proecisse	profecisse
383.	36.	subrudit	subaudit
387.	24.	admonemus	admonemur
389.	10.	demonstrationi exercendae	demonstrationis exercendae
391.	8.	vere musicis	vere musivis
396.	17.	veras causa	veras causas
397.	13.	que sunt	quae sunt
ibid.	38.	categoria	categorica

VITE DE' SANTI,

SCRITTE DI NUOVO,

da

VARI LETTERATI FRANCESI E ITALIANI,

SOTTO LA DIREZIONE

DEL COMITATO A QUEST' UOPO NOMINATO

Da Mons. Arcivescovo di Parigi.

VITE DE' SANTI,

SCRITTE DI NUOVO,

da

VARI LETTERATI FRANCESI E ITALIANI;

SOTTO LA DIREZIONE

DEL COMITATO A QUEST' UOPO NOMINATO

Da Mons. Arcivescovo di Parigi.

TOMMASO DI CANTORBERI.

Prezzo del presente volume L. 6. 6. 8.



